BENEDICTI AVERANII OPERA.

BENEDICTI
AVERANII
OPERA.

BENEDICTI
AVERANII
OPERA.

BENEDICTI AVERANII FLORENTINI

IN PISANO LYCEO

Litterarum Humaniorum Professoris

ORATIONES EPISTOLÆ FAMILIARES, ET CARMINA

TOMUS TERTIUS.



FLORENTIÆ MDCCXVII.
TYPIS REGIÆ CELSITUDINIS
Sumptibus CAJETANI TARTINII, & SANCTIS FRANCHII.
SUPERIORUM APPROBATIONE.

BENEDICTI
AVERANII
ORATIONES TRIGINTA.

ORATIO I.

HABITA PISIS ANNO 1676.

De Græcæ Linguæ Præstantiâ.



A Uum mihi in mentem venit, Auditores ornatissimi, & qua de re, & quibus audientibus, hodierno die sim verba facturus, magnâ cum spe aggredior ad dicendum, planèque confido non injucundam vobis omnino futuram Orationem meam. Non enim apud Barbaros, quibus æternum cum Græcia litteris bellum, sed
B in cœtu doctissimorum hominum, humanissimorum adolescentium de Græcæ Linguæ studio mihi sermo habendus est; quorum alteri omnem pæne doctrinæ copiam, qua mirabiliter abundant, e Græcia fontibus haustam a se meminerint; alteri sibi hauriendam esse planè intelligant, & ingenuè fateantur. Quare non vereor, ne, si quid splendidius de Græcæ Linguæ laudibus, magnificentiusque dixero, a vobis improbetur, aut minus æ-
C quis animis accipiatur Oratio mea; illud vereor, Auditores, ne propter ingenii tenuitatem, insolentiamque dicendi materiæ parem Orationem invenire non possim, & vestras, Adolescentes optimi, mentes ad

Græcarum studium litterarum suscipiendum quantum cupio, quantumque res po- D
stulat, commovere. Neque enim, quod nonnulli opinantur, linguarum studium leve quiddam, & puerile est existimandum; quum verbis animi sententiam declaremus; qua re præcipuè mutis animantibus præstamus, & inter homines humanæ vitæ societatem tuemur. Nec verò clarissimi viri, & omnium sæculorum incredibili rerum scientiâ principes, inprimisque Romanorum facilè doctissimus Marcus Var-
ro, & tota propemodum Stoicorum ma- E
nus, & apex ille humanæ sapientiæ Plato, de vocabulorum origine, deque rectâ nominum ratione tam multa scripsissent; si linguarum cognitionem, loquendique peritiam humile quiddam, & non satis dignum ingenio suo maximo, & præstantissimo judicassent. Quod si ita esset, quid causæ tandem posset afferri, cur veteres Romani Hermodoro Ephesio ob leges duo-
decim tabularum latinâ linguâ donatas, ra- F
ro per ea tempora honoris genere, statuam in Comitio posuerint; aut cur Amphictyones, hoc est amplissimus, & gravissimus Græciæ Magistratus, Apollodorum ob artis grammaticæ præstantiam amplissimis honoribus affecerint; aut cur denique apud antiquos, quemadmodum quodam loco testatur Galenus, magnæ admirationi fuerint homines, qui duabus linguis non inscienter prorsus, absurdeque loquerentur?
Quocirca non sine causâ Ennius gravissi- G
mus poëtarum gloriari frequenter, & præseferre magnificè solebat, tria se habere corda, quod Oscam, Græcam, Latinam

linguam teneret, Est enim profectò, est A omnium linguarum non indigna sapiente cognitio, quæ jure magno in pretio semper fuit, nec verò laudari satis unquam potuit; Græci verò sermonis tanta est utilitas, tanta ubertas, lepor, gloria, dignitas, amplitudo, ut ceteræ linguæ cum eo, neque copiâ, & proprietate verborum, neque lepore quodam, & pulchritudine orationis, neque Auctorum nobilitate, & præstantiâ possint ullo modo comparari. Quæ quum ita sint, Auditores, non sine cau- B sâ initio dicendi vehementissimè commoveor, maximeque perturbor, quòd me neutiquam posse video propter magnitudinem rei, Græcæ Linguæ laudes æquare dicendo, & satisfacere muneri meo, Adolescentes ornatissimos, qui ad me audiendum humanissimè convenerunt, ad Græcarum studium litterarum satis eloquenter, copioseque adhortando. Sed in his tamen difficultatibus, illa me res maximè consolatur, inprimisque confirmat, quòd video C vos, Adolescentes, vestra sponte inflammatos amore quodam, studioque incredibili sapientiæ; quocirca si breviter vobis ostendero id, quod difficile factu non est, Græcas litteras magno esse ad omnem sapientiam comparandam adjumento, res ipsa vos adhortabitur, ut ad earum studium toto pectore incumbatis. Quapropter adeste animis, Adolescentes, utilissimum, jucundissimum, pulcherrimum Græcæ Linguæ studium vobis ego suadeo; ad Græ- D cos Auctores legendos, a quibus omnis humanitas dimanavit, invito; non erit inutilis profectò vobis Oratio mea; non enim hodierno die rivulos consectari vos jubeo; sed ad ipsos omnium disciplinarum fontes digitum quodammodo intendo; & unde aureum eloquentiæ flumen, unde incredibilem rerum varietatem, & copiam, unde ingenuam etiam animi voluptatem haurire possitis, ostendo, & explere tandem sitim diuturnam sapientiæ.

E Atque, ut ab eo primùm, quod maximè rem, causamque continet, proficiscatur oratio; quum duæ sint omnino viæ, rationesque discendi, quibus utuntur omnes necessariò, qui ad aliquam sapientiæ laudem pervenire contendunt; altera, quam ingredimur, quum ad alicujus præstantis doctrinâ viri consuetudinem nos applicamus, & ipsum de facultate, quam profitetur, differentem quotidie diligenter audimus; altera, quam insistimus, quum Au- F ctorum libros, qui principes habentur ejus doctrinæ, quam assequi concupiscimus, assiduè, studioseque versamus; vos etiam, Adolescentes industrii, si dignos ingenio vestro progressus in litterarum studiis estis habituri, utramque viam insistatis, & ea, quæ accepistis a præceptoribus vestris recolatis, & optimorum Auctorum frequenti, & assiduâ lectione augeatis necesse est. G Neque enim id oneris, credo, imponitis doctissimis viris, in quorum vos disciplinam tradidistis, ut ea, quæ discenda sunt a libris, vobis explicent universa. Sunt illi quidem tantâ rerum scientiâ, nihil ut omnino sit, quod non ingenio penitus perspexerint; humanitate verò tantâ, ut deesse se vobis numquam velint; sed neque occupationes, quibus distinentur, sinunt, nec pudor fortasse vester permittit, nec rerum natura ipsa patitur, ut omnia, quæ H percipi debent (sunt autem innumerabilia) ab ipsis quærere singillatim, & audire diligenter possitis. Satis illi vobis præstabunt, si pulcherrimarum artium semina tradent, si profanorum vulgo, ut ita dicam, exemptos Musarum sacris initiabunt; si denique ad illum sapientum chorum, sapientiamque ipsam quasi manuducent; accipiet illa vos, accipiet aliquando, in alto, & pleno lucis, & tranquillitatis jucundissimæ loco, & ab amicissimis viris I commendatos suis cultoribus tradet excolendos. Illic sapientissimus Plato, doctissimus Aristoteles, divinâ facundiâ Theophrastus: illic magnus Hippocrates, eloquentiâ, & arte clarissimus Galenus: illic Mathematicorum principes Euclides, Archimedes, Apollonius, Ptolemæus; Oratorum lumina Cicero, Demosthenes, Andocides, Hyperides, Isæus, Isocrates: illic denique poetarum chorus, theologorum consessus, Jurisconsultorum K quasi quidam Senatus. O præclarum cœtum! o vos beatissimos! si virorum in omni doctrinæ genere admirabilium voces audire, præcepta condiscere, frui sapientiâ vobis licuerit. Etenim si vir sapientissimus omnium Socrates mortem beatissimam arbitrabatur, ut est in Apologiâ scriptum a Platone, quòd quum excessisset e vitâ, se ad illum felicium animarum cœtum migraturum, & cum Orpheo, cum Musæo, cum Homero, cum Hesiodo collo- L cuturum suspicaretur; vos vitam beatam non putabitis, in qua non sapientis alicujus dictum excipere, aut quotidianam orationem audire possitis; sed quidquid tot sæculis homines omnium doctissimi, aut excogitarunt acutè, aut eleganter locuti sunt, contemplari? Vos verò, si sapitis, nullam huic felicitatem anteponetis, & quamprimum sapientiæ vos excolendos tradetis, & cœtum sequemini, quem modò Oratione meâ describebam, sapien- M tium virorum; cum illis assiduè loquemini, cum illis vivetis, cum illis philosophabimini. Veruntamen, quid agitis, quæ mens vestra est quod consilium, Adolescentes? cum his assiduè loqui, horum fieri sapientiâ doctiores, hos

vobis

vobis esse vultis quam familiarissimos, quo-
A rum sermonem penitus non intelligitis? Illi, quos modò nominavi, sapientiæ principes, omnes propemodum Græcè loquuntur, Latinè nesciunt; si veras audire voces Platonis, ceterorumque sapientium voces, Græcam Linguam condiscatis, necesse est. Num piget aliquantum laboris impendere, & in eo sermone discendo nonnullam operam, studiumque consumere, quo cognito omnium sapientiæ principum dicta intelligatis? Themistoclem ferunt, ut
B semel cum Magno Persarum Rege loqueretur, Persicam linguam sibi discendam existimasse; quod ille fecit, ut barbarum hominem barbarâ linguâ appellaret, vobis non faciendum putabitis, ut viros omni humanitate, politissimaque doctrinâ præditos eo sermone loquentes, qui est omnium jucundissimus, audiatis? Sed quid Themistoclem loquor virum pene divinum, & totius Græciæ, meo quidem judicio, principem? imperiti homines, &
C a litteris alieni, quum ad aliquam regionem longinquam profecturi sunt, nihil antiquius habent, quàm ut linguam condiscant illius, ad quam proficisci cogitant, nationis; intelligunt nimirum etiam indoctissimi, se cum hominibus, quorum linguam ignorent, commodè non posse versari. Nam hominem esse homini vident animantis mutæ loco, quicum linguæ commercio non conjungitur; quapropter, etsi abhorrent a studio, nec ferre consueve-
D runt discendi laborem, tamen utilitatis gratiâ, ne quotiescumque cum alienigenis loquendum est, interpretem semper desiderent, peregrini sermonis, & sæpe barbari scientiam sibi putant assumendam. Nolite existimare, Juvenes ornatissimi, quemquam negotiationis, & commutandarum mercium causâ tam longinquam peregrinationem suscepisse, quàm est suscepta a vobis, quum sordidis curis relictis, ad sapientiæ studia animum appuli-
E stis; neque enim tantum a Gadibus Ganges, quantum a sapientiâ distat inscitia; præclara peregrinatio, & laudabilior illâ, quam Pythagoras, Democritus, Plato, & Apollonius susceperunt; illi enim, ut Ægyptios tantummodo Sacerdotes, vel Italicos Philosophos, vel Persarum Magos, Indorumque sapientes audirent; vos, ut ad sapientiam ipsam perveniretis, vobis laborandum putavistis. Veruntamen, quod faceretis omnino, si ad aliquam regionem
F longinquam venissetis, in qua vobis esset necesse diutiùs commorari, ut, si non antea licuisset, in eo ipso loco saltem gentis illius linguam disceretis; idem vobis censeo faciendum hoc tempore, quo ad hoc sapientiæ regnum venistis, ut Græcas litteras condiscatis. Hic enim patrius

est sapientum, sapientiæque sermo; nisi verò in eruditione Græcâ, hoc est in maxi- G
mâ, præstantissimaque litterarum parte semper hospites esse vultis, & peregrini; nam animadvertite, quæso, quantâ cum studiorum jacturâ Græcæ litteræ ignorentur. Latinam linguam siquis nesciat, habetur indoctus, & meritò; si quidem eum multis in rebus esse rudem, & magnæ suavitatis expertem necesse est, quæ ex lectione percipitur Latinorum. Equidem latinas litteras, pro eo ac debeo, semper plurimi feci; sed tamen dicam quod sentio, H
& quod mecum sentiunt eruditi; Græcæ litteræ plus ad doctrinam conferunt, quàm Latinæ; quum omnia a Græcis Auctoribus & explicata sint diligentiùs, & disputata subtiliùs.

Quis enim medendi vias, plantarum, animalium, lapidum medicas potestates tradidit accuratiùs? quis terrarum situm descripsit elegantiùs? astrorum motum tam varium, tamque mirabilem solertiùs explicavit? geometricas rationes excogita- I
vit acutiùs, quàm Græci sapientes? quis denique de rerum naturâ doctiùs, de moribus graviùs, de disserendi ratione subtiliùs, de Deo ipso, rebusque divinis diviniùs disputavit? Adde infinitum historicorum numerum, oratorum, poëtarum: adde grammaticos: adde philologos: adde Auctores ambigui tituli: adde jurisconsultos, & Græcorum Principum sanctiones; jam Græcam Linguam bonis Auctoribus longè ditiorem, quàm Latinam, & discen- K
tibus utiliorem fateberis. Atque hoc non solùm docti, verùm etiam indocti vident; sed nescio quonam fato litteris pernicioso, atque infesto inolevit animis hominum, atque inveteravit opinio quædam; quæ nisi e studiosorum mentibus evellitur, actum est de litteris non solùm Græcis, verùm etiam Latinis, atque adeo de omni humanitate, atque elegantiore doctrinâ; & ad antiquam barbariem, & inscitiam brevi revolvamur, necesse est. Putant ho- L
mines imperiti, nihil esse causæ, cur tantum operæ, tantum temporis in Græcis litteris consumamus; quum omnes ferè Græcos Auctores non in latinum modò sermonem, sed in hunc nostrum vernaculum ab eruditis viris conversos esse videamus. Quod quum disputant homines, nequid gravius in eos dicam, veritatis ignari non animadvertunt, ne Latinam quidem linguam magnopere necessariam futuram, si interpretum laboribus contenti M
esse possemus. Sed mihi credite, Auditores, si veram, solidamque, non fucatam sapientiam affectamus, nullo modo possumus. Interpretibus ego credam? interpretum scriptis ego contentus esse possim? scilicet numquam fallunt, numquam alluci-

lucinantur, semper accuratissimi, & sum-
A mâ cum fide bonorum Auctorum scripta
convertunt: crederem; sed interpretum
doctissimos animadverto sæpenumero Au-
ctorum non esse mentem assecutos. Quem
enim Angelo Politiano Græcæ Linguæ
peritiorem, omni eloquentiæ genere cla-
riorem, eminentioremque in studiis litte-
rarum possumus nominare? atque is ta-
men vir tantus in Herodiani versione pul-
cherrimâ multa non satis diligenter ex-
pressit, & ab Auctoris mente nonnumquam
B aberravit. Quid Erasmo Rotherodamo
quemquam ad Græcos interpretandos pu-
tamus vel ingenio majore, vel Græcarum
scientiâ litterarum, vel multiplici rerum
cognitione instructiorem accessisse? Quan-
tum autem ejus interpretationibus tribu-
endum sit, illi viderint, qui tamquam Si-
byllæ foliis, aut Hammonis oraculo, fidem
adhibent interpretum auctoritati; mihi cer-
tè videtur interdum imperitos Græcæ lit-
teraturæ neglexisse; neque magnopere ca-
C vendum sibi, ne ipsos in errorem induce-
ret, censuisse; qui, ut uno sim interea
contentus exemplo ad id, quod mihi pro-
posui ostendendum, maximè accommo-
dato, in versione libelli, quem de tuendâ
valetudine Plutarchus conscripsit, tradere
non dubitaverit, phœnicis avis unicæ, &
fabulosæ cerebrum suave quidem esse gu-
statu, sed capitis dolores ciere; quum Plu-
tarchus hæc de palmæ scripserit medullâ,
quæ cerebrum tam a Græcis, quàm a La-
D tinis appellatur. Atque eodem in loco Plu-
tarchi eodem errore labitur Xilander. I-
ta unius voculæ ambigua significatio duo-
bus eruditissimis viris tenebras offudit;
quibus tamen concedendum est minùs ac-
curatè Græca vertentibus; quum Cicero-
nem ipsum, cujus eruditione, & eloquen-
tiâ insolentis Græciæ fastum retundimus,
anima averterint eruditi in Græcorum sen-
tentiis interpretandis non semper diligen-
ter, & sincerâ fide esse versatum. Invitus
E in hac Orationis parte versor, Auditores,
qua mihi de clarissimorum, doctissimorum-
que hominum negligentiâ video esse di-
cendum, sed veniam dabitis Orationi meæ;
non enim ad hanc studio, atque libidine
de cujusquam laude quidquam detrahen-
di, sed necessitate delati sumus; quum vel-
lemus intelligi sæpenumero interpretum
vulgus falli; quum eorum principes non-
nunquam decipiantur. Quid enim, inquit
Horatius:

F *Cæcilio, Plautoque dabit Romanus adem-*
ptum
Virgilio, Varoque?......

At ego non dico, quid Cæcilio, Plauto-
que doctissimis viris, elegantissimisque poë-
tis; sed quid mediocriter eruditis homini-
bus tribuemus, quod Angelus Politianus,
Erasmus Rotherodamus, Cicero ipse non
sit consequutus? nam utinam Politiano, G
aut Erasmo similes interpretes haberemus!
præclarè nobiscum, præclarè cum Græcis
Auctoribus ageretur. Nunc autem illud e-
tiam perincommodè cecidit, ut interpre-
tandi munus, provinciamque difficilli-
mam suscipiant interdum homines, qui,
quum nominis celebritatem aliâ ratione
consequi non possint, se se ad illud studio-
rum genus potissimùm conferunt, quo ver-
tendis illustrium Auctorum scriptis ex alie-
no splendore nonnihil obscurissimo nomi- H
ni suo claritatis aspergant; & quemadmo-
dum arbores illæ, quæ satis validis radici-
bus, & trunci firmitate nituntur, non
ipsæ modò se, &, ut Poëta Latinus ait,
ingentem sustinent umbram, verum etiam,
si quid oneris accedat, si qua vis major
incumbat extrinsecus, ferunt; neque um-
quam ponderis magnitudine opprimuntur;
at illæ plantæ, quæ radicibus hærent inva-
lidis, neque satis firmæ suapte naturâ
sunt, se se ad alias applicant robustiores, I
quibus adhærescant, & adversùs injuriam
tempestatum, & ventorum impetum de-
fendantur; ita sæpenumero usuvenit, ut
qui ingenio maximè valent, & altiores,
ut ita dicam, radices egerunt eruditionis,
atque doctrinæ, suis inventis, suâ gloriâ
nitantur; qui verò & ingenio, & rerum
scientiâ destituuntur, aliorum scriptis,
tamquam hederæ parietibus, adhærescant,
& his emendandis, an depravandis? ver-
tendis, an pervertendis? eruditi nomen K
tueri, existimationemque quoquo modo
sustinere conentur; magno mehercule,
vel potius maximo cum studiosorum de-
trimento; non enim solùm bonos Aucto-
res plurimis, atque pudendis erroribus re-
ferserunt, sed etiam, quum eloquentiâ pa-
rum valerent, adeo inscienter, atque ille-
pidè transtulerunt, ut propter obscuritatem,
absurditatemque sermonis, eorum lectio
ab omnibus propemodum negligatur.
Nam ita naturâ comparatum est, ut om- L
nis versionum pulchritudo ex interpre-
tum oriatur facultate, non Auctorum;
quam profectò ob causam, sicut animad-
verti facilè potest, ea, quæ ex aliâ linguâ
conversa leguntur, Auctorum suorum glo-
riæ sæpenumero non respondent; pluri-
mùmque ab eorum virtutibus, elegantiâ,
nitore, copiâ, gravitate desciscunt, &
quemadmodum plantæ, quæ propriæ sunt
alicujus regionis, in alienum solum tran-
slatæ degenerant, ita Auctorum scripta in
peregrinum conversa sermonem, quidquid M
elegantiæ, virium, nativi splendoris ha-
buerunt, amittunt. Quamobrem, nisi illa
interpretis divina quædam, admirabilisque
facultas illuminet, & exornet, jaceant Au-
ctores boni, & contemnantur, necesse est;
nec

nec fanè multum a malis difcrepare vide-
A antur. Vidit hoc prudentiffimè Indus ille
Mandanes gymnofophiftarum fui tempo-
ris clariffimus; quapropter quum Alexan-
dri Magni rogatu de bene, beateque vi-
vendi ratione fermonem effet habiturus,
orationis initio permoleftè fe, graviterque
ferre dixit, quod, quum interprete uti
propter ignorantiam Græcæ Linguæ co-
geretur, provideret futurum, ut ipfius o-
ratio non multum prodeffe audientibus
poffet, & ab imperitorum fermone nihil pro-
B pemodum difcreparet. Præclara verò, &
digna Indorum fapientium principe vox!
nam quum, ut doctiffimis viris placuiffe
video, verba fint notæ, & fimulacra quæ-
dam eorum, quæ cogitantur, indifertus
interpres cogitata fapientum, non meliùs
expreflerit, quàm pulchram faciem impe-
ritus pingendi; & quemadmodum Coæ Ve-
neris, & Olympici Jovis pulchritudinem,
majeftatemque nemo fatis commodè poffit
imitari, nifi qui par Apelli, Phidiæque fue-
C rit, aut ad eorum artificium, atque inge-
nium immortale, ac pœne divinum proxi-
mè acceflerit; fic præcellentiffimorum ho-
minum fententias nemo, nifi, qui eorum
doctrinam fingularem fuerit, & eloquen-
tiam confecutus, dignè reddiderit, atque
expreflerit interpretando. Quod nemini,
vel paucis contigiffe, quid attinet dicere?
non enim tam effent admirabiles illi, qui
doctrinæ, & eloquentiæ principes haben-
tur, fi multi pares, aut fimiles eorum paf-
D fim invenirentur. Sed fi qui tamen præ-
ter Græcos hujus excellentiffimæ laudis,
& fummæ gloriæ compotes fuerunt; illi
certè non fuerunt, qui laboris, & indu-
ftriæ laude contenti, omne fuum ftudium
ad Auctores interpretandos contulerunt.
Quis enim, quum Auctor, inventorque re-
rum præclarus inprimis effe poffit, alieni
operis interpres effe dumtaxat non con-
temnendus velit; & quum ei liceat prin-
cipem locum obtinere, & ad fummam in-
E genii laudem pervenire, extremam, & te-
nuiffimam concupifcat? Interpretes ergo
hi funt habendi vobis, Adolefcentes or-
natiffimi (ad vos enim omnis mea perti-
net, & fpectat Oratio) qui illuftrium Au-
ctorum, & fapientiæ principum, vim, gra-
vitatem, elegantiam nullo modo confe-
quantur; qui fæpenumero vos in erro-
rem inducant; qui clariffimis auctorum lo-
cis multum caliginis afferant, & obfcurita-
tis; qui fuæ orationis ineleganti ftructurâ
F fcriptoribus longè fuaviffimis multum in-
fuavitatis afpergant; qui vos denique fic
accipiant, ut, quum omnia fumma fe-
ceritis, tantum tamen ab eorum, qui fa-
pientiæ ftudium cum Græcis litteris co-
njunxerunt, induftriâ vincamini, quan-
tum interpretes a præftantiffimorum Au-
ctorum doctrinâ, & eloquentiâ abfue-
runt? Quæ fi gravia funt, & ingeniofis G
adolefcentibus haudquaquam ferenda; ex-
pergifcimini aliquando, & dum otio a-
bundatis, negotium Græcæ litteraturæ, ne,
quæfo, infuper habetote; ne vos olim fe-
rò neglexiffe pœniteat, quod fuerat didi-
ciffe pulcherrimum. Quò enim longiùs in
fapientiæ ftudio proceflerítis, clariùs, & a-
pertius vobis apparebit, eam viam, qua pleri-
que fine Græcæ Linguæ cognitione fapien-
tiam petunt, faciliorem quidem, pronio-
remque principio videri, progredientibus H
autem afperiorem, & multis laboribus,
& difficultatibus obfitam, & refertam; eam
autem, quam admodum pauci ingrediun-
tur, fubfidio fibi Græcam litteraturam com-
parantes, perfimilem effe Virtutis viæ,
quam Prodicus ille fapiens, Hefiodufque
defcripfit; nam habet quidem primò non-
nihil afperitatis, fed qui modicum labo-
rem conftanter pertulerit, facilem, pro-
nam, & amœniffimam experitur. Nam præ-
terquam quòd omnia jucundiùs e puriffi- I
mis Græcorum fontibus hauriuntur; & fi-
ve fructus doctrinæ, five flores eloquentiæ
defideres, magis juvat intactos, illibatof-
que decerpere; fic omnes difciplinæ ex
Græcis litteris aptæ funt, eumiifque con-
junctæ, atque connexæ, ut ne nominari
quidem nifi Græce poffint; nec folùm no-
mina difciplinarum, fed etiam res, quæ
difciplinis continentur, Græcis nomini-
bus appellentur. Nihil enim propemo-
dum eft in mathematicis, nihil in planta- K
rum hiftoriâ, nihil in eâ, quam anato-
men Græci dicunt, nihil in medendi ar-
te, Muficâ, Architecturâ, quod, etiamfi
aliâ linguâ loqui velis, Græcis vocabulis
non fit neceffariò nominandum. Ipfa ju-
rifprudentia, ipfa liberaliffimarum artium
regina philofophia, humanæque litteræ, &
divinæ Græcis vocibus inprimis abundant;
adeo ut, quod nuper fignificavi, fapientia
alio fermone loqui nefcire, quàm Græco,
& ceteræ Linguæ, quum ab hac unâ dif- L
cefferis, in ftudiis litterarum mutæ prope-
modum, & ut ita dicam, elingues effe vi-
deantur. O præclaram igitur Græcæ Lin-
guæ cognitionem! o beatam Grajurum co-
piam! o Græcas litteras omnibus litterarum
ftudiofis addifcendas! quid enim aliud a-
gemus ifti innumerabilium, quæ in om-
nibus reperiuntur facultatibus, vocabu-
lorum vim, proprietatemque penitus igno-
rabimus? at his non intellectis, ne res ipfæ
quidem intelligi poffunt: an eorum figni-
ficatum, quum res erunt addifcendæ, quæ- M
remus? at eft hoc incommodum, & la-
boriofum; deinde fine Græcæ Linguæ
fcientiâ ne fieri quidem fatis exactè po-
teft. Quamobrem fæpiùs propemodum ac-
cidit, ut imperitus rerum, linguæ peritus

ex vi,

lucinantur, semper accuratissime, & sum-
A mâ cum fide bonorum Auctorum scripta
convertunt: crederem; sed interpretum
doctissimos animadverto sæpenumero Au-
ctorum non esse mentem assecutos. Quem
enim Angelo Politiano Græcæ Linguæ
peritiorem, omni eloquentiæ genere cla-
riorem, eminentioremque in studiis litte-
rarum possumus nominare? atque is ta-
men vir tantus in Herodiani versione pul-
cherrimâ multa non satis diligenter ex-
pressit, & ab Auctoris mente nonnumquam
B aberravit. Quid Erasmo Rotherodamo
quemquam ad Græcos interpretandos pu-
tamus vel ingenio majore, vel Græcarum
scientiâ litterarum, vel multiplici rerum
cognitione instructiorem accessisse? Quan-
tum autem ejus interpretationibus tribu-
endum sit, illi viderint, qui tamquam Si-
byllæ foliis, aut Hammonis oraculo, fidem
adhibent interpretum auctoritati; mihi cer-
tè videtur interdum imperitos Græcæ lit-
teraturæ neglexisse; neque magnopere ca-
C vendum sibi, ne ipsos in errorem induce-
ret, censuisse; qui, ut uno sim interea
contentus exemplo ad id, quod mihi pro-
posui ostendendum, maximè accommo-
dato, in versione libelli, quem de tuendâ
valetudine Plutarchus conscripsit, tradere
non dubitaverit, phœnicis avis unicæ, &
fabulosæ cerebrum suave quidem esse gu-
statu, sed capitis dolores ciere; quum Plu-
tarchus hæc de palmæ scripserit medullâ,
quæ cerebrum tam a Græcis, quàm a La-
D tinis appellatur. Atque eodem in loco Plu-
tarchi eodem errore labitur Xilander; i-
ta unius voculæ ambigua significatio duo-
bus eruditissimis viris tenebras offudit;
quibus tamen concedendum est minùs ac-
curatè Græca vertentibus; quum Cicero-
nem ipsum, cujus eruditione, & eloquen-
tiâ insolentis Græciæ fastum retundimus,
animadverterint eruditi in Græcorum sen-
tentiis interpretandis non semper diligen-
ter, & sincerâ fide esse versatum. Invitus
E in hac Orationis parte versor, Auditores,
qua mihi de clarissimorum, doctissimorum-
que hominum negligentiâ video esse di-
cendum, sed veniam dabitis Orationi meæ;
non enim ad hanc studio, atque libidine
de cujusquam laude quidquam detrahen-
di, sed necessitate delati sumus; quum vel-
lemus intelligi sæpenumero interpretum
vulgus falli; quum eorum principes non-
nunquam decipiantur. Quid enim, inquit
Horatius:

F *Cæcilio, Plautoque dabit Romanus adem-*
ptum
Virgilio, Varoque?......

At ego non dico, quid Cæcilio, Plauto-
que doctissimis viris, elegantissimisque poë-
tis; sed quid mediocriter eruditis homini-
bus tribuemus, quod Angelus Politianus,
Erasmus Rotherodamus, Cicero ipse non
sit consequutus? nam utinam Politiano, G
aut Erasmo similes interpretes haberemus!
præclarè nobiscum, præclarè cum Græcis
Auctoribus ageretur. Nunc autem illud e-
tiam perincommodè cecidit, ut interpre-
tandi munus, provinciamque difficilli-
mam suscipiant interdum homines, qui,
quum nominis celebritatem aliâ ratione
consequi non possint, se se ad illud studio-
rum genus potissimum conferunt, quo ver-
tendis illustrium Auctorum scriptis ex alie-
no splendore nonnihil obscurissimo nomi- H
ni suo claritatis aspergant; & quemadmo-
dum arbores illæ, quæ satis validis radici-
bus, & trunci firmitate nituntur, non
ipsæ modò se, &, ut Poëta Latinus ait,
ingentem sustinent umbram, verum etiam,
si quid oneris accedat, si qua vis major
incumbat extrinsecus, ferunt; neque um-
quam ponderis magnitudine opprimuntur;
at illæ plantæ, quæ radicibus hærent inva-
lidis, neque satis firmæ suapte naturâ
sunt, sese ad alias applicant robustiores, I
quibus adhærescant, & adversus injuriam
tempestatum, & ventorum impetum de-
fendantur; ita sæpenumero usuvenit, ut
qui ingenio maximè valent, & altiores,
ut ita dicam, radices egerunt eruditionis,
atque doctrinæ, suis inventis, suâ gloriâ
nitantur; qui verò & ingenio, & rerum
scientiâ destituuntur, aliorum scriptis,
tamquam hederæ parietibus, adhærescant,
& his emendandis, an depravandis? ver-
tendis, an pervertendis? eruditi nomen K
tueri, existimationemque quoquo modo
sustinere conentur; magno mehercule,
vel potius maximo cum studiosorum de-
trimento; non enim solùm bonos Aucto-
res plurimis, atque pudendis erroribus re-
ferserunt, sed etiam, quum eloquentiâ pa-
rum valerent, adeo inscienter, atque ille-
pidè transtulerunt, ut propter obscuritatem,
absurditatemque sermonis, eorum lectio
ab omnibus propemodum negligatur.
Nam ita naturâ comparatum est, ut om- L
nia versionum pulchritudo ex interpre-
tum oriatur facultate, non Auctorum;
quam profectò ob causam, sicut animad-
verti facilè potest, ea, quæ ex aliâ linguâ
conversa leguntur, Auctorum suorum glo-
riæ sæpenumero non respondent; pluri-
mùmque ab eorum virtutibus, elegantiâ,
nitore, copiâ, gravitate desciscunt, &
quemadmodum plantæ, quæ propriæ sunt
alicujus regionis, in alienum solum tran-
slatæ degenerant, ita Auctorum scripta in
peregrinum conversa sermonem, quidquid M
elegantiæ, virium, nativi splendoris ha-
buerunt, amittunt. Quamobrem, nisi illa
interpretis divina quædam, admirabilisque
facultas illuminet, & exornet, jaceant Au-
ctores boni, & contemnantur, necesse est;
nec

nec sanè multum a malis discrepare (A) videantur. Vidit hoc prudentissimè Indus ille Mandanes gymnosophistarum sui temporis clarissimus; quapropter quum Alexandri Magni rogatu de bene, beateque vivendi ratione sermonem esset habiturus, orationis initio permolestè se, graviterque ferre dixit, quod, quum interprete uti propter ignorantiam Græcæ Linguæ cogeretur, provideret futurum, ut ipsius oratio non multum prodesse audientibus posset, & ab imperitorum sermone nihil pro(B)pemodum discreparet. Præclara verò, & digna Indorum sapientium principe vox! nam quum, ut doctissimis viris placuisse video, verba sint notæ, & simulacra quædam eorum, quæ cogitantur, indisertus interpres cogitata sapientum, non meliùs expresserit, quàm pulchram faciem imperitus pingendi; & quemadmodum Coæ Veneris, & Olympici Jovis pulchritudinem, majestatemque nemo satis commodè possit imitari, nisi qui par Apelli, Phidiæque fue(C)rit, aut ad eorum artificium, atque ingenium immortale, ac pæne divinum proximè accesserit; sic præcellentissimurum hominum sententias nemo, nisi, qui eorum doctrinsm singularem fuerit, & eloquentiam consecutus, dignè reddiderit, atque expresserit interpretando. Quod nemini, vel paucis contigisse, quid attinet dicere? non enim tam essent admirabiles illi, qui doctrinæ, & eloquentiæ principes habentur, si multi pares, aut similes eorum pas(D)sim invenirentur. Sed si qoi tamen præter Græcos hujus excellentissimæ laudis, & summæ gloriæ compotes fuerunt; illi certè non fuerunt, qui laboris, & industriæ laude contenti, omne suum studium ad Auctores interpretandos contulerunt. Quis enim, quum Auctor, inventorque rerum præclarus inprimis esse possit, alieni operis interpres esse dumtaxat non contemnendus velit; & quum ei liceat principem locum obtinere, & ad summam in(E)genii laudem pervenire, extremam, & tenuissimam concupiscat? Interpretes ergo hi sunt habendi vobis, Adolescentes ornatissimi [ad vos enim omnis mea pertinet, & spectat Oratio] qui illustrium Auctorum, & sapientiæ principum, vim, gravitatem, elegantiam nullo modo consequantur; qui sæpenumero vos in errorem inducant; qui clarissimis auctorum locis multum caliginis afferant, & obscuritatis; qui suæ orationis ineleganti structurâ scriptoribus longè suavissimis multum in(F)suavitatis aspergant; qui vos denique sic accipiant, ut, quum omnia summa feceritis, tantum tamen ab eorum, qui sapientiæ studium cum Græcis litteris conjunxerunt, industriâ vincamini, quantum interpretes a præstantissimorum Auctorum doctrinâ, & eloquentiâ absuc(G)runt? Quæ si gravia sunt, & ingeniosis adolescentibus haudquaquam ferenda; expergiscimini aliquando, & dum otio abundatis, negotium Græcæ litteraturæ, ne, quæso, insuper habetote; ne vos olim serò neglexisse pæniteat, quod fuerat didicisse pulcherrimum. Quò enim longiùs in sapientiæ studio processeritis, clariùs, & apertiùs vobis apparebit, eam viam, qua plerique sine Græcæ Linguæ cognitione sapientiam petunt, faciliorem quidem, proniorem(H)que principio videri, progredientibus autem asperiorem, & multis laboribus, & difficultatibus obsitam, & refertam; eam autem, quam admodum pauci ingrediuntur, subsidio sibi Græcam litteraturam comparantes, persimilem esse Virtutis viæ, quam Prodicus ille sapiens, Hesiodusque descripsit; nam habet quidem primò nonnihil asperitatis, sed qui modicum laborem constanter pertulerit, facilem, pronam, & amœnissimam experitur. Nam præ(I)terquam quòd omnia jucundiùs e purissimis Græcorum fontibus hauriuntur; & sive fructus doctrinæ, sive flores eloquentiæ desideres, magis juvat intactos, illibatosque decerpere; sic omnes disciplinæ ex Græcis litteris aptæ sunt, cum iisque conjunctæ, atque connexæ, ut ne nominari quidem nisi Græce possint; nec solùm nomina disciplinarum, sed etiam res, quæ disciplinis continentur, Græcis nominibus appellentur. Nihil enim propemodum est in mathematicis, nihil in planta(K)rum historiâ, nihil in eâ, quam anatomen Græci dicunt, nihil in medendi arte, Musicâ, Architecturâ, quod, etiamsi aliâ linguâ loqui velis, Græcis vocabulis non sit necessariò nominandum. Ipsa jurisprudentia, ipsa liberalissimarum artium regina philosophia, humanæque litteræ, & divinæ Græcis vocibus inprimis abundant; adeo ut, quod nuper significavi, sapientia alio sermone loqui nescire, quàm Græco, & ceteræ Linguæ, quum ab hac unâ dis(L)cesseris, in studiis litterarum mutæ propemodum, & ut ita dicam, elingues esse videantur. O præclaram igitur Græcæ Linguæ cognitionem! o beatam Grajorum copiam! o Græcas litteras omnibus litterarum studiosis addiscendas! quid enim aliud agemus sine innumerabilium, quæ in omnibus reperiuntur facultatibus, vocabulorum vim, proprietatemque penitus ignorabimus? at his non intellectis, ne res ipsæ quidem intelligi possunt: an eorum signi(M)ficatum, quum res erunt addiscendæ, quæremus? at est hoc incommodum, & laboriosum; deinde sine Græcæ Linguæ scientiâ ne fieri quidem satis exactè potest. Quamobrem sæpiùs propemodum accidit, ut imperitus rerum, linguæ peritus

ex vi,

ex vi, & proprietate vocis, rei naturam
A cognoscat, quàm ut ignarus linguæ ex
cognitione rerum, quæ sit vocabulorum
vis, proprietas, origo, perfectè, planeque
intelligat. Quàm autem cavendom nobis,
ne quum artem profiteamur, quid ejus nomen
propriè significet, ignoremus, innumerabilium
præterea vocum, quæ ad eandem
pertinent, significatum nesciamus?
Nisi verò, quemadmodum Demosthenem
accepimus, quum primùm animum appulit
ad studium dicendi, Rhetoricæ nomen
B rectè pronunciare non potuisse, ita nos
facultatis nomen, coi studemus, innumeraque
præterea, quæ in eâ sunt, vocabula
haudquaquam pudebit exponere non posse,
& enarrare; & quum ille exercitatione
assiduâ, labore improbo, linguæ vitium
correxerit, nos mentis inscitiæ medendum
non putabimus. Præsertim quum hic labora
nobis in Græcâ Linguâ discendâ susceptus,
non ad hanc rem modò sit nobis,
sed ad alias res plurimas profuturus; in-
C credibile est enim quantum vel hoc nomine,
quòd rerom cognitione dignissimarum
nomina Græcarum scientiâ litterarum intelliguntur,
earum studium & varietatis
habeat, & eruditionis. Sed ut de aliis interim
sileamus, Latinæ certè litteræ sine
Græcis videntur quodammodo claudicare:
jam omnis historiæ, omnis rerum humanarum
cognitio quantum Græcarum beneficio
litterarum & ornetur, & augeatur,
si persequi diligenter velimus, & pruden-
D tiæ vestræ, Auditores, & eruditionis obliti
esse videamur. Quòd si voluptatem spectemus,
quæ cum honestate conjuncta plurimi
certè facienda est; quanto amore, &
studio Græcarum litterarum tandem inflammari
debemus? nihil enim suavius, amœnius,
dulcius, jucundius omnino potest
inveniri. Nam ut omittam illam, quæ
propriè ex Linguæ sono percipitur, suavitatem,
quam ipsi Latini, & Quinctilianus
gravis inprimis Auctor longè majorem in
E Græcâ, quàm in Latinâ esse linguâ tradiderunt;
ut nihil dicam de ornamentis,
quibus longè Græcam, quàm Latinam orationem
ditiorem esse Cicero judicavit;
ob eamque causam, quum in dicendi arte
sese exerceret, ferè semper Græcè dicitur
declamasse; ut sileam de multitudine
Auctorum, & varietate; præteream mirificam
quandam animi delectationem, quæ
ex multiplici rerum cognitione percipitur;
quid Græcorum carminum teneritudine
F mollius, jucunditate dulcius, majestate sublimius?
quid pedestris orationis numeris
absolutius, gravitate præstantius, omni elegantiâ,
& lepore conditius? Jam illa
quantâ cum delectatione cognoscimus, &
admiramur, sublimitatem, latitudinemque
Platonis, Xenophontis inaffectatam jucunditatem,
magniloquentiam Pindari, maje-
statem, & affectus Homeri, Demosthenis G
nervos, Lysiæ subtilitatem, Isocratis ornamenta,
Herodoti suavitatem, Thucydidis
prudentiam, & verborum, sententiarumque
gravitatem? Quid, quum Græcæ principes
eloquentiæ cum Latinis, qui sunt
eorum simillimi, cœpimus comparare, &
Latium cum Græciâ non de imperii gloriâ,
sed de ingenii principatu cogimus decertare?
quantâ cum animi voluptate Homerum,
& Virgilium; Demosthenem, & Ciceronem;
Thucydidem, & Sallustium; Hero- H
dotom, & Livium; Xenophontem, & Cæsarem
duos clarissimos duces, præstantissimosque
scriptores committimus? Verumtamē,
quantam ex Græcis litteris percipiamus voluptatem,
faciliùs intelligitur experiendo,
quàm exprimitur eloquendo. Maximam
verò percipi non uno, sed innumerabilibus
testimoniis possumus confirmare; testis
est enim omnis antiquitas, omnes propemodom
eruditi, testes innumeræ nationes,
testes locupletissimi, gravissimique Ma- I
jores nostri, qui numquam tam cupidè
Græcas litteras appetivissent; neque in
Græcis exemplaribus versandis tam insatiabili
studio essent, & tantâ assiduitate versati,
nisi incredibili animi voluptate ducerentur.
Fuit enim, fuit tempus illud,
quum Italia universa, & inprimis Etruria
ingenti Græcarum studio litterarum accensa
exteras etiam nationes eadem cupiditate
sapientiæ inflammavit. Nimirum sapientissimi
homines Majores nostri, quò K
propiùs aberant ab illo calamitosissimo
tempore, quo ab extremis, atque incognitis
terrarum oris effusa barbaries, & Italiæ,
aliisque provinciis torrentis modo superfusa,
omnem Græcarum splendorem litterarum,
omne humanitatis lumen extinxerat,
eo majore studio, & vehementiore animi
contentione ad Græcas litteras incumbendum
arbitrabantur. Nam quum
ipsi viderent, & a patribus accepissent,
quantas ignoratio Græcæ litteraturæ inge- L
niis tenebras attulisset, committendum sibi
non putabant, ut sæculum suum, cujus
erant ipsi, præcipua ornamenta, & lumina,
in tantâ versari ignorantiæ caligine
paterentur. Quapropter Italia eâ tempestate,
cum ceteris artibus liberalissimis, atque
doctrinis, tum maximè Græcâ eruditione
florebat. Nunc autem, quamquam
hæc magnorum virorum, atque clarorum
mater excellentissimis ingeniis abundat, &
otio, & diuturnâ pace floret, in hac quidem
Græcæ litteraturæ laude non satis an- M
tiquorum gloriæ respondet; & quasi simus
obliti id, quod millies legimus, & a doctissimis
viris dictum accepimus, omnem
liberalem doctrinam, omnem elegantiam,
humanitatemque Græcis litteris contineri;
ne-

ri; neque aliâ de causâ tum, quum il-
A la barbaries in Italiæ visceribus versaretur, tantopere ingenia, artesque præclaras jacuisse, quàm quòd Græcarum studia litterarum negligerentur; nullum omnino laborem suscipiendum putamus, ut earum scientiam maximè necessariam comparemus; tantumque a Majorum nostrorum indostriâ absumus, ut illi jacentes nimiùm diu bonas litteras erexerint, & afflictas excitarint; nos ad summum gloriæ fastigium evectas propemodum af-
B flixerimus: illi pulcherrimam nobis laudem pepererint; nos partam tueri non possimus: illi exemplo fuerint exteris nationibus; nos earumdem exemplo ad præclara studia capessenda non incitemur. Nam hoc etiam usuvenire videmus; quòd, nisi jaceret industria, & vetus Italorum gloria propemodum obsolevisset, stimulos nobis quam acerrimos addere, & ingeniis quasdam quasi faces admovere deberet; ceteræ nationes, in quibus est aliquid hu-
C manitatis, in Græcarum studiis litterarum magno cum labore, majore eum doctrinæ, & industriæ laude versantur, & quæ olim barbaræ habebantur, nobis, nobis, inquam, in Principe terrarum provinciâ natis, doctrinæ gloriâ comparantur; & quantum naturalibus bonis Italorum, ingenio, prudentiaque vineuntur, tantum industriâ, labore, studio, & hac præcipuè Græcæ litteraturæ laude se se nobis anteponunt; ut jam verendum nobis esse videatur, ne il-
D læ omni humanitate politissimæ, nos contra barbari habeamur; qui genus illud litterarum, a quo omnis eloquentia, omnisque doctrina profluxit, repudiemus. Quod omnibus quidem, qui gloriæ student Italorum, ne meritò dici possit, optandum; sed vobis, Adolescentes, ne accidat magnopere providendum est. Vos, qui non solùm ingenio, sed otiu quoque abundatis, restituere Italiæ priscum litterarum decus, imitari Majorum industriam, nec ob-
E solescere pati debetis, quam illi sibi, & vobis gloriam summo cum labore pepererunt. Equidem, quum ad vestrum, Juvenes ornatissimi, cœtum mihi multò jucundissimum oculos, cogitationemque converti, certissimam spem concipio futurum brevi, ut hane Italiæ laudem prope jam senescentem, ac pæne intermortuam ab interitu vindicetis. Hic enim video collectum Etruscæ juventutis florem, ex aliis præterea Italiæ populis lectissimos juvenes,
F ingeniosissimosque video; si bene vestram indolem præstantem, atque præclaram, si laudabiles impetus animorum novi, non eritis profectò in studiis litterarum vulgari viâ contenti; sed aliam magis reconditam, altioremque quæretis, & omnem doctrinam, elegantiamque e purissimis, & liquidissimis Græciæ fontibus hauriendam vobis putabitis. Quid enim timeam, ne quod G
inter omnes constare video, id vos, Juvenes ingeniosissimi, non videatis? quare non debeo, Auditores ornatissimi, quod ceteros oratores in orationis extremo facere animadverti, argumenta breviter enumerare, quæ ad id ostendendum, quod proposueram, aptissima judicavi. Occurrunt illa per se, nec Oratoris operam, nec magnopere auditorum diligentiam desiderant; tot enim sunt, quot Auctores omni laude dignissimi Græco sermone scri- H
pserunt; tam autem perspicua, quàm perspicuum est Græcos omnium artium liberalium vias, nobilissimarumque disciplinarum tradidisse. Hebraicam linguam nonnulli discunt propter sacras litteras; Arabicam non pauci propter nonnullos Auctores, qui eo sermone medicinæ præcepta litteris mandaverunt; Græcorum Lingua dumtaxat a studiosis omnibus addiscenda est; quum non modò sacræ, sed aliæ litteræ omnes e Græcis fontibus hauriantur. I
An illud potest esse dubium, quin interpretum subsidio uti qui cogitur, non suâ culpâ, sed alienâ frequenter errare cogatur; & illâ voluptate, fructuque maximo, quæ ex Græcorum lectione percipiuntur, carere; quum interpretes obscurè non pauca, perperam multa, plurima non satis diligenter, omnia ferè multo deteriùs, inelegantiusque & vertisse constet, & expressisse? An illud ignoramus, in omnibus disciplinis innumerabiles esse vo- K
ces, quæ ab imperitis Græcæ Linguæ intelligi sine magno labore non possint? An illud, quod, quia notissimum videbatur, breviter, & quasi aliud agentes attigimus; ad plenam videlicet, perfectissimamque Latinæ linguæ cognitionem non utilem modò, sed etiam necessariam esse Græcarum scientiam litterarum; antiquitatis autem memoriam, rerum humanarum studia, iisdem magnâ ex parte contineri? Accedit eodem eximia quædam gloria, & laus L
haudquaquam vulgaris, quæ sequitur ejus linguæ studiosos; quæ quo rarior est in hoc quidem tempore, eo major, præclariorque censenda est: accedit incredibilis delectatio cum summâ utilitate conjuncta, quæ ex Græcæ litteraturæ cognitione, studioque percipitur: accedunt denique exempla omnium propemodum nationum; nam & quum Græcia rerum gestarum gloria florebat, Græcæ Linguæ fines latissimè patuerunt; & posteaquam vetus belli vir- M
tus Græcorum penitus obsolevit, & Romani omnium gentium domitores victricia arma per Orbem terrarum circumtulerunt; nulla fuit neque tam barbara, neque tam inconditis moribus, neque tam a litteris aliena natio, quæ Græca-

rum

rum studia litterarum non celebrarit; ut
A Romani viderentur, non tam imperii sui, quàm Græcæ Linguæ terminos protulisse. Ipsi verò sic eadem studia coluerunt, ut eorum non pauci suavissimè loquerentur, & Græco sermone elegantissimè scriberent; & post illam caliginem temporum, quibus incondita, & efferata barbaries colluvione fœdissimâ omnem litterarum splendorem penitus inquinarat, ubi primum bonarum artium studia post longum postliminium sunt revocata, Græcæ litteræ ab uni-
B versis gentibus, quæ ab humanitate, & doctrinâ non abhorrerent, coli studiosissimè cœperunt, & hoc tempore satis coluntur. Quæ quidem universa non mediocriter commovere nos debent; sed omnium maximè apud nos Majorum nostrorum valere debet auctoritas. Non enim in barbarâ Scythiâ, sed in Etruriâ sumus; ubi doctissimi homines pœne innumerabiles Græcæ litteraturæ gloriâ floruerunt; ubi primùm Græcæ litteræ a squallore, & senio,
C & turpi barbarorum servitio virorum principum beneficio vindicatæ antiquum decus, & pristinam dignitatem recuperarunt. Hic Laurentes illi magni, hic Cosmi, hic alii Augustæ Mediceorum domus proceres cum alia, tum hoc studiorum genus benignissimè, liberalissimeque foverunt: illi adolescentium ingenia ad laudem excitarunt: illi doctissimos viros præmiis, & honoribus affecerunt: illi Græcos codices in situ, & tenebris delitescentes regiis im-
D pensis undique compararunt: illi rem litterariam afflictam, & gravissimo casu prostratam erexerunt: illi Græcorum eruditissimis immanem illam fugientibus tempestatem, quæ barbarorum armis concitata Imperii Græci sedem perculerat, atque everterat, ipsumque Imperium prostraverat, portus, & perfugium tutissimum extiterunt; & quum auctoritate, consilio, rebusque gestis suæ principes ætatis essent, hac laude Græcæ Linguæ promovendi stu-
E dia omnium sæculorum esse voluerunt. Nec mirum, si quum heroicâ animi magnitudine, excellentiaque præstarent, eam Linguam ornandam sibi maximè putaverunt, qua heroum virtutes dignissimè ornari laudibus, & illustrari videbant. Quorum vestigiis insistens ex illorum familiâ ortus, illorum virtutis æmulus, pietatis, religionis, clementiæ laudibus clarissimus Princeps Cosmus III. Magnus Etruriæ Dux, ut omnia egregia, & præclara, sic
F litteras amat, & litteratos benignissimè fovet, & Græcarum litterarum studia præcipuè cupit instaurari. Quod cum ex multis, de quibus mihi dicere non est necesse, tum ex hoc, quod in me contulit, beneficio videor animadvertere; neque enim hanc exoptatissimam provinciam mihi demandasset; & hunc locum longo tempore vacuum ab his, qui Græcam Linguam G
profiterentur, implere voluisset, nisi Majorum suorum exempla sequutus, & hæc studia probasset inprimis, & ad ea incumbendi studiosis omnibus occasionem præbendam censuisset. Quæ quum tanta maximi, præstantissimique Principis extiterit significatio voluntatis, jam jam mihi, quibus argumentis, Juvenes ornatissimi, vobis hæc studia persuadeam, haudquaquam video laborandum, & dicendi finem censeo faciendum. Nam quod argumentum H
efficacius, aut cujus auctoritatem graviorem repertutum me esse confidam, quàm Cosmi Magni Etruriæ Ducis voluntatem?

ORATIO II.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1678.

In solemni instauratione Studiorum.

De Gloriâ Litterarum.

MAgnum mihi dicendi munus injunctum est, magna, ac perdifficilis omnino provincia demandata, excellentissimi Patres, Auditores ornatissimi, quum eorum auctoritate, quibus obsequi I
nobis necesse est, sum coactus hodierno die verba facere de studiis omnium doctrinarum, quibus hoc sapientiæ theatrum celebratur; & litterarios hujus anni labores, quamvis & scientiâ rerum postremus, & eloquentiâ, princeps auspicari. Tanta est enim earum facultatum, quas ex hoc loco laudare veteri instituto jubeor, gloria, dignitas, amplitudo, majestas, ut singulas exornare magni sit ingenii, magnæque doctrinæ; universas autem oratione com- K
plecti, & sapientiæ laudes amplificare dicendo, eximiæ cujusdam, & divinæ, atque inusitatæ eloquentiæ. Quo magis ego, Auditores, qui & ingenio utor infirmo, & usu, & exercitatione dicendi parum valeo, & naturali quodam pudore impedior, vehementer perturbor; & quid agam, & quo me vertam, aut quam omnino viam insistam, nescio; ita se multæ nobis in omnes partes ostendunt, afferuntque ancipitem curam deliberandi. Omnes ego lit- L
terarum laudes coner amplecti, & commoda, quibus augent vitam, & splendorem, & gloriam, quam afferunt, & voluptatem, qua nos afficiunt, & alias earum dotes innumerabiles, ac pæne divinas recensere contendam? infinita omnino oratio,

tio; aliquam ex his præcellentem, exi-
A miamque celebrandam mihi, exornandamque proponam? difficilis planè electio. Quam enim, quæso, sapientiæ laudem, tamquam leviorem præterire, aut quam eligere tamquam graviorem, & præstantiorem possumus; quum omnes inter se quasi certent de principatu, & oratoris animum eximio quodam splendore perstringant, & certatim ad se rapiant? Commemorem utilitates, quibus litterarum beneficio privatæ res augentur? vocant ad se,
B nec se relinqui patiuntur publicæ: publicæ utilitates, ut æquum est, anteponam? sed utilitati gloria, & dignitas antecellit: gloriæ, laudum, dignitatis habeam rationem? sed honestas, & virtus, quibus litteræ animos exornant studiosorum, quomodo prætermitti sine piaculo possunt? honestatem prædicem? est illa quidem augusta, gloriosa, ac maximè prædicanda; sed amara per se, atque aspera, nisi nescio quo pacto studiorum voluptate jucundior.
C Quæ mihi deliberatio longè esset difficilior, Auditores, nisi, quos adhortandos ad studia litterarum suscepissem, cogitarem; sed quum vestram, Juvenes, indolem, vestra præclara studia intueor, vestrum animum ad altissima quæque concupiscenda erectum, & incitatum contemplor, intelligo vos omnia egregia, & præclara spectantes nullâ aliâ re magis, quàm gloriæ, & dignitatis cupiditate, qua optimus quisque incenditur, commoveri. Quamobrem ni-
D hil alienum studiis vestris, nihil indignum gravitate doctissimorum Patrum, nihil abhorrens ab hujus loci amplitudine, ac dignitate me facturum esse confido; si quanræ laudes excitentur, quanta his præclaris artibus, liberalissimisque doctrinis ornamenta dignitatis, & gloriæ comparentur, ostendam. Quæ mea Oratio vobis erit, nisi fallor, non injucunda; nam & vos, Adolescentes ornatissimi, spes vestras meeum recognoscetis; & vos, Patres amplissimi, taciti reputabitis, in quanto vos fastigio ve-
E stri labores collocarint. Neque enim vos ejus gloriæ compotes demonstrabo, quam vulgi plausibus inhiantem, omnesque popularis auras levitatis captantem, & ex levissimorum hominum opinione pendentem gravissimus quisque contemnit, & pro nihilo putat; sed ejus, quæ judicio nixa prudentium, & in clarissimâ luce collocata splendet ipsa per se, neque ullis unquam vulgi sordibus obsolescit; quam a virtute profectam, & cum virtute conjun-
F ctam, etiam sapientes diligunt, admirantur, appetunt; est enim verè lumen vitæ, calcar virtutis, magistra officiorum, comes honestatis, præmium rectè factorum. Hanc ergo gloriam, & dignitatem a litteris, tamquam a purissimis fontibus du-
ei, & derivari dum ostendo, vos oro, ob-
restorque, ut me, sicuti facitis, benignè, G
attenteque audiatis.

Age verò, quanta dignitas, quantusque splendor est sapientiæ! quam illa excelso in loco posita est, & quàm præclara in luce versatur! Non ego hic dicam, quod verè dici possit, omnia parere sapienti, illum solum verè divitem, verè liberum, verè honoratum, verè felicem, verè etiam esse Regem; illum humanis affectibus imperare, non iracundiâ vinci, non invidiâ
tangi, non libidine ferri, non avaritiâ cor- H
rumpi, non timori cedere, non animi anxietate cruciari, non tristitiâ, non mærore, non luctu contabescere; omnia humana infra se posita putare, fortunæ numquam succumbere, sideribus ipsis, Cœloque dominari; quæ quum a doctissimis hominibus disputantur, momenta rationum perpendenti magis admirabiliter dici, quàm non verè videntur; sed illud dicam, quod est proprium magis litterarum,
quodque a Platone in Lyside firmissimis I
argumentis confirmatur, eam esse vim sapientiæ, ut ceteris homines inviti serviant, huic autem dumtaxat fasces ultro submittant, & parere libentiùs velint, quàm ipsi aliis imperare. Quid enim est, cur imperatores exercitu, copiis, igni, ferro, fame, vi gentes in suam redigant potestatem, & servitutem perferre cogant; nemo autem invitus pareat, vel navis gubernatori in tempestate sævâ, vel medico
in affectâ valetudine, vel architecto in do- K
mo extruendâ, vel agricolæ in seminibus terræ committendis, nisi quòd hos, quum plus sciant, justè, & legitimè imperare homines arbitrantur; illos verò libidinis causâ velle aliis importare servitutem, ut ipsi magni, & clari habeantur? Est igitur Sapientia regale quiddam naturâ, quæ non admoto exercitu, non castris positis, non terrore belli circumlato homines dicto audientes esse cogit; sed quod est multo fir-
missimum imperium obtinet, quo subjecti L
lætantur, & servitutem, quam sapientiæ præstant, inconsultæ libertati anteponunt; contra verò stultitia servile quiddam, & abjectum, & sordidum, quæ non modò non aliis facienda præscribere, sed ne rebus quidem suis præesse, aut sibi ipsi possit imperare. Quapropter & furiosos propinquis constringendos tradimus; & quos propter ætatem non satis mente valere arbitramur, eos, eorumve rem alicujus pru-
dentis viri tutelæ, curæve committimus; M
& quos naturâ stultos judicamus, eorum bona aliis administranda mandamus. Atque hoc initium fuisse Regnorum, hinc originem duxisse sanctissimum Regum nomen, & potestatem accepimus; nam quum semper existeret aliquis in civitatibus, qui

sapientiâ ceteris antecelleret; alia multi-
A tudo eum, quem admirabatur, tam de pa-
ce, quàm de bello consulebat, & ejus
consilio non vi, sed volontate regebatur.
Sic Evander in Latio imperium tenuit au-
ctoritate, quam sibi apud rudes populos
conciliaverat miraculo litterarum: sic ille
Nestor, cujus ex ore melle dulcior fluebat
oratio, Pyliis imperavit; quem, ut, quibus
artibus Regnum fuerit consequutus, Ho-
merus ostendat, frequentissimè non Re-
gem, sed oratorem vocat Pyliorum. Nec
B verò Ulyssem, cujus oratio nimbis, & ni-
vibus hibernis comparatur, nec Zoroa-
strem, qui jura Bactrianis dedit, nec Mi-
noëm, qui Cretensibus, nec Numam, qui
Romanis leges condidit, aliâ ratione, quàm
sapientiâ crediderim potitos esse Regno;
nam quid de Ægyptiis Regibus dicam,
quos omnes e numero sapientum sapien-
tissima illa natio eligebat? O præclaram i-
gitur, o eximiam, o singularem sapientiæ
dignitatem! Abeant, ac facessant volgares
C litterarum laudes; nihil humile, nihil ab-
jectum cogito; regnum, ac diademata
molior, & doctorum hominum capiti cir-
cumdo; non enim alia vis est sapientiæ,
alia litterarum; nam quæ sapientiæ pars non
litteris continetur? Litteræ docent, quo
pacto leges condendæ, administrandæ Res-
publicæ, resque privatæ; quid æquum,
quid iniquum, quid utile, quid honestum
definiunt; de re militari, de nauticâ mul-
ta præcipiunt; medendi vias, rationemque
D monstrant; de siderum motu, de rerum
naturâ, de omnium auctore Deo subtilissi-
mè disputant; dicendi leges tradunt, &
oratoris linguam expoliunt, pectus explent
rerum scientiâ maximarum; agricolturam,
& omnes artes, quæ minus liberales ha-
bentur, instruunt, & ornant; &, ut bre-
vi omnia comprehendam, omnem sa-
pientiam complectuntur. Quare si inest in
sapientiâ augustum quidquam, quod emi-
neat, quod excellat, quod animum ad pa-
E rendum sibi sponte invitet, quid dubita-
mus hanc omnem litteris dignitatem attri-
buere? Hinc illa nimirum doctorum ho-
minum admiratio, & fama, quæ iisdem,
quibus Orbis terrarum, finibus contine-
tur: hinc omnium, in quibus modò est
aliquid humanitatis, adeo propensa in lit-
teratos voluntas; ut eos non modò præ-
sentes amicitiâ complecti præclarum pu-
tent; verum etiam absentium nomina ve-
nerentur; risque se notos esse, quamvis
nullâ spe utilitatis propositâ, cupiant; &
F in beneficii loco ponant, si ab iis non in-
digni mutuâ benevolentiâ existimentur;
quidam verò sic fuerint incensi cupiditate
doctorum hominum, ut eorum videndo-
rum causâ quam maximè longinquas pe-
regrinationes suscipere non dubitarint;
quod nulli præterea hominum generi ar-
bitror contigisse. Quis enim ut nobilem G
virum, quamvis genus ab Inacho duceret;
quis ut divitem quamvis divitiis Crœsum,
Crassumque superaret; quis ut fortuna-
tum, quamvis Syllâ feliciorem videret, iter
suscipiendum sibi esse duxit? Ne ad Re-
ges quidem proficiscimur, nisi ut magni-
ficum aulæ apparatum, splendidum comi-
tatum, magnificentiam, splendoremque
Regiæ, fortunæ magnitudinem, opes, co-
pias, potentiam contemplemur; ut ipsum
autem videret, nemo ad Regem profectus H
est, nisi sapientem; sed quam multi, ut
doctos homines aspicerent, & alloqueren-
tur, Patriam, larem familiarem, æqualium
cœtum reliquerunt? Anacharsis e Scythiâ
in Græciam venit, e Græciâ, ubi summâ
gloriâ florebat; Plato in Ægyptum ad Æ-
gyptios Sacerdotes, & in Italiam ad pytha-
goricos philosophos navigavit. Quæ au-
tem regio fuit, aut tam remota, aut tam
barbara, aut tam inhospitalis, quam non
Pythagoras, Democritus, Apollonius pera- I
grarint; ut, quorum sapientiam admira-
bantur, eorum aspectu, & alloquio frue-
rentur? Mitto alia exempla, sunt enim
innumerabilia, quum semper id factum sit,
& quotidie fieri videamus; unum præter-
mittendum non arbitror; est enim maxi-
mè illustre, atque præclarum, & quo haud
scio an ullum majus commemorare possit
antiquitas Gaditanum hominem ferunt
Titi Livii rerum conditoris celeberrimi
famâ excitatum, Gadibus profectum venis- K
se Romam, ut rerum Romanarum scripto-
rem videret; quo viso nihil alia curantem,
voti compotem, & lætum in Patriam re-
vertisse. O Sapientia, o litteræ, quàm ma-
gnum est vestrum numen, & quantam in
hominum animis admirationem vestri, &
quàm incredibilem amorem excitatis! Pe-
regrinus homo atque alienigena, & barba-
rus non e propinquâ Italiæ regione, sed
ex ultimis terrarum oris, ex insulâ a no-
stro orbe divisâ Romam venit; non ut au- L
reum Capitolium, non ut magnificentis-
sima theatra, porticus, thermas, amphi-
theatra, Deorum templa augusta; non ut
civium domos in urbium modum extru-
ctas, non ut urbem videret, in qua col-
lectum terrarum Orbem videre poterat;
non ut populum cognosceret omnium po-
pulorum victorem; non ut Senatum illum
spectaret, quem qui e Regibus constare
dixit, unus veram cepit speciem Romani
Senatus; non denique, ut Principem
ipsum intueretur, cujus nomen horrebant M
Indorum Reges, & Bactrianorum, cui Ru-
brum mare, atque Atlanticum, cui Nilus,
Danubiusque parebant; hæc omnia ille
despexit, vel certè neglexit; lacteam Titi
Livii ubertatem duntaxat admiratus est;
non

non temerè meâ quidem sententiâ, neqoe A stultè; intelligebat enim illa, quamvis magna, esse mortalia, ingenii autem opera sempiterna; & Romanum qoidem Principem exiguum tempus imperaturum, Romanum autem Scriptorem semper in doctorum animis regnaturum; & illius interitum potentiæ finem, hujus autem gloriæ mortem incrementum allaturam. Num autem a veritate aberravit, num deeeptus est vir prudentissimus? non solùm Cæsar ille, qui tum imperabat, extinctus est, sed B etiam illa orbs, quæ æterna vocabatur, eversa; Livii scripta tot sæculis post Imperii Romani interitum immortali gloriâ efflorescunt ;jacent dirutæ moles, & consepultæ, quæ proprer stabilitatem suam æternitati sacræ videbantur; Livii scripta nunc maximè vigent, atque omnium laudibus in Cœlum extolluntur; & Romanom quidem nomen eriam, non modò Imperium, qoum vigeret, quemadmodum Macrobius testatur, Caucasum, Gangem- C que non transcendit; Livii scripta etiam Oceanum transfretarunt, & apud innumerabiles nationes, quibus ignotum nomen Romanum fuit, habentur in pretio, & in dies magis, ac magis celebrantur. Est enim hoc etiam non in ultimis laudibus litterarum; ceteris affert oblivionem vetustas, doctorum hominum fama crescit ævo, & vetustate corroborator. Homeri nomen, dum viveret, etiam Græcia pæne ignorabat; extincti poëmata post multas D ætares ab Indis quoque canebantur; & gentes illæ, apod quas latent quædam sidera nobis illustria, Homeri carmen, tamquam sideribus clarius & noverant, & celebrabant; cujus in poëmatis explicandis, recitandis, canendis tantus grammaticorum numerus, & rhapsodorum cum tanto successu artis, & quæstu elaborabat; ut, quod Regibus est magnificum, atque præclarum posse facere, dum vivunt, Homerus post mortem permulta hominum mil- E lia alere diceretur. Quid Aristoteles? quantâ gloria, quum viverer, floruit? quàm autem ea nulla est, si cum gloriâ comparetur, quam est post interitum consequutus? qui vel unus mihi viderur, quantum sit litterarum decus, & quàm longè sapientia humanis omnibus præstet, ostendere. Non enim Persarum Magni Reges, non Alexander ipse Macedo, non Romani Principes tot hominum millibus imperarunt, quot Aristotelem, tanquam exi- F mium sapientiæ numen, venerati sunt; neque verò ullus Rex, aut ullus tyrannus tam subjectos habuit suos populares, quàm animos Aristotelis omnium studiosorum; nam tyrannos, quorum imperium violentissimum est, etsi palam veneramur, de ipsis tamen, tamquam de belluis, de feris; de monstris quibusdam immanibus cogitamus, & clam ab ipsis acerbissimo odio dis- G sidemus; at Aristoteli non modo nefas arbitrabantur apertè repugnare, verùm etiam ab eo tacitis cogitationibus dissentire. Quam ego consuetudinem, & institutum (quamquam Aristorelem admiror propter incredibilem quamdam, excellentemque doctrinam, & multiplicem rerum varietatem, & copiam) etsi non probo; neque enim in studio præsertim indagandæ veritatis cujusquam tanta esse debet auctoritas, ut luminibus, ut ita dicam, obstruat rationis; H tamen, quoniam Aristoteli, tamquam perfectè docto, pleneque sapienti, eum honorem deferebant, id ostendit, quod initio dicebamus, regnum esse quoddam sapientum; & litterarum, atque doctrinæ majestatem omnibus rebus anteponendam. Atque hoe non solum intelligunt eruditi, quibus notus est litterarum splendor, atque amplitudo; sed etiam vulgus hominum, & magni sæpe Duces, Regesque viderunt. Vidit Siciliæ tyrannus Dionysius, I qui, quum Plato curru veheretur, aurigæ ministerio fungi sibi gloriosum putavit: vidit Magnus ille Pompejus, qui trium terræ parrium victores fasces Possidonio clarissimo sapientiæ auctori submisit: vidit ejus æmulus Cæsar, qui, quum Ciceronem miraretur, dixit majus esse ingenii, & linguæ Romanæ terminos, quàm Imperii fines protulisse: vidir denique populus Romanus, qui Virgilii carminibus in theatro recitatis, absenti Virgilio, tamquam K præsenti Augusto, universus assurrexit. Cesserunt igitur judicio maximæ civitatis, ac maximorum Ducum imperii majestas, resque bello præclarè gestæ gloriæ, & dignitati litterarum. Et quidni cederent, quum bellicæ laudes, præclarissimi triumphi, omne regnorum decus, omnisque majestas, & præsenris ævi claritatem, & posteritatis memoriam se litteris debere profiteanrur. Sunt enim litteræ fontes quidam inexhausti dignitatis, & gloriæ L sempiternæ: hinc splendorem suum hauriunt clarissimi Duces, hinc fortissimi bellatores, hinc prudentissimi Rerumpublicarum moderatores, hinc artifices præstantissimi, hinc denique omnes, qui vel corporis, vel ingenii dotibus floruerunt; & quemadmodum a Sole Mundus universus, & sidera lumen accipiunt, ipse verò Sol a nullo sidere illustratur; & sicut ab Oceano omnes amnes, omnesque fontes, maria, lacus, paludes oriuntur; ipse verò Oceanus, quum tot flumina, quum tanta vis M aquarum in eum effundarur, non crescit, neque alienis copiis, sed suis magnus, admirandusque est; ita litteræ a nullâ vel arte, vel studio gloriam, splendoremque mutuantur; ipsæ omnibus impertiuntur. Nam

quæ facultas magna in Rempublicam me-
A rita obliterari non finit? litteræ: quæ lau-
dabiles actiones memoriæ commendat Po-
sterorum? litteræ: quæ civitates illustres
fortunæ injuriâ deletas ex hominum me-
moriâ deleri funditus prohibet? litteræ:
quæ consilie prudentiom, dicta clarorum
virorum, leges civitatum, mores populo-
rum silentio involvi non permittit? eædem
sanè litteræ. Litterarum est beneficium,
quòd Cyri potentia, quòd Alexandri ma-
gnitudo, quòd Romanorum virtus cele-
B bratur: litteris Nirei pulchritudinem, A-
chillis robur, Ulyssis calliditatem, sapien-
tiam Palamedis cognoscimus: litteris de-
bemus, quòd etiam minores artifices non
ignoramus. Quis enim Apellem pictorem,
Dinocratem architectum, musicum Lam-
prum, Timotheum, Terpandrum, Euno-
mum nosset, nisi litteræ eorum nomins
ab interitu vindicassent? Phidias ipse, ipse
Praxiteles, tota illa sculptorum manus, quæ
materiæ firmitate immortalitati commen-
C data videtur, silerentur, nisi eos doctorum
hominum vigiliæ e tenebris eruissent; nam
Phidiæ, ceterorumque artificum præclaro-
rum signa, si qua extant, quamquam spi-
rant quodammodo, & loquuntur, aucto-
rum certè nomen tacent; quod eloquen-
tium monimentis vivit sempiternum. Sed
quum omnes omnia litteris, tum præci-
puè viri fortes plurimum debent; jaceant
ingenia, jacebunt & fortium virorum fa-
cta: tollentur e vitâ litteræ, tolletur & cla-
D rissimorum Ducum memoria; neque illos,
aut sua trophæa, aut signa, aut arcus tri-
umphales multum adjuvabunt; quæ tem-
poris diuturnitate, & fortunæ injuriâ ever-
tuntur, & uno in loco manent; &, ut me-
moriam præclarè factorum quoquo modo
repræsentent, consilia facientium, animi
virtutem, rationem, celeritatemque facien-
di explicare non possunt. Neque verò il-
lud jure dici potest vicissim clarorum du-
cum virtutem segetem esse, ac materiem
E gloriæ litteratorum; neque illa reponi com-
modè possunt; quiescant bella, quiescet
& doctorum labor: conticescant tubæ,
conticescent & doctorum voces; immo
verò clariùs loquentur, frequentiùs cele-
brabuntur, bellisque sublatis omnes ad stu-
dia litterarum convertentur. An verò, ni-
si docti viri Philippi, aut Alexandri latro-
cinia enarrare poterunt, obmutescent? non
erit, in quo elaborent, in quo eloquen-
tiam, & ingenii vires exerceant? Non o-
F pera Dei, quàm facta hominum, naturæ
vis universæ, quàm viri unius virtus, di-
vini Numinis potentia, quàm Regis ali-
cujus opes pulchriorem, benignioremque
dicendi materiam suppeditabunt? non hic
admirabilis ornatus Universi, concentusque
naturæ, tanta siderum magnitudo, tantus
ordo, tanta pulchritudo, tam incredibilis
celeritas, tam innumerabilis multitudo ca- G
netur ab ipsis, & summis laudibus effere-
tur? non denique sine armorum strepitu
philosophabuntur, non siderum motum,
numerorumque doctrinam explicabunt,
non in illo mathematicorum pulvere de-
sudabunt? Deerit illis, credo, materies
ingenii exercendi, si divinis illis omissis
humana velint pertractare; non leges con-
dent, non conditas interpretabuntur, de
moribus disputabunt; quid sit faciendum,
non faciendumque præscribent; causas a- H
gent, innocentes defendent, fraudulentos
redarguent, impios accusabunt? Et sunt,
qui bellicas laudes gloriæ litterarum præ-
ferant, & cruentam illam, sordidamque Mar-
tis lauream puræ, & innocenti Musarum
anteponant; quum sine litteris jaceat res
militaris, sine re militari litteræ pulchriùs
efflorescant? Quorum tamen exemplum
vos, Adolescentes optimi, ad capessenda
cupidè studia litterarum, vel maximè de-
bet commovere: non unus, aut alter, sed I
legiones universæ hominum plerumque
rusticanorum gloriæ cupidine incensæ nul-
lum omnino laborem detrectant, nullum
periculum subterfugiunt, & sæpe mortem
gloriosam ingloriæ vitæ anteponunt; vos
hac indole præditi, his Majoribus orti, his
artibus instituti modicum laborem præser-
tim periculo vacuum, quo longè majorem
consequamini gloriam, non perferetis?
Illi sub pellibus agunt, hiemem sævissimam
tolerant, æstus intolerabiles perferunt; vos K
in umbrâ, sub tecto, omnibus abundan-
tes, quibus homines uti commodis pos-
sunt, incumbere ad laudem recusabitis?
illi noctes inquietas, dies exercitos, ævum
formidinis, terrorumque plenissimum exi-
gunt; vos, ut aliquantulum vigiletis, ut
non omnia socordiæ, & voluptati conce-
datis, ut vitam ducatis placidam, & tran-
quillam, & honestissimi otii plenam, in a-
nimum non inducetis? Videte, quæso, ne
tantus hic gloriæ contemptus animi sit ab- L
jecti, sordidi, illiberalis, animi virtutem
contemnentis, lucem, splendoremque fu-
gientis, & in omnem quandoque turpitu-
dinem, ac flagitia erupturi. Nam quemad-
modum gentes illæ, quæ lucem Solis ode-
runt, Solem execrantur, ita, qui gloriam
quasi quoddam lumen virtutis non diligit,
virtutem ipsam odit, atque adversatur;
nullus autem excellenti vir ingenio glo-
riam contempsit rectè factorum; nullus
præstans in Republicâ civis non pro eâ
vel mortem sibi duxit oppetendam. Quam, M
si vos indolis vestræ, Majorumque vestro-
rum memores esse vultis, quamvis indota-
tam, omni ornamento spoliatam, incomi-
tatam, ab utilitate destitutam, commodis
omnibus, & voluptati, & divitiis antepo-
netis

netis. Quamquam, quid ego tandiu sic a-
A go, tamquam solam gloriam situs litterarum
studio consequuturi? non dico tantas in
Rempublicam utilitates a litteris proficisci;
ut illi tyranni, qui populis irrogare gra-
vissimas pœnas voluerunt, ne litteras di-
scerent, edicto vetuerint? non dico ami-
citias, clientelas, potentium familiaritates,
firmissima præsidia adversæ fortunæ, orna-
menta secundæ litteris comparari? non dico
honestis rationibus augeri rem familiarem?
non dico sic animum componi, atque fingi
B studiosorum, ut a vitiis abhorreat, virtutem
vel solam, vel inprimis consectetur? non
dico quantum præclararum artium tracta-
tione de cupiditatibus, quæ miserè animum
distrahunt, detrahatur? non dico, quanta
sit felicitas, atque tranquillitas animi sibi
vacantis, & Musis; quanta sapientiæ pul-
chritudo, quanta studiorum voluptas, qua
nihil omnino dulcius, nihil animo bene a
naturâ informato jucundius reperiri po-
test, nihil, quod propiùs accedat ad cœle-
C stem illam felicitatem beatarum mentium?
Neque enim vos, Adolescentes optimi,
velim suspicari, asperam esse, & sentibus
obsitam, saxis obstructam, angustiis impe-
ditam viam, ad quam ingrediendam sa-
pientia vos cohortatur; sed tantas habet
illecebras honestissimæ voluptatis, ut qui
eas vel primoribus, ut dicitur, labris de-
gustarint, omnes alias contemnant, atque
obliviscantur. Quod ego dicere non aude-
rem, nisi in conventu dicerem doctissimo-
D rum virorum, qui mihi testes esse possunt
nullam voluptatem cum eâ, quæ ex co-
gnitione veritatis percipitur, esse ullo mo-
do comparandam. Quod & vos ipsi intel-
ligetis, si cogitaveritis omnes alias maturâ
satietate finiri; hanc autem dumtaxat sem-
per augeri, semper in animis hominum
majorem sui cupiditatem excitare; &, si
animo repetetis exempla sapientum, qui-
bus adeo blandita est delectatio, quam co-
gnoscendâ veritate capiebant, ut nonnulli
E rem familiarem abjecerint, omnibus aliis
voluptatibus renunciarint, quum littera-
rum studio immorerentur. Memoriæ pro-
ditum est Chrysippum nobilem philoso-
phum tantâ dulcedine affici solitum in ver-
sandis mente, agitandisque rationibus, ut
eum cibi, & potionis caperet oblivio. Ar-
chimedes autem, quum lavaret, & quip-
piam, quod diu quæsiverat, invenisset, nu-
dus exiluit e balneo, & mente alienatâ gau-
dio per urbem incessit clamans: inveni,
inveni. Quæ exempla quid aliud vobis es-
F se debent, quàm incitamenta maxima ad
virtutis viam capessendam? Sapientia cun-
cta vobis pollicetur, quæ vel ignavissimos
possint excitare, & ad quidlibet perferen-
dum allicere; unus est labor, qui vos for-
tasse deterreat, & remoretur; hic autem

tantâ voluptate conjunctus ostenditur, ut
vel suavissimus esse videatur. Quid ergo G
cunctamini, quid dubitatis, quid hæretis?
quin insistitis viam? an expectatis, dum
virtus ipsa vos cohortetur? Numquam ea
se vobis ostendet, qualis a Xenophonte
describitur, matronæ specie, candidâ ve-
ste indutæ, decore plenæ, & verecundiâ;
neque enim oculorum acie, sed mentis o-
culis cernitur, neque auribus a vobis ejus
percipietur oratio; vestro in animo ea est,
& vestro cum animo ipsa loquitur, & vo-
bis regnum, & diadema cutum pollicetur, H
& defert ad sapientiam contento studio
properantibus; ostendit autem contra stul-
titiam miserrimam servitutem vobis allatu-
ram, impositur amque jugum, quo pressi in
summâ turpitudine ævum exigatis; quod
est indignum vestro genere, indignum stu-
diis, quibus a pueris dediti fuistis, indi-
gnum ingenio; quod vos, quæso, divinum
dunum nolite contemnere, neque volu-
ptati, & desidiæ constringendum, obteren-
dumque tradere, atque prosternere. Præ- I
sertim quum eadem virtus eum stimulum
vobis admoveat, quo præstantibus ingeniis
nullus est major; confirmat enim se glo-
riam summam vobis pariturum, & nomen
vestrum in clarissimâ luce collocaturam.
Destituitur aliquis generis claritate? hunc
adeo nobilitabit sapientia, ut eos ipsos vin-
cat, qui Majorum imaginibus gloriantur:
est alius nobilitate sanguinis conspicuus?
non solùm alieno, sed suo splendore ful-
gebit, & partum a Majoribus decus novâ K
laude cumulabit; erit enim apud viros
principes gratiosus, apud exteras gentes
gloriosus, utilis amicis, suis civibus carus,
omnibus admirandus; neque verò nomen
ejus morte extinguetur, neque vetustate
gloria obsolescet; quæ citiùs mehercule al-
tissimas moles, firmissimasque consumet,
urbesque præclaras evertet funditus, at-
que obruet, quàm litteratorum nomen ob-
scurabit. Atque hoc tantum decus, quo
genus, amicos, Patriam, omnes homines L
ornare possitis, non solùm vobis parituram
spondet, & recipit virtus; sed honestas
divitias, amicorum copiam, cetera fortu-
næ bona, animi tranquillitatem, vitiorum
vacuitatem, cupiditatum modum, denique
honestissimam quamdam mentis oblectatio-
nem. Quæ promissa virtutis, & sapientiæ,
nisi vos ipsos negligitis, ne, quæso, con-
temnatis; neve committatis, ut optimo-
rum parentum, cognatorumque consilium,
qui vos litteris vacare voluerunt, stultum M
videatur; abjicite omnem animi mollitiem,
incumbite ad laudem, ad sapientiam ple-
no gradu contendite. Hoc vos amici ro-
gant: hoc postulat Patria, parentes & mo-
nent, & jubent, doctissimi patres exhor-
tantur: locus ipse invitat, qui tot sapien-
tum

tum repræsentat memoriam mortuorum, A vivorum vocibus personat: auctor est denique laudis, & studiorum Maximus Princeps, qui regiis impensis hæc gymnasia tuetur, ornat, auget, amplificat. Quæ tantæ auctoritates quum vos incitent ad studia litterarum, nihil opus est verbis meis; aut enim eæ vos movebunt, aut nullius oratio unquam commovebit.

ORATIO III.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1679.

In solemni instauratione Studiorum.



De Utilitate Litterarum.

B Quamquam mihi nihil jucundius potuit evenire, Patres amplissimi, quàm ut in hac doctissimorum hominum coronâ, hac tantâ diei celebritate, & loci occasio daretur de laudibus dicendi earum facultatum, quibus adeo a pueris dediti fuimus, ut sine his vitam esse acerbam putaremus; quòd ita naturâ comparatum est, ut ea quisque libentissimè ornet, quæ flagrantissimè diligit; tamen, quum me reputo anno superiore doctrinæ laudes ex C hoc ipso loco persequutum, vereor, ut possim hodierno die, & muneri meo, & expectationi vestræ satisfacere. Nam egregios illos impetus, quos conceperam, consumptos esse video priore conatu; neque sanè multum virium mihi nunc superesse ad tantum onus, ac tanto meis viribus majus sustinendum. Quamobrem, ne quod olim imperitis athletis usuvenire solebat, id mihi sit eventurum hodierno die non mediocriter pertimesco; nam, quum illi D non prudenter suas vires dispensarent, sed inconsultè universas in primo statim congressu effunderent, fracti deinde nimio conatu, ac debilitati facilem adversario victoriam relinquebant; ego autem, quum ingenii viribus anno superiore non pepercerim, sed quantum dicendo consequi poteram, tantum contenderim, vereor, Auditores, ne primo certamine, tamquam rudis athleta, defatigatus, deinde succumbam labori, & magnitudine vineæ deman- E datæ mihi provinciæ. Et sanè, quum immensum quoddam eloquentiæ flumen ad sapientiæ decus celebrandum requiratur, quod rem tantam, tamque sublimem beata dicendi copia circumfluat, & quasi superfundatur; quo pacto sufficere posse confidam ingenii mei venam tenuem, & arentem; præsertim quum exhausta sit sapientiæ laudibus alio tempore celebrandis? F Quare conciderem mehercule animo, ac deficerem, Auditores; sed præterquam quod recreor, & reficior aurâ speratâ vestræ benignitatis, ipse argumenti splendor, ipsa laudum multitudo, quibus affici studia litterarum possunt, animum timidum, atque diffidentem confirmat, ac certissimam spem ostendit sapientiæ ornandæ quantumvis ornatam, & uberem Orationem mihi non defuturam. Nam, quum memo- G riâ repeto, quisnam fuerit anno jam elapso meus de hac ipsâ re sermo, animadverto me tone splendore captum litterarum, earumque externo lumine circumfusum, stupentemque a proposito argumento aberrasse, & non litteras ipsas, sed litterarum gloriam suspexisse; & quemadmodum illi, qui Solem aspiciunt, ob immodicam splendidissimi luminis copiam, & claritatem non ipsum ferè Solem, sed ipsius radios intuentur; ita me nobilissimarum faculta- H tum pulchritudinem contemplantem abstraxit a verâ specie earum conspiciendâ immortalis quidam gloriæ splendor; qui se se clariùs objiciebat animo, quo illæ omnibus meritò commendantur. Quid igitur metuam, ne mihi desit Oratio de præstantiâ litterarum verba facienti, quum infinita sit copia laudum amplissimarum; & ego ferè nullam attigerim, & ornamenta quidem sapientiæ miratus fuerim, ipsam autem sapientiam neglexerim; cujus angu- I stissimam ego speciem hodierno die contemplabor vobisque contemplandam proponam? Hactenus, Auditores, perinde feci, ac siquis ad magnificam, & augustam ædem spectandam, venerandumque numen invitatus, externam templi faciem, vestibula, porticus, fastigium, gradus, postes diligentissimè contempletur; Dei verò simulacrum non adoret, aut aspiciat, ac ne ipsum quidem templum ingrediatur; nunc adyta sapientiæ mihi perlustranda, K recludenda penetralia, ipsius Deæ spectanda pulchritudo, ac vestris etiam animis, ac sensibus exponenda. Nam quibus ornamentis, quibusque virtutibus doctrinæ studia ornent, & forment animos bene a naturâ informatos, breviter demonstrabo; speciemque quamdam perfectæ sapientiæ vobis ponam ob oculos, atque exemplar verè docti hominis, & litterati. Quod quum fecero, Auditores, non dubito, quin satis magnificè, satisque præclarè a me lau- L datâ doctrinæ studia videantur; quod enim genus præstantissimæ laudis cadere in hominem potest, quod in describendâ humanæ sapientiæ formâ jure non assumatur? Equidem animadverto non corporis venustatem, non robur, aut celeritatem, non excel-

excellentes opes, non potentiam, non ge-
A neris claritatem a sapientissimis viris in
laude poni; sed duo tantùm virtutum ge-
nera, quorum alterum in contemplando,
alterum in agendo versatur; nec affirmare
dubitem utrumque ad singularem docto-
rum hominum gloriam pertinere; & illud
quidem genus, quod situm est in indagan-
dâ naturâ, & in perspicientiâ veri, totum
est litterarum. Hic ego quid prædicem,
quanta sit ubertas omnium doctrinarum,
quanta varietas, quantæque divitiæ sapien-
B tiæ, quantam meus ille sapiens operam,
studiumque sit in omnibus rebus cognitio-
ne dignis collocaturus; neque enim inve-
stigandâ veritate unquam defatigabitur,
neque ullam disciplinam prætermittet, cu-
jus fieri scientiâ doctior, aut prudentior
possit? sed & disserendi vias, rationemque
cognoscet, nec illud nobile Dialecticorum
acumen despiciet; & quid ex quoque effi-
ciatur, quid sit cuique consentaneum,
quid repugnans, quæ sit definiendi, divi-
C dendi, argumentandi ratio, diligenter te-
nebit. Est enim omnino hæc facultas, quæ
veri, falsique judicium profitetur, non in-
digna studio sapientis, miraque est in eâ
& inveniendi solertia, & inventa judican-
di prudentia, & falsa refellendi scientia.
Nec sine causâ doctissimi viri eam reliquæ
sapientiæ firmamentum esse voluerunt; &
Possidonius præclarus inprimis auctor in-
telligendi, quum philosophiam animanti
compararet, animæ doctrinam morum;
D partem, quæ de naturâ disputat, sanguini,
& carnibus; Dialecticam ossibus contulit.
Quam hujus artis præstantiam admirati sum-
mâ doctrinâ homines, ac summis ingeniis
prædìti Euxenus, Panædes, Eubulides,
Brison, Euthydemus ætatem in eo studio
consumpserunt; & Chrysippus, qui fulci-
re dicitur porticum Stoicorum tam multos
libros de eâ facultate conscripsit, ut ei
dumtaxat operam dedisse videatur. Tanta
est in omni studiorum parte jucunditas, ut
E illa ipsa disciplina, quæ plurimum mole-
stiæ, minimum delectationis habere puta-
tur, quorumdam animos tantis illecebris
devinxerit, ut ab eâ divelli nullo modo
potuerint; quid voluptatis afferre dicemus
amœnissimos rhetorum campos omnibus
deliciis affluentes, philosophorum hortos,
quum dumeta dialecticorum tantopere de-
lectent? Nec ego, pace dixerim tantorum
virorum, hujusmodi institutum probo in
Dialecticæ studiis consenescentium; quod
enim istud est consilium, quæ mens, quæ
F cogitatio? tu, quum animum tuum ad se
vocet rerum cura maximarum; quum ad
se contemplandum invitet aspectus hic Uni-
versi pulcherrimus, & admirandus; tu,
quum tibi vacare debeas, quum animum
componere, excindere vitia, resecare cu-
piditates, in syllogismorum laqueis necten-
dis, & in ceratinis, & crocodilinis dissol- G
vendis ætatem conteras? & hujusmodi nu-
gas rebus omnium gravissimis anteponas?
Enimvero, qui sic agit parum abesse mihi
videtur a dementiâ Principis Domitiani;
cui quum esset cura commissa terrarum,
quum tantis negotiis distineretur, in ca-
piendis, necandisque muscis non parvam
diei partem insumpsisse dicitur. Non igi-
tur sapiens in hisce studiorum angustiis
diutiùs, quàm necesse est, immorabitur;
sed illud Poetæ maximi usurpabit: H

.... Major rerum mihi nascitur ordo,
Majus opus moveo......

& ad illa, a quibus animum suum profectum
esse intelliget, verè magna, & divina pro-
perabit; sed assumet comitem unam om-
nium pulcherrimam facultatem, cœlestium
indagatricem, mentis humanæ lucem, pa-
rentem disciplinarum, filiam veritatis, geo-
metriam, inquam, assumet comitem, vel I
potius ducem. Ac, ne quis vestrûm fortè
miretur, quòd eam disciplinam, quæ ter-
ræ metiendæ nata est, & a terrâ nomen
acceperit, non ad hæc tantùm humilia, &
terrena, sed ad Cœlum ipsum, divinam-
que naturam contemplandam, futuram
esse confirmem ducem, paulisper mecum
hujus excellentiam, subtilitatem, magni-
tudinem, varietatemque consideret. Quid
enim, quæso, illâ subtilius excogitari po-
test; cui quum parva quædam dictu con- K
cesseris, nec enim ullo modo negari pos-
sunt, ea fateri cogit, quæ nulla umquam
ingenii acies consequeretur? quid autem
majus illâ, quæ Orbis terrarum ambitum,
& profunditatem, quæ magnitudinem pæ-
ne infinitam, & intervalla astrorum, Cœli-
que metitur? Nec verò de aliâ ullâ facul-
tate veriùs dici, quàm de geometriâ potest,
quod ad exprimendam magnitudinem fa-
mæ Virgilius dixit:

Ingrediturque solo, & caput inter nubila L
condit.

Illa verò non inter nubila, sed inter side-
ra in clarissimâ luce versatur; quorum in-
credibiles, admirandosque cursus numeris
explicat, & constantissimos esse docet,
quamvis inconstantissimi videantur; quum
interea originis haudquaquam immemor
omnes terrarum oras, omnesque tractus
percurrat, & diligentissimè perlustret.
Nam de varietate quid attinet dicere e- M
jus disciplinæ, quæ quum in nume-
ros, & formas dividatur, omnibus pæne
artibus, omnibusque doctrinis plurimum
adjumenti attulit, ac multas, nec ignobi-
les ex sese ipsa procreavit; quæ nec par-
va despicit, nec magna reformidat; nec

humilibus obsolescit, nec sublimibus de-
A terretur? Quàm longè verò præstet aliis
disciplinis, declarat sermo græcus, qui
geometriam solam, a geometriaque pro-
fectas facultates proprio disciplinarum no-
mine appellavit. Et certè, si ceteræ cum
hac unâ comparentur, vix hac appellatio-
ne dignæ videantur; hæc enim semper
verum, illæ nonnumquam imaginem veri
consectantur: hæc dubitandi locum nul-
lum relinquit, illæ sæpe dubitandi causam
afferunt: hæc tranquillitate summâ fruitur,
B illæ plenæ sunt doctorum hominum con-
tentionibus: hæc denique veritatem nu-
dam, & in perspicuâ luce collocatam vi-
det, illæ involutam, & caligine, & tene-
bris circumseptam vix intuentur. Jam
verò series illa rationum, ille ordo mira-
bilis geometriæ qua, Deus immortalis,
prædicatione, qua laude, qua admiratione
censebitur! Sic enim omnia inter se apta,
ita connexa, & colligata cohærent, ut si
quippiam quantumlibet parvum commove-
C ris, tota disciplina labefactata corruat. Sed
neque commoveri geometricæ rationes,
neque concuti possunt, & firmioribus vin-
culis, quàm adamantinis vinciuntur. At-
que utinam reliquæ facultates hac firmita-
te rationum, hac perspicuitate rerum me-
ritò possent gloriari; nihil nobis deesset ad
summam felicitatem, &, quod Empedo-
cles in carminibus de se magnificentiùs,
quàm veriùs jactat, se in cognoscendâ naturâ
ex homine fieri Deum, id liceret de no-
D bis verè eum gloriâ prædicare. Quàm e-
nim esset magnificum, quàm præclarum,
quàm beatum, ac penè divinum, perspi-
cere divini operis formam universam, om-
nium causas, progressiones, ortus videre;
falli, decipi, labi, errare non posse! Quum
verò mentis aciem altiùs tolleremus, & in
ipsum Auctorem Mundi, & rerum Patrem
defigeremus; quid causæ posset afferri, cur
intelligendo tam perspicuè summo bono,
quàm illa, quæ geometricis rationibus ex-
E plicantur, non ipsius amore, quam flagran-
tissimo incenderemur, & ipsi, quoad ejus
fieri potest, similes evaderemus? Sed quo-
niam tantâ felicitate Mortales frui rerum
natura non patitur, quod proximum est,
conabitur sapiens; ut, quantum homini li-
cet, exactam rerum altissimarum scientiam
consequatur; ac propterea ad illa verè ma-
gna, & divina perspicienda subsidio sibi
geometriam comparabit; ut hujus perspi-
cuis, numquamque fallentibus exercitatus
rationibus minùs in ceteris erret. Nec il-
F lum sui consilii, aut laboris pænitebit; nam
si tantam percipimus voluptatem, quum
oculos pascimus rerum varietate spectandâ;
si delectatione satiari non possumus, quum
speciem excellentis pulchritudinis intue-
mur; quo gaudio affici sapientem necesse
est, qui non oculorum, sed mentis acie infi-
nitam rerum varietatem, ordinem incredibi- G
lem, pulchritudinem admirandam videt?
& non unius regionis amœnitatem, sed
universæ naturæ speciem contemplatur;
qua conspiciendâ numquam satiatur ani-
mus; quia reficitur semper novarum spe-
ctaculo rerum, nec extinguitur unquam
ardor ille, studiumque spectandi; quia ex-
cellentibus ingeniis hanc maximè natura
cupiditatem ingeneravit; & hoc spectacu-
lum nobis Deus, & nos vicissim huic spe-
ctaculo procreavit. Quapropter in hoc H
præstantes animi solùm acquiescunt, nec
interit umquam eorum gaudium, quia non
est mortale, quod contemplantur; ac si o-
peribus excellentium artificum eo diutiùs,
atque impensiùs delectamur, quo sunt illa
absolutiora; quid mirum philosophos per-
petuâ voluptate affici, vehementissimeque
lætari; qui summâ intelligentiâ considerant
opus, quod artifex ille divinus est absolutis-
simum fabricatus; cujus eximia pulchritudo
pulchritudini ceterorum operum infinitis I
partibus antecellit; præsertim quum ex hac
naturæ contemplatione non solam animi
voluptatem petant, sed alia multo majora,
& diviniora? Incredibile est enim dictu,
quantum verè philosophantibus prosit hoc
spectandi studium Universi; ingenerat præ-
stantem virtutis indolem, ingenerat animi
magnitudinem, ingenerat contemptum re-
rum humanarum, ingenerat mentis placi-
dissimam tranquillitatem. Sed cum aliis de
causis prodest, tum vel illâ maximè, quòd K
quemadmodum, quum aliquod opus admi-
ramur artificis ingenio perfectum singula-
ri, cupiditate incendimur auctoris cogno-
scendi; ita, quum admirabilem Universi
molem divini conditoris ingenio confor-
matam studiosè contemplamur, ad aspi-
ciendam ipsius, colendamque naturam a-
nimus vehementissimè excitatur; eoque
magis fertur, quòd omnes duce naturâ ve-
himur ad contemplationem divinæ pul-
chritudinis, & bonitatis. Quo studio in- L
flammatus ille sapiens, quem Oratione
jamdudum effingo, faciliùs ad tantam feli-
citatem enitetur, quòd & a naturæ cogni-
tione ad auctorem naturæ cognoscendum
inflammatâ mente rapiatur; & quòd a geo-
metriâ didicerit corporeæ concretionis ex-
pertes, a materiaque secretas formas co-
gitare; his duabus disciplinis, tamquam a-
lis quibusdam subnixus, ad altissimam ar-
cem sapientiæ evolabit. Nec verò consi-
lium mihi est dicendo persequi, quid sit in M
illo omnium rerum fonte spectaturus; qua
luce compleri sit necesse, quo gaudio effer-
ri, qua sapientiæ ubertate satiari: nec sum
adeo meæ tenuitatis ignarus, ut me verbis
amplificare posse confidam laudes præcla-
rissimæ facultatis; quam interpretem Dei,
con-

conſciam divinorum meritò licet appellare;
A nam illæ ingenii culpâ deteri poſſunt; or-
nari, augeri, tolli nullius eloquentiâ poſ-
ſunt. Quare utar nobili Timanthis artificio;
quæ exprimi non poſſe intelligo, ea ſilen-
tio occultabo; unum tantùm dicam, feli-
ces illos mihi videri, qui in contempla-
tione beatiſſimæ naturæ ſunt occupati.
Nam quomodo propiùs ad immortale bea-
tarum mentium gaudium poſſunt accedere,
quàm in eodem principe rerum cogno-
ſcendo? aut qua aliâ re contenti eſſe po-
B terunt, ſi in ſummo bono non acquieſcunt?
quàm verò neceſſe eſt eos humiles curas,
& humana contemnere, qui ſemper in di-
vinis perſpiciendis immorantur; & ex tam
alto ſapientiæ faſtigio ridere ſtultitiam ho-
minum, qui leviſſimarum ſtudio rerum mi-
ſerrimè inter ſe colliduntur! quàm autem
lætari, quum fluctus humanæ vitæ, procel-
laſque deſpiciant, & ſummâ ipſi tranquil-
litate potiantur! Nec verò hæc eo dico,
quòd putem ſapientem virum Dei contem-
C platurem Mortalium curâ ſe penitus abdi-
caturum, nec humano generi, & Reipu-
blicæ proſpecturum; ille verò habebit e-
xemplum, eumdem, quem contemplatur,
Deum; qui, quum ſui ſpectaculo beatus,
& plenus fruatur immenſo gaudio, & fe-
licitate ſempiternâ, tamen & ab initio om-
nia condidit, & ſemper omnia tuetur, &
conſulit univerſis; nec dedignabitur ali-
quando e Cœlo in terras devocari; non
enim, quia divina quandoque perſpexit,
D humanitatem exuit; nec ideo, quia Cœ-
lum eſt ingenio perſcrutatus, in terrâ na-
tum ſe, & inter homines oblitus eſt. At-
que hic ad alteram orationis partem dela-
tum me eſſe video, qua mihi oſtendendum
eſt etiam earum virtutum laudibus, quæ in
actione cernuntur, litteras abundare. Ne-
que hoc in loco prætermittendum, duas
eſſe diſciplinas, a quibus haudquaquam ſa-
piens abhorrebit; quarum ſi alterutram ſi-
bi adjunxerit, magna & agendi inſtrumen-
E ta, & laudis ornamenta comparabit; me-
dicinam dico, & juriſprudentiam; quas a
ſuperioribus non ideo ſeparavi, quòd lau-
dibus carere putem ſuperiorum, neque in
perſpiciendâ veritate verſari. Quid enim
utraque ſubtilius, quid ingenioſius, ube-
rius, elegantius? quantam autem utraque
doctrinæ copiam, ingenii ſolertiam, indu-
ſtriam, laborem, ſtudium deſiderat? Sed
hoc loco laudandas eſſe cenſui, quòd ad
agendum maximè pertinerent, & Rebus
eſſent publicis non modò utiles, verùm e-
tiam neceſſariæ. Nam medicina ſalubritati
corporum conſulit, benefica, & mitis fa-
cultas; quæ tot morbis obnoxios homi-
nes, ſi natura pateretur, immortales eſſe
vellet; in eoque laborat maximè, & om-
ne ſtudium collocat, ut jucundiſſimâ lucis
uſurâ quàm diutiſſimè fruamur; & ſani-
tatem, qua nullum corporis bonum pre- G
tioſius, vel reſtituit hominibus, vel tuetur.
O facultatem humano generi ſalutarem,
quæ ſervat homines! o homines hujus fa-
cultatis cupidos immortalitate dignos, qui
ſæpe morti reſiſtunt. Quàm ſapienter an-
tiqui Reges hanc artem condiſcebant! ſi-
quidem ſervare, quàm occidere, & vitam
dare, quàm eripere magis regium eſt. Ju-
riſprudentia verò legibus fundat urbes, &
animis quamdam adhibet medicinam; dum
corrigit depravatos civium mores, eorum- H
que diſcordias componit, & vim ſublato
jure valituram coërcet. Quid hac faculta-
te præſtantius, qua generis humani ſocie-
tas continetur; cui debemus omnino, quòd
non Cyclopum more vivimus cædibus
paſſim hominum ſævientes, & humanum
ſanguinem avidiſſimè exorbentes? Quòd
fruimur pace tranquillâ, quòd noſtra poſ-
ſidemus, quòd aliquis eſt rapinarum, ſtu-
prorum, incendiorum, ſcelerum modus,
totum legum eſt, & juriſprudentiæ mu- I
nus. Itaque ceteræ facultates nobis præ-
ſtant, ut excellentiùs, quàm alii homines,
agamus; juriſprudentia verò, ut homines
omnino ſimus; & illis quidem ſublatis, ta-
men ſtare civitates, adminiſtrarique quo-
quo modo Reſpublicæ poſſunt; hac om-
nino neglectâ nulli publici conventus in-
telligi poſſunt; qui legibus, tamquam ani-
mâ corpus animantium, continentur. Qua-
re, ſi eſt publicis rebus conſulere ſapien-
tis, juriſprudentiam a ſe alienam ſapiens K
non arbitrabitur. Sin autem juriſprudentiæ
ſtudia non attigerit, neque Juſtiniani le-
ges cognoverit, non idcirco legem illam
ignorabit, quam Pindarus omnium Morta-
lium, & Immortalium reginam non mi-
nùs eleganter, quàm verè nominavit; &,
ſi juris non erit, erit certè juſtitiæ conſul-
tus; cujus ille ſcientiam aliunde, quàm ex
juriſconſultorum libris petet; imitabitur-
que Solones illos, & Lycurgos, & Zaleu-
cos, & Charondas, & Numas Pompilios L
philoſophos præſtantiſſimos; qui non in-
terpretes legum, ſed conditores fuerunt.
An verò ille tantis ingenii præſidiis inſtru-
ctus, tantâ doctrinæ copiâ, tantâ cogni-
tione antiquitatis, legum vetuſtarum, e-
xemplorum, rerum publicarum, tantâ de-
nique notitiâ ſapientiæ præceptorum, na-
tionum, Regum, Ducum, non quid opti-
mum factu ſit providebit, & ſummâ cum
laude hominum cœtibus præerit? Felices
verò populi, felices Reſpublicæ, quæ tan- M
tum rectorem ſortientur; quem tamquam
e Cœlo delapſum, & Deum quemdam in-
ter homines intuebuntur. Sin autem vel
injuriâ fortunæ, vel quòd deplorati civita-
tis mores medicinam reſpuant, ad Rem-
publicam adminiſtrandam non acceſſerit,

non ideo ſibi minùs veræ, ſolidæque lau-
A dis comparabit; &, ſi ejus virtutes publi-
co theatro caruerint, ſibi ipſi erit ſatis ma-
gnum theatrum; nam poſitis vitiis, injecto
cupiditatibus freno, nullum genus excel-
lentiſſimæ virtutis non excreebit. Nec ve-
reor, Auditores, ne quum de cupiditati-
bus loquor doctrinæ beneficio minuendis,
in hac præſertim doctiſſimorum hominum
frequentiâ, nimium tribuere videar ſtudio
litterarum; nam cui poteſt eſſe dubium,
quin ingenium, quod litteris excolitur,
B ratio, quæ doctrinâ perficitur, multum de-
trahat de his animi motibus cæcis, & in-
conſultis, qui perturbationes appellantur?
Quotus enim quiſque non videt mutas ani-
mantes præcipites cupiditate ferri, vehe-
mentiſſimeque perturbari, quòd freno ra-
tionis earum impetus non retundantur; ho-
mines autem, & moderatiùs commoveri,
& conſultiùs voluptatibus indulgere, & ſe
ſe aliquò modo ſemper continere? Quod
non aliâ de causâ certum eſt evenire, quàm
C quòd mentis imperio homines coërcen-
tur; quamobrem in pueris, quibus infir-
ma ratio, eadem ferè, quæ in brutis in-
temperantia voluptatum, eadem perturba-
tionum magnitudo. Hæc duo quippe in-
ter ſe inimica Deus procreavit, talemque
diſcordibus naturam dedit, ut alterius al-
terum damnis invaleſcat. Viget mens? va-
let ratio? jacent omnino cupiditates: au-
gentur cupiditates? ratio minuatur, neceſſe
eſt. Eſt enim ratio divina lux quædam, &
D immortalis; ealigo animorum, tenebræque
ſunt perturbationes; quemadmodum ergo
tenebræ interitu lueis oriuntur, ſic extin-
ctio rationis perturbationum affert incre-
mentum. Atqui nemo eſt tam a litteris a-
lienus, quin ſicut alia omnia curâ excolun-
tur, & creſcunt, ali doctrinâ ingenium, &
perfici rationem fateatur. Quo probè con-
ſtituto magnam afferre levationem cupidi-
tatum, & interitum vitiorum litteras ne-
gare non poſſumus. Quod ni ita eſſet,
E quid præcepta morum, quid exempla vir-
tutum, quid innumerabiles, exquiſitæque
rationes, quæ a philoſophis afferuntur, ad
bene, beateque vivendum homines adju-
varent? Inanis ergo doctrina morum, ina-
nis omnis educatio puerorum, inaniſſima
ſtudia ſapientum, qui tantum operæ in hac
philoſophiæ parte poſuerunt: ſtultus De-
mocritus, inſanus Plato, dementiſſimus
omnium Socrates, natura ipſa maximè re-
prehendenda; quæ corporis morbis ali-
quam medicinam eſſe voluit, animi autem
F morbis nullum remedium procreavit. Sin
& illi Mortalium ſapientiſſimi, & natura
nunquam reprehendenda; quid dubitamus,
quin ille verè doctus, & litteratus, quem
ſapientem hsctenus appellavimus, qui non
ore tenus philoſophatur, qui præcepta ſa-
pientiæ altiſſimè in animum demittit, qui
non ducitur opinione vulgi, unde omnis G
error in hominum vitam promanavit, li-
beram pene a perturbationum fluctibus,
& tranquillam, atque adeo beatiſſimam vi-
tam ſit conſequuturus? Ergo ille non pro-
ſperis inſoleſcet, non frangetur adverſis,
contemnet fortunæ minas, mortis ipſius
metu non magnopere commovebitur: non
illum tyrannorum immanitas, non populi
concitati vis, non tormenta, non ignes ad-
moti de recto mentis propoſito dimove-
bunt. Blandimenta verò, illecebraſque H
fortunæ ſic admittet, ut labefactari nullo
modo poſſit; divitias non quidem ille abji-
ciet, ſed diliget, tamquam inſtrumenta vir-
tutis, non tamquam irritamenta libidinis;
non alieni appetens, non ſui profuſus,
non ſordidè parcus, ſed prudenter, &
ſplendidè liberalis; & tamen ita amabit di-
vitias, ut alienas eſſe meminerit, & dona
fortunæ; voluptates eas amplectetur, quas
nullam pænitentiam conſecuturam ſciat;
nec plus illis tribuet, quàm quantum ho- I
neſtatis ratio patiatur. Amicos eliget, quos
amicitiam ſuam virtutibus meritos judica-
bit; cum iis jucundiſſimè vivet, & pro iis
mori, ſi tempora eorum tulerint, non re-
cuſabit; ſed quum amicitiæ latè patere non
poſſint, non amicitiæ finibus benignitatem
ſuam coërcebit; ſed & civibus ſuis, & pro-
pinquis præcipuè conſulet, nec aliis Mor-
talibus lucem ingenii, lucem auxilii, lu-
cem prudentiæ ſuæ denegabit, omneſque
ſibi vel beneficio, vel gratiâ conciliabit. K
Non enim triſtitiam vitæ ſequetur, nec ri-
gorem quemdam intractabilem, torvitatem-
que naturæ virtutem appellabit; ſed leni-
tudinem ſeveritate, lætitiam gravitate, gra-
vitatem jucunditate miſcebit; omnibus a-
mabilis, carus, ſuo contentus, lætus, pla-
cidus, tranquillus, ſacer, admirandus. Ex-
poſui ferme ſapientiæ formam, Auditores,
poſuique vobis ante oculos ejus quaſi quod-
dam ſimulacrum; quod ſi vellem ſuis or-
namentis honeſtare, & quemadmodum ſi- L
mulacris Deorum Antiqui ſolebant dona
quam ampliſſima dedicare, & ſpolia capta
ex hoſtibus templo ſuſpendere; ſic addere
ſapientiæ extrinſecùs accedentem quem-
dam ſplendorem, poſſem Alexandri Magni
triumphos trophæa eſſe dicere ſapientiæ;
poſſem Philippi, poſſem Epaminondæ res
geſtas attribuere doctrinæ, quam a Lyſide
præceptore acceperant; citareturque ſtu-
dioſus litterarum Themiſtocles clariſſimæ
auctor victoriæ; nec ſileretur Pericles A- M
thenienſis Anaxagoræ, nec Dio Syracuſa-
nus Platonis auditor; quorum alter Athe-
nienſium Reipublicæ per annos ferme qua-
draginta ſummâ cum laude præfuit; al-
ter immaniſſimi tyranni Dionyſii regnum,
quod vinciri dicebatur adamante, diſſol-
vit.

vit. Jam si commemorare liberet illa Romani Imperii lumina, Africanos, Marcellos, Catones, Lælios, Lucullos, Catulos, Cæsarea, Cicerones, qui non minùs litterarum, quàm Reipublicæ administrandæ gloriâ floruerunt; si Romanos Principes recensere vellem, quorum doctissimi etiam regendi Imperii laudibus præstiterunt; quas ego sapienti coronas imponerem, quæ trophæa erigerem, quæ spolia gentium devictarum sapientiæ templo suspenderem? Sed quoniam rerum præclarè gestarum partem sibi fortuna vindicat, quæ semper inimica sapientiæ est, non laudabo ita sapientiam, ut ei quidquam cum fortunâ commune esse videatur. Nudam ego, & omni ornamento spoliatam ipsius pulchritudinem spectari volo; nec vereor, Adolescentes optimi, ne propter hanc causam cupidine ejus consequendæ minùs accendamini. Nam quæ species pulchrior, aut admirabilior excogitari potest? quid autem vobis magis exoptandum, quàm quum omnes ingenii gloriam maximè omnium expetant, ingenium sic augere doctrinâ, ut quantum pæne homines mutis animantibus antecellunt, tantum ceteris hominibus præstare videamini? Quæ verò dulcedo percipitur ex cognitione rerum, tantâ præsertim varietate conditâ litterarum, quibus non est divitiis, & regnis anteponenda? ut autem stultitiam penitus exuatis, ut mores emendetis, ut aliquando e perturbationum fluctibus emergatis, ut felicitatis humanæ portum quietis plenissimum teneatis, quo conatu, quo labore, quibus vigiliis non est vobis enitendum? Quòd si vos rebus externis magis crederem commoveri, non deesset mihi campus, in quo expatiari posset oratio; contenderem nihil esse eorum, quæ prima Mortales putant, quod non a litteris abunde suppeditetur: uterer exemplis cum antiquis, tum recentibus plurimorum, qui summis opibus, honoribus, gloriâ floruerunt: commemorarem Demosthenis in Atheniensi Republicâ, Ciceronis in Romanâ potentiam: Pythagoræ authoritatem, Hippocratis divinos honores, Homeri famam, Platonis gloriam, Senecæ divitias recenserem: his ipsis temporibus multos nominare possem, qui doctrinæ beneficio summam dignitatem, excellentem potentiam, gloriam sunt immortalem consequuti; sed vereor, ne sit perabsurdum vos his commodis amplificandis ad sapientiam cohortari, quorum ipsa contemptum, vel certè negligentiam quamdam profitetur.

:sos:

ORATIO IV.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1680.

In solemni instauratione Studiorum.



De Jucunditate Litterarum.

Sæpenumero mecum ego, Patres amplissimi, tacitus cogitavi, quid esset, quod, quum tanta sit dignitas litterarum, tanta litteris juvenum deditorum multitudo, tam ampla studiosis præmia a Majoribus constituta; pauci tamen invenirentur præstanti indole adolescentes, qui sapientiæ pulchritudine inflammati raperentur, & ad aliquam præclaram, & excellentem doctrinæ laudem pervenirent. Nam licet non ignorarem, cum egregiarum omnium rerum, tum inprimis assequendæ sapientiæ plenam difficultatum esse rationem; tamen, quum & ingenia nostrorum hominum contemplaret, quæ naturali solertiâ longè ceteris antecellunt, & mentis humanæ vim, præstantemque naturam, quæ modò studium adhibeat, & industriam, nihil est, quod non assequi posse videatur; aliam causam, quam rei difficultatem, quærendam esse censebam tantæ litteratorum hominum paucitatis. Non enim facilè inducebar, ut crederem, parentis optimæ naturæ tantam fuisse malignitatem, ut quum omnes ad rerum pulcherrimarum studium mirificè excitaret, paucissimis tribueret veritatis indagandæ facultatem; tantam autem multitudinem carere fructu cogeret exoptatissimæ, atque honestissimæ voluptatis. Quare mihi compertum, Auditores, non imbecillitate humani ingenii, non vitio naturæ suas opes nobis avarè, & illiberaliter suppeditantis; sed hominum culpâ fieri, ut artes bonæ non tamquam difficiles relinquantur, sed tamquam molestæ, graves, injucundæ repudientur. Est enim pervulgatum eos, qui se doctrinæ penitus dediderunt, carere sensu communi, voluptatibus nullis frui, non æqualium cœtus jucundissimos celebrare, non interesse conviviis, non ludis publicis, non jocis ullis, non ullis avocamentis animum relaxare; sed vitam agere duram, austeram, tristem, ærumnosam, plenam curarum, plenam laborum, plenam molestiæ, &, ut ita dicam, morti propiorem, quàm vitæ. His vocibus imperitorum facilè commoventur adolescentes; & partim a studiis prorsus deterrentur, partim ancipiti curâ distrahuntur: cupiunt illi quidem

sapientiæ lumen, & veritatis, sed tenebras
A tam reconditæ, atque abstrusæ vitæ perhor-
rescunt: incitantur ad studia capessenda
cupiditate discendi; odio curarum, & mo-
lestiæ metu ad ignaviam revocantur: invi-
tantur illecebris gloriæ, laudis, amplitudi-
nis; fugâ solitudinis, tædio laboris aver-
tuntur. Ita, dum timidè attingunt studia
litterarum juvenes, dignos ingenio suo
progressus non faciunt; & dum sapientiam
tamquam nimis austeram plerique reformi-
dant, pauci consequuntur. Huic autem
B malo mederi non est mearum virium, Au-
ditores; majus ingenium, majus eloquen-
tiæ flumen res tanta desiderat. Quis enim,
nisi summâ facultate dicendi præditus, pos-
sit evellere ex animis adeo veterem, cor-
roboratamque, atque infixam opinionem,
quæ multorum est de tristitiâ vitæ studio-
sorum. Sed tamen & muneris mei ratio,
& auspex hic studiorum dies, & concursus
frequens Adolescentium doctrinæ cupido-
rum postulant, ut, si quid e Republicâ lit-
C terariâ ductam, si non ornatè, graviter, e-
loquenter, saltem verè, candidè, simplici-
ter admonere non refugiam; nihil autem
litteris utilius, nihil conducibilius ratio-
nibus vestris, Juvenes, quàm si litterarum
studia, non solum tamquam utilia, sed e-
tiam tamquam jucunda complectamini. Id
igitur dicendum mihi, & constanter asse-
verandum; lætam, jucundam, tranquillam
esse vitam, quæ in otio litterarum placidè
traducitur. Quod ni ita esset, Adolescen-
D tes, haud scio, an ad hanc vitæ rationem
tantopere mihi essetis adhortandi. An ego,
qui pro benevolentiâ erga vos meâ, pro-
que publico munere, quod mihi injun-
ctum est, vestris commodis inservire de-
beam, vobis auctor essem, ut istam lætissi-
mam indolem, istum ætatis florem tristissi-
mâ vitæ ratione, & labore ingratissimo
contereretis? & quum videam etiam a na-
turâ magnam habitam voluptatis esse ratio-
nem, quæ quantumvis utilia, & necessaria
E cum jucundis conjungit, & miscet, suade-
rem vobis, ut omnem jucunditatem asper-
naremini? Enimverò abstinerem ab hoc
orationis genere, abstinerem, & orationem
potiùs aliò derivarem; neque falsa pro ve-
ris vobis obtruderem; & nunc ego non
peto, ut mihi fidem habeatis, nisi clariùs
luce videritis esse in litteratâ vitâ suas de-
licias, & oblectationes.

Et quoniam duo possunt desiderari ge-
nera voluptatum, alterum quod e rebus
externis percipiatur; alterum, quod in ipsis
F litteris insit; ostendam litteras impedimen-
to non esse, quominus hilariter vivere, &
animum relaxare jucundè, & oblectare pos-
simus; tum ex ipsâ tractatione studiorum,
& cognitione veri multo maximam, mul-
toque dulcissimam animo percipi delecta-
tionem. Sed quum dico studia voluptate
non impediri; non illam intelligo volu- G
ptatem, quam sapientum decretis jugula-
tam, legum freno constrictam, pœnarum
metu coercitam coërcere vix possumus fu-
rentem, & exultantem; quominus cuncta
præclara corrumpat, labefactet, evertat.
Hanc non dico laudatarum artium choro
misceri oportere; quid enim dicere absur-
dius possem? An ego perniciem animo-
rum, labem virtutum omnium, scelerum
hortatricem, pestem pudoris, & honesta-
tis cum ullâ præclarâ facultate conjungerem? H
an virtutem omnium castissimam, quæ in
veri perspicientiâ versatur, turpi volupta-
ti quasi virginem incorruptam impuræ me-
retrici conciliarem; & illius impudentiam
cum hujus pudore, illius furorem cum hu-
jus prudentiâ, illius fœditatem cum hujus
pulchritudine copularem? Ego verò mo-
neo, & meo quodam jure præcipio vobis;
ut hujusmodi voluptates tamquam sirenum
scopulos, multorum exitio infames vitetis,
e quibus si qui aliquando incolumes ena- I
vigarunt, & ad sapientiæ portum perfuge-
runt; non ideo cum tanto rei nostræ pe-
riculo turpissimis cupiditatibus, quasi fœ-
dissimis tempestatibus nos committemus.
Nec molestè feretis abduci vos a libidine
beneficio litterarum; immo studiis vestris
gratias agetis, si vos a turpi voluptate tam-
quam a domino agresti, & furioso libera-
rint. Nec verò laus est ulla major littera-
rum, quàm quòd earum studia seriò culta
minuunt ardorem libidinum, facesque re- K
stinguunt cupiditatum; nec ideo tamen
vereri vos, Adolescentes, velim, ne quòd
animus doctrinæ studiis occupatus respue-
re dulcedinem obscœnarum voluptatum
videatur, idcirco etiam honestas oblectatio-
nes repudiet. Mirum est quantum ista di-
stent, Auditores, quantumque doctrina li-
bidinem aspernetur, casta verò oblecta-
menta desideret, & amplectatur. Siquidem
honestarum artium tractatio incredibiles
excitat amores honestatis; quibus incen- L
sus animus prava respuit, oditque vitia,
quamvis jucunditatis illecebris, & specie
blandiantur; contra verò licitis voluptati-
bus gaudet. Et quidni gaudeat curarum le-
vamentis, quibus reficitur, alitur, excita-
tur? Nam quo pacto creditis posse men-
tem tanta moliri, humana omnia cogno-
scere, Universum cogitatione complecti, al-
tissimam Dei naturam perscrutari, nisi su-
binde recreetur; & labores quiete, con-
tentionem relaxatione, curas voluptate di-
stinguat. Est illa quidem per se indefessa, M
immortalis, incorrupta; sed utitur corpo-
re fragili, mortali, caduco; ea verò con-
ditio est Mortalium, ut quietem desiderent,
& perpetuis laboribus opprimantur; ne-
que assiduum torporem, neque agitationem
fe-

ferant sempiternam. Immortalibus illis,
A & divinis a naturâ datum est, ut semper
moveantur, numquam defatigentur; non
intermittit suos cursus Cœlum, non consistunt
umquam sidera; Sol ne puncto quidem
temporis conquiescit. Quidquid in
terrâ gignitur, quidquid in hoc Orbe mutationibus
obnoxio continetur, lassitudinem
sentit, & quiete refovetur, & redintegratur.
Non est necesse exemplis uti,
quum ubique occurrant innumerabilis;
aspicite plantas, animalia, terram, ele-
B menta; nonne ea declarant, quæ diximus
a vero non abhorrere? nonne vocem mittunt
testem veritatis? Cessant hieme a fetibus
plantæ producendis, ut deinde lætiùs
floribus, & frondibus vestiantur, ubetiusque
graventur fructibus; nox, & somnus
a naturâ animantibus attributi sunt,
ad vires quiete reficiendas. Quo terra diutiùs
inarata requievit, segetem feliciùs gignit;
& cetera elementa lætari videntur
tranquillitate, & sentire quietis bona.
C Nec alia conditio est mentis humanæ, quandiu
contagione corporis, legibus rerum
caducarum tenetur; vires quiescendo resumit,
& dum remittitur, invalescit; nec
semper agitare rationes rerum potest, nec
semper in contemplandâ veritate versari; &
quemadmodum oculi, quum in alicujus rei
spectaculum diutiùs, quàm oportet, & intentiùs
defiguntur, hebetantur, & obortâ
caligine offunduntur; ita mentis acies in
aliquod studium semper intenta defatiga-
D tur, hebetiusque, atque obtusiùs videt.
Quum autem quies animo sit necessaria,
nec sine intermissione laboris litterarum
studia esse possint; quis erit tam ferreus,
tam severus, immo tam ineptus, & stultus
rerum æstimator, qui non licere putet litteratis
hominibus, quantum temporis doctrinæ
studiis tribuere non possunt, concessis
voluptatibus dare? Quæ invidia hominum,
quæ lex tam infesta litteris, qui mos,
quæ consuetudo vetat? An ipsi docti viri
E tristitiâ quadam vitæ, & importunâ severitate
nolent animum remittere, nolent a
studiis gravioribus ad lætitiam, hilaritatemque
aliquando revocare? Immo verò sapientiæ
cupidi præceptis parebunt sapientum,
exempla sequentur præstantium doctrinâ
virorum, qui a voluptate, quæ turpitudine
careret, numquam refugerunt.
Admonebit eos Isocrates aucupandas esse
voluptates cum honestate conjunctas; nec
Platonem existimabunt Xenocrati modò,
F sed omnibus præcepisse, quum præstantissimus
philosophorum præstantem Philosophum
admonebat, ut sacrificaret Gratiis,
hoc est, ut severitatis multum, tristitiam
prorsus omnem deponeret; non enim
contractione frontis, & austeritate morum
sapientia metienda est. Declarat id acta jucundè
vita doctorum hominum, & sapien-
tum; quis enim doctrinæ cupidior Plato- G
ne, qui cupiditate discendi diversas linguâ
nationes, barbaras incolis terras, infestis
prædonibus maria, possessas a tyrannis regiones
peragravit? quantâ verò comitate,
quantâ jucunditate fuerit, cum multa declarant,
tum illud inprimis, quod, quum
iter faceret, & in homines incidisset, qui
famâ Platonis exciti Athenas, ut Platonem
viserent, petebant; & quum, ut assolet,
sese iis Philosophus comitem adjun-
xisset, tantâ humanitate, tanto lepore cum H
hospitibus versatos esse fertur; ut illi Platonem
ignotum, non tamquam gravissimum
Ppilosophom, sed tamquam comem,
hilarem, jucundum comitem vehementissimè
diligerent, & amplecterentur. Non
enim ille de Socrate, & Academiâ verba
fecit; non de rerum naturâ, non de moribus,
non de ullis philosophorum placitis
disputavit; sed usus est sermonibus jucundis,
quibus tædium viæ levaretur, ta-
lisque comes fuit, qualem Publius in Mi- I
mis esse dicit in viâ pro vehiculo. Non libet
hoc loco exemplum afferre Aristippi
philosophi nobilis (nomen illud voluptatis,
quam ille summum bonum esse censuit,
tanti viri auctoritatem elevet) sed tamen
eâ doctrinæ laude præstitit, adeo comis,
& urbanus fuit, tam jucundè, & eleganter
vitam egit; ut testis esse locupletissimus
possit, non cogi litterarum studiosos
homines cunctis voluptatibus nuncium re-
mittere. Sed quid Aristippum loquot? Stoici K
ipsi, qui nimis præfractè voluptatem aspernari
videntur, nonne plurimum tribuerunt
honestis oblectationibus? Certè Zenonem
constat principem Stoicorum, conviviis
frequentibus, & epulari lætitiâ delectatum;
quem imitati feruntur major, & minor Cato,
qui quasi quidam librorum helluo habebatur.
Supervacuum reor, Auditores,
quum philosophos, quorum vita, & ratio
videtur esse austerior, & eos philolophos,
qui omnium severissimi fuisse dicuntur, L
ostenderim frequenter animum voluptatibus
refecisse, aliorum, qui in studiis leviotibus
versati sunt, exempla memorare.
Sed ne philosphis tantùm concessum, &
datum putetis, ut possent littetis, & voluptatibus
indulgere; non omittendus ille
Porcius nobilis declamator; quem neque,
quum studeret, assiduitate, labore, vigiliis,
neque quum animum remitteret, hilaritate,
lætitiâ, lusibus, jocis quisquam superavit;
nec illa duo togæ, militiæque, & M
studiorum lumina Lælius, & Africanus;
quos principes ejus ætatis oratorum, &
principes Romani Senatus, quum in otium
secessissent, incredibiliter tradunt solitos
repuascere; & tamen hi clarissimi viri, qui
conchas in Lucrino legebant, aliisque lusi-
bus

busoblectabantur, pulcherrimas leges, Rei-
A publicæ administrandæ, Orbis terrarum
moderandi rationem, excidia Carthaginis,
Numantiæque moliebantur. Vobis, juve-
nes ornatissimi, numquam tanta rerum mo-
les incumbet, quanta principibus illis Ro-
manæ Reipublicæ; quibus tot hostes erant
debellandi, & innumerabilium populorum
saluti consulendum; si igitur illis tantum
otii fuit, ut quum res maximas gererent,
in litteris excellerent, & animos in om-
nem lusum effunderent; vobis non licebit
B esse aliquando otiosis, a quibus tantummo-
do studium litterarum postulatur? Nolite
enim existimare a vobis exigi, ut Chrysip-
pi illius, aut Didymi grammatici in litteris
laborem imitemini; quorum alterum se-
ptingentos libros, alterum tr a millia li-
brorum ttadunt conscripsisse; satis magnos
profectus facietis, si quantum temporis isti
otiosi, qui sibi lauti, & beati videntur, o-
scitantur, pandiculantur, sibi ipsis displi-
cent; & in quo otium ignavissimum con-
C sumant, non reperiunt, tantum litteris,
& bonæ menti tribuatis. Num vos alicu-
jus tetrici, tristis austeri hominis respicere
disciplinam volo? asotorum vitam jubeo
intueri. Quamdiu illi demersi vino, disten-
ti epulis, immodico somno marcentes,
pridianâ crapulâ graves, morbis ex intem-
perantiâ libidinum laborantes, & volupta-
tum quoque tædio de temporis tarditate
querentes usum vitæ prorsus amittunt, vel
acerbissimis doloribus cruciantur; si id om-
D ne tempus in litterarum studia conferatis,
quanto autem illi spatio suis voluptatibus
perfruuntur, tanto vos vestris honestiori-
bus perfruamini, incredibile est, quantam
vos putem rerum scientiam consecuturos.
Et veremini adhuc, ne studium vos abdu-
cat a voluptatibus, quum tantum tempo-
ris his indulgere possitis, quantum illi,
qui omne tempus vitæ transmittendum vo-
luptatibus putaverunt? & nondum statui-
tis jucundissimè posse vivi in otio littera-
E to; quum liqueat cuilibet jucunditati pa-
res a doctis viris percipi voluptates? pares
dico? o inertiam Orationis meæ! multo
plures, multoque majores percipiuntur.
Quid enim tam dulce, tam suave, tam ju-
cundum, quàm consuetudines amicorum?
quæ vita, licet affluat voluptatibus, sine
amicorum suavitate non est injucunda?
Quemadmodum poëtæ ferunt, ne Venerem
quidem satis esse venustam, si careat illo
cingulo, quo omnes gratiæ, omnes cupi-
F dines continentur; sic nulla jucunditas
non injucunda, si careat amicitiæ nexu,
qui unus omnes jucunditates complecti-
tur; amicitiæ verò, quæ causa est major,
quàm studium sapientiæ? Percurrite, quæ-
so, Auditores, monumenta rerum gesta-
rum, revolvite memoriam omnium sæcu-
lorum; vix duo amicorum paria inter in-
doctos, sed in Pythagoræ, in Epicuri, in G
reliquorum philosophorum familiis ma-
gnos amicorum greges fuisse reperietis;
qui vitam profundere, quum tempora a-
micorum poscerent, non recusarent; qui
nefas esse ducerent habere quidquam, quod
cum amico non communicarent. Magnum
videlicet est, & firmissimum amicitiæ vin-
culum easdem colere Musas, ejusdem amo-
re doctrinæ a pueritiâ teneri, iisdem litte-
rarum sacris initiari. Jam illa celebritas
nominis, quæ studiis comparatur; illa ad- H
miratio virtutis, & ingenii quàm multos
bonos conciliat, quam dulces amicitiarum
efficit suavitates! Ergo, si nihil in vitâ
jucundiùs amicitiâ, præstant autem littera-
ti homines amicitiis, & jucunditate vitæ
præstare fateamur, necesse est. Accedit eo-
dem lepor quidam, facetiæque, & erudita
sermonis quotidiani suavitas, quibus om-
nes doctorum congressus jucundissimè con-
diuntur; quæ quum aliquando gustasset a
Platone invitatus ad cenam Timotheus il- I
le celebris imperator Atheniensium dixit,
Platonis cenas postridie etiam delectare;
frugale nimirum convivium scitâ sermo-
nis jucunditate refertum regalium mensa-
rum voluptatibus antecellit; nec possunt
insuaves esse illæ dapes, ubi non intempe-
rantia, & libido, sed Gratiæ, & Musæ, &
philosophia leges discumbentibus ponunt.
Atque id cerni potuit in omnibus convi-
viis eruditorum, quæ adeo epulari lætitiâ,
& sermonibus memoriâ dignis, & jocis K
convivalibus redundarunt; ut a Lysima-
cho, aliisque Regibus cupidè congrega-
rentur, & a præclaris Auctoribus memoriæ
ptoderentur; nec sine causâ etiam a sa-
pientibus fuerint comprobata. Quàm enim
jucundè, quàm temperanter arbitramur
Platonicos Platonis, & Plotini natales dies,
Epicuri memoriam ejus philosophi secta-
tores conviviis celebrasse? quæ ibi audie-
bantur? quæ dicebantur? quibus illæ ce-
næ salibus aspergebantur? nec tàm corpo- L
ra epulis, quàm animi dictis festivissimis,
atque doctissimis alebantur. Quàm autem
mirabiliter temperantia cum voluptate,
cum letitiâ verecundia, cum gravitate fe-
stivitas, cum epulis, vinoque sobrietas jun-
gebatur! Conferte nunc adeo lætis, & mo-
deratis conviviis epulas reliquorum ho-
minum, & præcipuè asotorum. Quæ ibi
verborum turpitudo, quæ rerum fœdi-
tas, quæ intemperantia, quæ turbæ! na-
tant vino pavimenta, inconditis clamo-
ribus ædes personant, omnia miscentur M
tumultu, ubique lascivia, ubique licen-
tia, ubique immoderatio, temulentia, ne-
quitia mensis inerrant; jam convivarum
fœdus aspectus, non lætantur illi, sed
bacchantur, non edunt, sed ingurgitant
se

se cibis, non bibunt, sed obruunt vino.
A Alii inter servorum manus efferuntur;
alii tamquam mortui jacentes relinquun-
tur; alii cibo graves, vino madidi, titu-
bantesque vix e convivio abeunt. Mit-
to convicia, mitto vulnera, & cædes, qui
exitus interdum imperitorum voluptates
consequuntur. Quæ reputanti mihi, tran-
quillitatemque vitæ, qua studiosi fruun-
tur, animo revolventi, multo justiùs de
sapientiâ posse dici videtur, quod de bono
imperatore Paulus Æmylius pronunciavit;
B ille enim ejusdem putabat esse imperato-
ris invictam aciem, & optimum convivium
instruere; ego autem ejusdem esse arbi-
tror sapientiæ, res graves administrare, &
præesse voluptatibus; nec minùs has auge-
ri prudentiâ, quàm illæ consilio dirigun-
tur. Sed non has externas oblectationes
sapientia maximè amplectitur; suis illa frui-
tur internis gaudiis, quæ quo minùs appa-
rent, eo sunt beatiora; & quemadmodum
Aspendium ferunt nobilem Cytharœdum
C sibi, & Musis intus jucundiùs cecinisse; sic
nescio quo pacto, quod intus canitur, ju-
cundius est carmen sapientiæ. Atque uti-
nam, Auditores, verbis exprimi posset il-
la suavitas incredibilis, quæ percipitur ex
cognitione rerum, non a vulgo, sed ab
his, qui sacra litterarum dignè colunt;
profectò me considerem non mediocrem
in animis vestris, Juvenes, amorem sapien-
tiæ excitaturum. Sed latent deliciæ litte-
rarum, & tamquam sanctiora sacra ab om-
D nibus aspici, & attingi non possunt; &
tamen, quæ gaudia experiendo solum co-
gnoscuntur, conjecturâ quoquo modo
possumus æstimare. Nam, si tam dulces
corpore percipiuntur voluptates, quo no-
bilior est animus, eo necesse est animo
percipi suaviores; quî enim convenit di-
cere abjectissimi mancipii, quàm splendidis-
simi domini delicias esse majores? &, si
animus corpori causa est expetitis volupta-
tibus perfruendi, omnisque dulcedo, qua
E perfunditur corpus, ab animo, tamquam
a fonte, proficiscitur; quippe corpus bru-
tum per se est, animus viget, animus sen-
tit, animus gaudet; cujus beneficio cor-
pus tam jucundè movetur, ipsum jucun-
diùs affici consonum veritati est; & sicut
fontis aquæ sunt puriores, ita sinceriores
esse animi voluptates. Quæ verò voluptas
alia propria est mentis, nisi cognitio re-
rum? ut sensuum in sentiendo, sic mentis,
& intelligentiæ in intelligendo omnis ju-
cunditas collocata est. Ceteræ externæ
F sunt, leves, alienæ a splendore virtutis,
& sæpe animo perniciosæ; hanc unam a-
nimus amplectitur, hanc in deliciis habet,
hac pascitur, hac augetur, triumphat, exul-
tat; maximam igitur voluptatem ex rerum
scientiâ proficisci fatendum est. Siquidem,
quemadmodum Solis umbræ sunt aliorum
luminum radiis clariores; sic voluptas ani- G
mi major est, quàm corporis, quum sit
umbra quædam, & simulacrum divini illius
gaudii, quo fruuntur mentes, quum e cor-
poris vinculis evolarunt. Jacet in hoc cor-
pore animus, tamquam in antro cæco, &
tenebroso; quocumque se converterit, ni-
hil videt præter caliginem, & umbras, &
tenebras, & horrorem; ipse e lucidissimâ
regione profectus est, tacitoque naturæ nu-
tu cognatam lucem desiderat, quamvis eam
aspicere propter obscuritatem carceris non H
possit; ostendunt litteræ tenue vestigium
veritatis, ostendunt scintillam luminis,
quod mentibus illis beatissimis immensum,
atque purissimum lucet. Hanc ille non a-
met, ad hanc non se cupidissimè convertat,
& qualemcumque splendorem tenebris den-
sissimis anteponat? non usque adeo origi-
nis nostræ obliti sumus, ut non respicia-
mus aliquando lucem, densissimamque ca-
liginem, qua circumfundimur, dissipemus.
Perturbamur quidem, & caligamus ad as- I
pectum primum veritatis, ut insueti; sed
ubi pulcherrimum splendorem ferre con-
suevimus, in eo contemplando jucundissi-
mè acquiescimus, & hanc voluptatem om-
nibus longè anteponimus. Non utar hoc
loco exemplorum copiâ, non Cleanthem
commemorabo, quem tantopere cognitio
rerum delectavit, ut nullus labor, nulla
paupertas averterit a studio philosophiæ:
non Solonem, qui quum animam ageret,
& assidentes lectulo amici de re quapiam K
demissè disputarent, rogavit, ut clariùs lo-
querentur, se quippe cupere aliquid di-
scentem mori: non Archimedem Syracu-
sanum, quem non captæ ruina Patriæ, non
cadentium tectorum fragor, non militum
totâ urbe discursus, non imminentis mor-
tis terror a contentissimo studio potuit di-
movere: non alios innumerabiles, quos
constat discendi voluptates omnibus præ-
tulisse. Unus mihi testis veritatis prodeat
Epicurus; non potest in hoc genere ullius L
auctoritas esse gravior, quàm Epicuri; non
aliquem voluptatis osorem, non Antisthe-
nem, qui furere præoptabat, quàm delecta-
ri; non Xenocratem, quem ferreum fuisse
constat, & invictum adversùs illecebras
voluptatis; sed Epicurum cito, qui sum-
mum bonum in voluptate collocavit. Pu-
tes hunc semper in rosâ accubuisse, sem-
per unguentis, vino conviviis delectatum,
semper amores, semper delicias cogitasse;
in his enim summam esse jucunditatem M
vulgus arbitratur; sed quàm discrepat ju-
dicium vulgi a judicio summi viri! nemi-
nem ferunt majore studio fuisse, neminem
plura scripsisse, quàm Epicurum. Ubi sunt
illi, qui negant suavissimum esse littera-
rum studium? quid causæ possunt afferre,
cur

cur sapiens inprimis Philosophus relictis A omnibus aliis voluptatibus, omnem vitam in litteris contriverit? An contemnendam putabat voluptatem? non fuisset ille sanus, si, quod esse summum bonum censebat, id pro nihilo duceret: an cupiditate gloriæ ducebatur? quis illo magis contempsit gloriam, qui ne virtutem quidem propter se putavit expetendam? an voluptatis naturam ignoravit, ideo falsam jucunditatem est amplexatus? quid illâ clarius, quid illâ notius, qua magis etiam, quàm oportet, B sensus omnes titillantur? Certè si is, qui voluptatem solam esse duxit expetendam, doctrinam maximè omnium expetivit, summam esse jucunditatem in doctrinâ percipiendâ judicavit. At, qui vir? qui Orbem terrarum sapientiæ famâ complevit: quem omnes nationes, omnes ætates, omnes pæne sapientes propter excellens ingenium, & scientiam rerum singularem sunt admirati: qui denique, si in aliis esset levis, in hac re gravissimus auctor esse debe- C ret. Is quum exemplo docuerit, quanta sit in cognitione rerum suavitas, non utar pluribus argumentis, neque magnopere laborabo, ut vos horter ad sapientiam; ipsa voluptas vos cohortetur, quæ si tantum valet cum vitio, turpitudine, dedecore, infamiâ, probro copulata, ut præcipites animos agat in manifestum exitium; quantum valere debet cum gloriâ, cum immortalitate nominis, utilitate, virtute conjuncta? Si vos ad litteras cohortarer, dicerem- D que omnes voluptates relinquendas, suscipiendos labores pæne intolerabiles, colendam severissimam, atque asperrimam disciplinam; tamen quum ostenderem, quanta sit in studiis dignitas, & amplitudo, quantum sapientiæ lumen, & splendor, quanta vis in hominum moribus componendis, animos bene a naturâ informatos Oratio mea forsitan commoveret; nunc verò non id dico, nec verè possum dicere, sed contra affirmo concessis voluptatibus indul- E gendum, temporis multum dandum animi remissioni, non severè, non anxiè, non austerè, sed suaviter, tranquillè, hilariter, jucundeque vivendum; ostendo præterea in excolendâ sapientiâ animum expleri jucunditate suavissimâ; quid desideratis amplius? quæ id alia facultas præter litteras præstat? An putatis opifices, quum in opere faciendo sunt occupati, an mercatores, quum illitteratissimas litteras conficiunt delectari? an milites, quum asper- F rimas hiemes, æstus gravissimos, durissimam disciplinam, famem, & sitim perferunt, lætari, aut ullam partem capere voluptatis, quum in strage cadaverum, inter hostium tela versantur, & suo, & hostium cruore obliti deseviunt? Hæc verò sunt ipsis longè molestissima; sed luctu, gloriâ, victoriæ spe, ac dulcedine compen- G santur; vobis tantummodo licet non solum præmiis operum majoribus, verùm etiam ipso opere lætari; vobis beatis licet esse, vereque felicibus; quorum cummodo res diversissimæ conjunguntur, quibusque sapientia laborem cum voluptate, otium cum dignitate, negotium sine periculo pollicetur.

ORATIO V.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1681.

In solemni instauratione Studiorum.

Studiis Litterarum deditos homines mediocri laude contentos esse non oportere.

Quamquam mihi sapienter institutum videbatur, Auditores, H ut, qui primus hodierno die vertentis anni studia auspicaretur, litterarum laudes quàm ornatissimè celebraret; neque ullum splendidius, aut animo meo gratius, neque doctissimorum Patrum sapientiæ, neque optimorum Adolescentum studiis aptius occurrebit argumentum; tamen ab hac ornatissimâ ratione dicendi, qua fueram tribus his annis proximis libenter usus, multæ I me, gravissimæque rationes invitum avocarunt. Nam & sapientiæ laudes tam altas, & exaggeratas esse videbam, ut nullius augeri eloquentiâ possent; & occurrendum satietati censebam, quam toties idem argumentum pertractando creare vobis potueram; & supervacaneum arbitrabar in tantâ ingeniorum luce, in hoc tam amplo, ac tam aperto sapientiæ theatro velle splendorem litterarum, & gloriæ lumen, quo K sapientes fruuntur, quasi obscurum, aut abditum demonstrare. Quis enim ex humanissimis adolescentibus, qui sacra litterarum colunt, quorum præcipuè causâ hic a me suscipitur labor, non videt amplitudinem præclararum facultatum, doctos viros despicit, sapientiam contemnendam putat? Barbarus ille est, immo potiùs bellua quædam stupida, & stipes inanimus, atque truncus, qui sapientiæ specie non com- L movetur; qui non sentit, quàm præclarum sit præstare ceteris ingenio, qui doctrinæ laudem nullo modo putat expetendam. Omnibus, Auditores, omnibus insi-

ta

ta est, atque innata discendi cupiditas; omnes, quamvis a litteris alieni, bonarum artium pulchritudine capiuntur. Et quemadmodum lux occurrit sponte oculis, & speciem sui clarissimam exhibet nobis, etiam si aliò, quàm ubi lumen positum est, aciem intendamus oculorum; ita sapientiæ splendor etiam aliud agentibus, alioque mentis oculos convertentibus, apparet ultro, seseque ita prodit omnibus, ut omnibus admirabilis, & expetendus videatur. Quare nemo est, qui litteras negligat, quia contemnat; nemo qui studia seriò non colat, quia seriò colenda non existimet. Sed magna pars hominum errore communi labitur, Auditores; nimis angustos ingenio terminos circumscribit, nimis humilem, vulgaremque proponit sibi finem studiorum; & mediocritate quadam contenta laudis, nihil altum meditatur, nihil excellens, aut arduum concupiscit. Itaque sapientiam in excelso, atque abrupto loco positam dum quærit in plano, frustra laborat; neque sapientiam, sed ipsius umbram tenuem, & non expressam imaginem consectatur. Id perniciosum adolescentibus, qui, dum modicâ laude contenti nihil ampliùs quærunt, ne illam quidem, quam sibi proposuerunt, mediocritatem consequuntur: id prohibet illos alta spectare, id indolem generosam, id spiritus excelsos, id robur omne, viresque virtutis enervat, infringit, deprimit. Quapropter id mihi argumentum sapientiæ laudibus hodierno die prævertendum est: id quàm clarissimè potero, vobis ostendendum, studiis litterarum deditos homines, mediocri laude contentos esse non oportere; sed præstantissimam, altissimamque sapientiæ formam esse quærendam; & eam toto animo, cunctisque viribus, omnique conatu, labore, vigiliis, industriâ petendam, & asciscendam; quod cum aliis omnibus, tum potissimum vobis, Juvenes, convenire contendam; neque abhorrebit a cœtu lectissimorum adolescentum, neque a consensu Patrum amplissimorum, excellentissimam doctrinam consectari jubentis Oratio; quorum alteros propter eximium ingenium, eximiam sapientiam consequuturos non frustra speramus; alteros jam consequutos esse planè videmus.

Et quoniam clarorum hominum vita proposita nobis est quasi quoddam speculum; quod inspicientes diligenter animum componamus, & ad eorum exemplar optimum, & pulcherrimum vitam instituamus, operæpretium est in præstantissimos viros, ac præstantissimis ingeniis præditos intueri; faciliùs in hac re quoque quomodo sit nobis dirigendus cursus, & gubernanda ratio studiorum, cognoscemus. Nam si animo repetere memoriam vetustatis, & instituta summorum hominum libeat reputare, neminem eorum fuisse reperiemus, qui non in suâ facultate, quam præstantissimum se esse voluerit. Nisi verò Demosthenem putatis, quum domi inclosus rasâ parte capitis, ut puderet exire, menses totos assiduè meditabatur, & mirâ arte, ac labore naturæ vitia, hæsitantiam linguæ, spiritus angustiam emendabat, mediocrem, & pervulgatam eloquentiæ spectasse laudem, & non summam, & singularem; aut Ciceronem creditis, quum jam summus orator, non contentus facultate, quam sibi paraverat, Græciam, & Asiam peragrabat, ut eloquentissimos ejus ætatis viros audiret, & Antiocho philosopho præstantissimo, & Apollonio Moloni egregio dicendi magistro operam daret, non altissimom locum inter oratores omnium sæculorum occupare voluisse. Quid autem de Platone dicam? qui quum ejus doctrinâ Græciæ gymnasia personarent, in longinquas regiones proficisci, & externorum sapientum auditor esse maluit, quàm ipse in Patriâ sapientiæ princeps haberi; videtur ne vobis modico studio fuisse captus loci principis occupandi? ego verò neque minores artifices arbitror non exarsisse cupiditate summæ gloriæ. Cur enim, quum Myronis, & Polycleti signa probarentur, & tantorum artificum ingeniis perfecta statuaria videretur, eorum inventis Pythagoras, & Leontius non acquieverunt; sed & capillum diligentiùs fecerunt, & mores, & animum expressere solertiùs? cur hos ipsos vicit Lysippus argutiis operum, & fingendo mollius capillos, excogitatâ etiam ratione, qua statuæ proceriores viderentur? cur Protogenes in canis, Nealces in spumâ equi reddendâ irascebantur arti, quasi parum conceptæ animo imagini responderet? nisi quòd in summâ artificii præstantiâ mentis aciem defixerant, & nonnisi perfectissimis acquiescebant? Licet idem de reliquorum artificum præstantibus ingeniis dicere; sed redeo ad summos viros. Themistocles Miltiadis trophæo excitabatur: Alexander Herculis, & Liberi triumphis commovebatur: Scipionem Fabii Maximi urebat gloria, Fabium Maximum Scipionis. Cæsar, quum in Hispaniam venisset, & Alexandri Magni statuam aspexisset, ubertim flevisse dicitur; quòd qua ætate summus ille Regum triumphis, & rerum gestarum gloriâ Orbem terrarum implevisset, ipse nihil gessisset, quod posset cum Alexandri gestis comparari. Non ergo ille solùm excellentem gloriam sibi proponebat, sed planè singularem; siquidem non ardorem Marcelli, non Fabii maturitatem, non celeritatem Scipionis, non vim Marii, non Syllæ felicitatem, sed Alexandri magnitudinem spectabat; quem

omnes omnium gentium duces virtute,
A fortunaque supergressum esse constabat.
Eadem cupido summæ gloriæ Thucydidi
lacrymas expressit lectis Herodoti Musis;
nec ante summus Auctor modum statuit
industriæ suæ, aut pepercit labori, quàm
earum cantum, & suavitatem sententia-
rum pondere, & eloquentiæ gravitate, &
cothurno superavit. Quod autem littera-
rum genus non attigit, quam artem ne-
glexit, quem recusavit laborem, quam re-
gionem non perlustravit, ubi proficere
B posset, Hippocrates? Quid Galenus? quan-
to studio fuit, quantâ cupiditate discendi,
quantâ varietate doctrinæ, quantâ solertiâ?
quid veteres jurisconsulti? non philoso-
phorum, aut oratorum, aut medicorum,
aut ullius denique artificis industriæ con-
cesserunt. Illi jura Majorum, illi cogni-
tionem vetustatis, illi grammaticæ, illi dia-
lecticæ, illi philosophiæ studia, illi ratio-
nem civitatum regendarum, illi denique
rerum divinarum scientiam assumendam
C sibi putaverunt. Quæ studia, quos labo-
res, quam rerum varietatem, & copiam
numquam prudentissimi viri suscepissent,
hausissent, appetissent, si tantummodo cla-
matores odiosi, aucupes syllabarum, can-
tores formularum, & non auctores pru-
dentiæ, & principes juris esse voluissent.
Ergo illis superfuit gloria, superfuit am-
plitudo, superfuit potentia; divitiæ quo-
que, & honores, & omnia, quæ prima
Mortales putant, superfuerunt. His e-
D xemplis commoveri, hæc spectare adole-
scentes oportet, hæc loqui semper, hæc
imitari; & non eorum supinam, oscitan-
temque stultitiam (stultitiam dicam? an
stuporem animi, & tarditatem, an verò
aliquid gravius?) qui vocibus imperitissi-
mis adolescentes a studio summæ laudis
avertunt, quos audire jam videor obstre-
pentes Orationi meæ. Quos tu nobis, in-
quiunt, Hippocrates, quos Platones, quos
Galenos, Catones, Sulpicios, Ulpianos lo-
E queris nimis avidos gloriæ viros; minùs
autem, quàm oportet, voluptati, minùs com-
modis, & valetudini consulentes? Nobis
non opus est istâ præclarâ sapientiâ, quam
tantopere laudas; doctrinæ præstantiam
non consectamur, aureâ mediocritate con-
tenti sumus; nolumus digito monstrari,
nolumus haberi sapientes, ne, quòd sape-
re videamur cum paucis, vulgo simus odio-
si. Doctrinæ tantum satis est, quantum sa-
tis est quærendæ pecuniæ; hanc unam
spectamus, hanc amplectimur, hanc etiam
F veneramur; &, si fuerit opus, aris, & tem-
plo, quibus immerito caret, augendam pe-
cuniam, tanquam unicam Deam arbitra-
mur; quam quum tabulas multos, mul-
tos circumforaneos medicos abunde asse-
qui, & cumulare, & congerere videamus,

eximiam Papiniani, vel Hippocratis gloriam
non affectamus. Quæ voces cavete, ne G
vos infatuent, Adolescentes, cavete quid-
quam antiquius litterarum præstantiâ judi-
cetis. Nam quæ, malum! dementia est,
quum huic litterariæ militiæ nomen dede-
ritis, victoriam sibi non proponere, asper-
nari triumphum, quam potestis consequi,
palmam recusare? Quem putatis athletam,
quem gladiatorem in arenam descendisse,
qui victoriæ compos esse nollet, qui satis
haberet, si non ultimus omnium habere-
tur? Vos autem, quibus proposita est diu- H
turnior gloria, certamen illustrius, coro-
na præstantior, non primam laudem pe-
tetis; sed præclarè vobiscum actum puta-
bitis, si non in postremis eritis? Mutæ ani-
mantes & ipsæ dulcedinem summæ gloriæ
sentiunt; nonne videtis generosos equos,
quum ad certamen cursus instruuntur, in-
credibili alacritate, studio, ardore incitari?
ut illi hinnitu impetum animi declarant!
ut præcipites ire gestiunt! ut pedibus pul-
sant repagula! ut exilire nituntur vi! ut I
fremunt, calcitrant, ferociunt, sæviunt,
teneri non possunt! ubi verò signum tubâ
datum est, qua celeritate, quo impetu, quo
turbine præcipites carceribus se effundunt;
non solùm æmulos antevolare, sed calci-
bus, morsuque repellere, & retardare, &
omni modo superare contendunt? quæ i-
gitur bestiæ cupiditate primi loci occupan-
di incitantur, homines ratione præditi
non incitabuntur? Themistoclem ferunt,
quum in exercitu gallus gallinaceos aspe- K
xisset inter se acriter dimicantes, ostendis-
se militibus; & eo exemplo cohortatum
homines ad vincendi studium, & Patriam
impendentibus periculis liberandam. Me
verò pudeat his ingeniis præditos adole-
scentes exemplo mutarum animantium ad
laudem incitare; sed tamen, quo mentis
acie estis acriore, eo magis vobis providen-
dum est, ne quid committatis, quod stoli-
dum, brutumve esse videatur. Venistis ad
sapientiæ celeberrimos ludos certaturi, in L
curriculo estis hoc studiorum, præmia lau-
dis, atque amplitudinis magna proponun-
tur; hodierno die signum meâ voce datur
futuri certaminis, omnium voces, omnium
plausus, omnium cohortationes vos incitant
ad principem laudem capessendam; quin
imitamini generosos equos, qui non quar-
ti, non tertii, non secundi, sed primi
volunt ad metam pervenire? nisi verò e-
quis ipsis imprudentiores, & hebetiores
esse vultis. Nam illud arbitrari stultissimum
est, quamvis minùs prompti sitis, ac minore M
studio certetis, posse sapientiæ præmiis,
aut sapientiâ ipsâ potiri; non mediocrem
ea res animi contentionem desiderat, non
humilia spectantem, non vulgaribus, non
obviis acquiescentem oportet ad sapientiam
per-

pervenire; ut omnium præclarorum, ita
A sapientiæ in arduo posita possessio est; nihil agit, qui illam in altissimo loco habitantem in humili quærit; & imaginem veritatis pro ipsâ veritate complectitur. Herculem poëtæ ferunt in Cœlo versari cum Superis immortalitatis præmia consequutum; ejus umbram apud Inferos inter alias umbras volitare. Eadem est natura sapientiæ; ipsa quidem in sublimi sede, ut Hercules in Cœlo, collocata est; in humili, & quasi apud Inferos versatur ejus umbra
B tenuis, & evanida; qui repunt humi, qui alta non suspiciunt, qui summa non consectantur, veram, solidamque sapientiam non apprehendunt; sed larvas, & simulacra persequuntur, Virgiliano Æneæ, aut Ulyssi Homerico pares, quorum

Ter frustra comprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique simillima somno.

An verò non umbram sapientiæ pro sapientiâ tenere dicemus eos, qui bonis arti-
C bus non penitus imbuti, sed tincti leviter, non planè docti, sed modicè eruditi, non certi rerum, sed dubii, & hæsitantes opinionem pro scientiâ, levem conjecturam pro firmâ, stabilique ratione, verisimilitudinem pro veritate complectuntur? Enimvero genus hoc hominum stultius planè imperitis, & Reipublicæ inutilius esse contenderim; nam imperiti quidem, etsi nihil ipsi possunt excogitare sapienter, aliorum sapienter cogitatis obtemperare non
D dedignantur; mediocriter docti, neque ad parendum satis idonei sunt, neque ad imperandum; propterea quod ipsi imperare non possunt propter inscitiam, parere aliis detrectant propter opinionem sapientiæ; & imperiti quidem se nescire, quæ nesciunt, intelligunt, mediocriter docti multa, quæ ignorant, se planè scire arbitrantur; quorum alterum sapientiæ est, alterum extremæ cujusdam, & deploratæ stultitiæ. Idcirco dicitur Socrates oraculi
E voce sapientissimus appellatus, quòd ab ignoratione sui longissimè aberat, & quæ nesciebat, ignorare se non ignorabat; idem prorsus indoctos numquam refutavit, mediocriter doctos semper est insectatus; hos in summo errore versari, hos ineptissimos Mortalium, hos inutiles esse Reipublicæ convincebat. Et sanè hujusmodi homines sequitur elatio, & stulta sui fiducia, sequitur audacia, & temeritas, sequitur contumacia, sequitur contemptus aliorum; nihil in illis integrum, nihil sincerum, nihil
F aptum naturæ, effusa loquacitas, effrenata maledicentia, odiosa jactantia, subdoli mores, vera vitia, simulatæ virtutes. Quare sapienter Homerus, ut alia omnia, Thersitem, quem stultissimum intelligi volebat, non prorsus imperitum, non infantem facit; sed perperam multa loqui solitum,
multa novisse confirmat; hi scilicet ubique G
damnosi, qui norunt quidem artem, sed non optimè norunt. Non occîdit ægrotos, qui medicæ facultatis est expers; ille languentes jugulat, artemque humano generi salutarem in hominum perniciem convertit, qui medendi vias quidem cognoscit, sed non perfectè cognoscit: non perdit navem, qui nescit omnino rationem gubernandi (neque enim penitus imperito gubernaculum committitur) ille scopu-
lis illiditur, ille fluctibus, & procellis H
transversus agitur, qui scientiam rei nauticæ profitetur; sed non omnes rationes tenet fluctuum, & ventorum impetus declinandi. Quid rectores civitatum, qui non minoribus interdum in fluctibus, & procellis versantur, nonne Reipublicæ navem sæpissime perdiderunt, si mediocri regendi scientiâ præditi in maximis tempestatibus civitatis gubernacula attigerunt? Non erat imperitus omnino Reipublicæ
Cleon, non ineptus regendo populo, non I
hebes, non indisertus; & tamen, quia deerat illi summa scientia civitatis administrandæ, exitium sibi, Atheniensium Reipublicæ summas attulit calamitates. Non Perseus Macedoniæ Rex ignorabat artem regnandi, bellorumque gerendorum, inter maxima bella educatus, & a patre prudentissimo Rege institutus; cur ergo tam multa peccavit? quia in turbidis temporibus excellenti prudentiâ, & summâ illâ rei mi-
litaris peritiâ destituebatur. Non Claudius K
Pulcher, non Flaminius, non Varro Punicis bellis exercitus amiserunt, quia numquam aciem vidissent, numquam classicum audissent (neque enim in tanto Reipublicæ terrore populus Romanus ducibus inexpertis classes, exercitusque commisisset) sed mediocritas illa scientiæ militaris hominibus non prudentissimis attulit inconsultam, & cæcam temeritatem; hæc eadem mediocritas in ceteris negotiis cum
privatim, tum publicè plus, quàm imperi- L
tia semper obfuit. O inanes igitur nostros labores in instituendâ juventute susceptos! o spes irritas parentum vestrorum! o stulta consilia! o futiles vestras cogitationes! si dumtaxat petitis mediocrem laudatarum artium scientiam. Ideo ne sapientiam colitis, ut stultiores evadatis? ideo virtuti studetis, ut vitiis affluatis? ideo Patriam reliquistis, ut deteriores in ipsam revertamini? Cui deinde poteritis opem ferre laboranti, quem eloquentiâ tueri, quem
auctoritate, quem consilio, quem operâ M
adjuvare? An vobis ipsis utiles fore confiditis? vobis excellentem gratiam, præstantem dignitatis gradum, insignes divitias esse paraturos? erratis, Adolescentes, erratis; hæc præmia numquam tribuunt homi-

homines, nisi ei, qui Reipublicæ prosit;
A prodesse autem in hoc genere nemo potest, qui mediocrem fuerit doctrinam consequutus. Quapropter hæc omnia egregiis viris egregiam navantibus operam sapientiæ sapientia pollicetur; hos benignè fovet, amanter amplectitur, constanter tuetur, opibus, amplitudine, honoribus, gloriâ cohonestat; ignavos, & nihil splendidum, & sublime cogitantes, tamquam aquila fetus adulterinos, spernit, segregatque a se, & fortunæ relinquit obnoxios libidini incon-
B stantissimæ dominæ. Itaque rarò videmus excellenti sapientiâ viros non haberi in pretio, non coli, diligi, ornari, aliquo præmio affici, his ipsis rebus augeri, quæ videntur dona fortunæ; contra verò mediocriter homines eruditos aliquando quidem, sed rarò fortunæ beneficiis prodigè cumulari; frequentissimè verò jacere, contemni, despici, carere præsidiis vitæ necessariis. Scilicet quanto quisque minus habet sapientiæ, tanto magis est fortunæ su-
C bjectus; ea porro sicut incertissima est, ita est incerta prosperitas non sapientum. Sapientes autem non fortunæ, sed sapientiæ famulantur; ideo certis præmiis laborum perfruuntur, neque indigent malâ conciliatrice fortunâ; quum ipsos omnibus ingenii lumen, splendorque virtutis ultro commendent. Ergo proponitur vobis optio sapientiæ, an fortunæ subjecti esse malitis; hoc est regnare velitis, an servire miserrimam servitutem; nam si ma-
D gnos in litteris progressus facietis, imperio sapientiæ, sin autem mediocres, libidini fortunæ vos magis committetis. Et dubitatis, Adolescentes, utri serviatis? & hæsitatis adhuc incerti? & nondum statuitis cupidè sapientiam consectandam, fortunam velis, remisque fugiendam? nam altera fidelis est, & semper constans; altera perfidiosa, & numquam stabilis: altera plena consilii, plena prudentiæ; altera temeritatis, & furoris, & insaniæ: altera
E composita, placida, tranquilla; altera inquies, turbulenta, tumultuosa: alterius comites pudor, probitas, honestissimus virtutum chorus; alterius impudentia, improbitas, examen turpe vitiorum: alteram docti viri, prudentes, gloriosi, comes, placidi subsequuntur; alteram imperiti, imprudentes, inglorii, insuaves, turbidi, inurbani. Cui porro violentum fortunæ regnum probari potest? quàm illa sæviter ludit! quàm immaniter sævit! cui parcit bono? quem semper fovet? Aspicite ever-
F sa regna terrarum, aspicite desolatas provincias, aspicite nobilissimas urbes dirutas, & suis ruinis consepultas, aspicite Regum multiplices, acerbosque casus, aspicite potentissimorum quondam populorum miseras, horribilesque clades; quid aliud in his, quàm fortunæ flagitia, & scelera agnosce-
tis? Non liber hoc loco tantas tragœdias G
excitare; ad minora veniamus, & privata vulnera. Plena est querelis vita Mortalium, plena lacrymis miserorum, plena casibus acerbissimis innocentum; quis hos luctus excitavit? fortuna: lugent homines, recidere in irritum spes certissimas, non respondere suis laboribus fructus, non manere diu, quæ stabilissima videbantur; quis tantas mutationes, absurditatesque molitur? eadem fortuna; neminem ea suble-
vavit, quem non afflixerit: neminem or- H
navit, quem non dedecorarit: neminem fovit, quem non abjecerit. Quis tam incostans Euripus? quod mare tam instabile, quæ tam incerta aura ventorum, quàm est incerta, instabilisque fortuna? Philosophus nobilis mercatorū fortunam haudquaquam probabat, & rudentibus aptam esse dicebat; non solùm mercatorum fortuna, sed omnium, non rudentibus apta, sed tenujore suspensa filo est, quàm ensis ille Syracu-
sanus; nec minore cum periculo nostris I
cervicibus imminet, nisi sapientiæ armis nos muniamus. Hanc ergo tam levem, tamque mutabilem, vobis tantummodo propriam, stabilemque futuram ne censeatis; neve fortunam omnium conviciis proscissam, criminibus accusatam, sententiis damnatam sapientiæ anteponatis; anteponetis autem si videri sapientes, quàm esse malueritis; nam erit in potestate fortunæ vos eruditos leviter quasi plenè sa-
pientes hominibus commendare; & falsam K
docti viri personam imponet vobis fortuna, non veram speciem induet sapientiæ. Quamquam ego sum reprehendendus, qui tandiu sic egerim, quasi omnia sint votis responsura, & nihil impedimento futurum, quominus illam, quam spectatis, mediocritatem assequamini. Id autem longè aliter se habet; rarò ad eum, quem nobis proponimus, finem pervenimus; propterea quòd in omni negotio multa se nobis oppo-
nunt, quæ institutum cursum remorentur, L
& animi impetum retardent, atque imminuant; in hac autem ratione studiorum longè plura sunt, quàm in aliis; rei difficultas, exempla malorum, odium laboris, & curæ, voces imperitorum, oblectationes, ludus, joci, consuetudines æqualium, theatra, convivia, commessationes; quibus deliniti multum de illa mediocritate studii, quam initio probavistis, paulatim remittetis. Sed ut alia vos nihil impediant,
voluptati quomodo resistetis? cogitate M
quantæ sint voluptatis vires, quantæ amorum illecebræ, quantæ corruptelæ juventutis; quàm ista vestra ætas facilè capiatur, quàm incitata libidine gestiat, & extra officii fines præceps ferri soleat. Hunc autem ætatis ardorem inflammabunt ubique cor-

rupti

rupti hominum mores, permissa passim ef-
A frenæ cupiditati licentia; nihil occlusum
libidini, nullus locus est, ubi non occur-
rant exempla nequitiæ; nullum tempus,
quo non voluptas nobis blandiatur, & a
studiis avocet, & ad se vocet. His ille-
cebris opponamus, oportet, animum hu-
milia respuentem, dies, ac noctes de lau-
de cogitantem, amore sapientiæ vehemen-
ter incensum, & inflammatum; ex hoc
summo studio siquid voluptas decerpserit,
tempus imminuerit, sodalium pravitas de-
B traxerit; nihilo tamen secius tenere pote-
ritis locum dignum ingenio, dignum Ma-
joribus vestris; sin autem modica spectan-
tes mediocrem concipietis amorem sa-
pientiæ; ex hoc quantulumcumque fuerit
delibatum, exiguum relinquetur, & ne
modicos quidem profectus habebitis, sed
in postremis eritis. Quod omnibus turpe
est, vobis verò turpissimum; in eo quip-
pe natali solo estis editi, his Majoribus or-
ti, ut a vobis præstantissima quæque expe-
C ctentur. Nam vobis ferè omnibus mater
Etruria est; ea verò provincia (absit invi-
dia vero) inter alias universas præstan-
tium ingeniorum proventu beatissima est.
Nam, ut hoc loco prætermittam, quæ de
nostrorum hominum acumine Veteres præ-
dicarunt, posteaquam occasu Romani Im-
perii artes bonæ funditus occiderunt, hæc
una provincia innumerabiles viros procre-
avit, qui extinctas in lucem revocarunt;
& studiosis lucidissimam ingenii facem præ-
D tulerunt. Hic ab Inferis excitata, & per-
fecta pictura est: hic architectura barbara
ante, & rudis in antiquam elegantiam, ni-
toremque pristinum restituta: hic ingeniis
Etruscorum instaurata primùm, & ad sum-
mam artis excellentiam perducta sculptu-
ra. Etrusci musicam, Etrusci disciplinam
militarem, Etrusci Jurisprudentiam, Etru-
sci litteras Latinas, Etrusci litteras Græcas
ab interitu vindicarunt. Italicam verò,
quam vocant linguam rudem prîus, & in-
E conditam, & obscuram non alia natio pul-
chriùs polivit, certis legibus adstrinxit, e-
loquentiæ luminibus illustravit; siquidem
principes oratorum, principes lyricorum
poëtarum, principes Historicorum Etrusci
fuerunt. Non esset cognita Latinis homi-
nibus Platonis admirabilis, & divina sa-
pientia, nisi in eâ cognoscendâ Etrusci ho-
mines elaborassent: non Democriti inge-
niosissima philosophandi ratio illustrata,
nisi principes illustrassent Etrusci: non tot
F in philosophiâ, reliquisque disciplinis in-
venta præclarè, nisi ceteris ad invenien-
dum Etrusci duces extitissent. Mitto sin-
gularem gentis industriam; prætereo ele-
gantiam, urbanitatem, solertiam; non
commemoro nitorem oppidorum, agro-
rum cultum, villarum pulchritudinem;
nihil dico de ceteris artibus liberalibus,
deque his, quæ minùs liberales habentur; G
non recenseo innumerabiles viros morum
sanctitate, pacis, bellique studiis clarissi-
mos; florem ipsum hominum, rerumque
delibo. Duos Etruria produxit viros, qui-
bus haud scio, an universus Orbis pares
umquam tulerit; quorum alter quartæ ter-
rarum parti a se repertæ nomen dedit; al-
ter magnam Cœli partem detexit, innu-
merasque stellas priùs incognitas ostendit
Mortalibus; & ne suum nomen interiret,
tot illud siderum novis nominibus cele- H
bravit; neve fama sui posset obscurari, in-
numerabilium stellarum lumen adinvenit;
quibus exemplis nihil arbitror posse magni-
ficentius excogitari. Dinocrates ille mon-
tem Atho in effigiem fingere Magni Alexan-
dri cogitavit; ut vasta illa simulacri magni-
tudo Regis invicti magnitudinem repræ-
sentaret. Quanto præclarius est, quanto-
que admirabilius non montem aliquem,
sed Cœlum ipsum, partemque terrarum
maximam constituere suæ virtutis, & sa- I
pientiæ immortale monumentum; ut ne-
mo terram aspiceret, Cœlumve suspice-
ret, qui illorum ingenii, Tuscorumque
solertiæ non admoneretur. Cujus & vos
admoniti existimare turpissimum debetis,
quum singularem vobis natura Cœli, soli-
que largita fuerit ingenii præstantiam, non
singularem quoque sapientiæ laudem con-
cupiscere, & indignos Majorum loco Po-
steros inveniri; præsertim in tanto otio,
ac tranquillitate rerum, sub tali Principe; K
cujus inter egregias, regalesque virtutes
hæc etiam non ultima recensetur, quòd
traditum a Majoribus morem, litteras, &
ingenia diligendi, fovendi, amplificandi
constantissimè tuetur, & servat. Quem æ-
quissimum ingeniorum judicem, acerrimum
virtutis æstimatorem, beneficentissimum sa-
pientiæ fautorem habituri, eximium quod-
dam, & singulare laudis genus concupi-
scatis, oportet; ut dignum aliquid tanto
Principe elaboretis, cui non nisi egregia, L
alta, excelsa, ac pæne divina debentur.
Quare agite, mei Juvenes, abjicite plebe-
jas, & vulgares opiniones, concipite spi-
ritus altos, & generosos: proponite vobis
ad imitandum exempla clarorum virorum:
audite vocem naturæ, quæ cunctis homi-
nibus, ac nonnullis etiam mutis animan-
tibus ingeneravit cupiditatem summæ glo-
riæ: cogitate vos relictâ Patriâ, relictâ do-
mo paternâ profectos esse ad hoc empo-
rium nobilissimum clararum facultatum, M
ut sapientiam vobis, & sapientiæ præmia
compararetis; ea verò non emi, nisi ab
iis, qui excellentissimæ laudis cupiditatem
attulerunt: consulite Reipublicæ, cui non
opus est mediocri doctrinâ: consulite vo-
bis, qui nihil estis alioquin tantis impen-
sis,

ſis, tantoque labore præter arrogantiam, & inanem ſapientiæ umbram, & dedecus reportaturi: reſpuite felicitatem in orbe volubili fortunæ non in ſapientiæ gremio collocatam: opponite voluptati, quæ vos, niſi caveritis, tranſverſos, præcipiteſque aget, animum ſummi loci ſtudioſum, & ſublimium appetentem. Magnum vobis onus imponit Patria præſtantium ingeniorum ferax; magnum veſtri cives, quibus tam ingenioſis, tamque acutis difficile eſt ſatisfacere; magnum tranquillitas ſæculi; magnum Principis magnitudo, cui debetis hoc quaſi tributum induſtriæ ſummæ, atque ſolertiæ. Quòd ſi nihil excellentius animo concipietis, mediocremque dumtaxat erudirionem ſpectabitis; nemini magis veſtrum conſilium, quàm vobis, qui ſequuti fueritis, diſplicebit.

ORATIO VI.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1683.

In ſolemni inſtauratione Studiorum.



Adoleſcentiæ tempus idoneum maximè Studiis eſſe.

Quum anno, qui proximè revolutus eſt, Audirores ornatiſſimi, adverſâ valetudine conflictarer, vobis quidem non defuit, qui meas partes impleret; & muneri, quo fungimur hodierno die, quum præclarè ſatisfacerer, animos veſtros & dicendi copiâ commoveret, & abunde etiam exquiſitâ eruditione, & orationis cultu delectaret; mihi verò acerbum fuit carere conſpectu veſtro, quo recreor, & reficior; carere hujus auctoritate loci, quam ſemper exiſtimavi ſummam; carere ſtudiis litterarum, a quibus divelli ſine magno dolore non poſſum. Verumtamen in hac moleſtiâ, quæ corpus, animumque annum pæne integrum occupavit, aliquid ſum frequenter meditatus, quod cogitatum mihi documento, prolatum vobis, Adoleſcentes, magno uſui eſſe poſſet. Nam quum ingenii, corporiſque vires concuſſas, & labefactatas cernerem ſtudiorum labores abnuere, & reformidare, mihi veniebat in mentem animum quamvis cœleſtem, & immortalem, & contagione terreni corporis defatigari, nec perinde proceſſu ætatis, atque ineunte adoleſcentiâ vigere; vel certè multa evenire, quibus egregii illi impetus, quos concepimus, retardentur. Quare ſtatuebam cupidis litterarum eſſe properandum ad bonam mentem, neque expectandum, dum infringatur corporis valetudo, animi ardor extinguatur, relangueſcat ingenii vis; ſed illum ætatis florem Muſis præcipuè dicandum, illud eſſe tempus aptiſſimum litteris, illo potiſſimùm decus, & gloriam, illo adoleſcentiæ commendationem, firmatæ jam ætati auctoritatem, viatica ſenectuti, & honeſtum otium eſſe comparanda. Quam cogitationem meam, Adoleſcentes, ad utilitatem veſtram hodierno die repetam, & quàm pauciſſimis potero vobis oſtendam, iſtud ineuntis ætatis tempus idoneum maximè ſtudiis eſſe, floremque dumtaxat primæ juventutis excultum in uberrimam ſapientiæ meſſem adoleſcere; & hanc occaſionem, quæ vobis datur proficiendi, eſſe illum articulum opportunitatis, quo neglecto fruſtra meliores annos, & ereptam diſcendi facultatem requiretis. Ac ſi, quod Pittacus ille, qui fuit unus e ſeptem Sapientibus admonebat, caput eſt rerum agendarum tempus opportunum, eoque omnia continentur; quum opportunitas omnem ſtudiorum rationem, ſpemque veſtri profectus complectatur; non abhorrebit ab utilitate veſtrâ opportunitatem ſtudiorum demonſtrantis Oratio. Quæ ſi minus digna videbitur auribus veſtris, Audirores, ignoſcitote mihi jam quintùm de eadem re verba facienti, infirmaque inſuper valetudine laboranti; nam & ſæpiùs de eadem re ornatè, copioſeque dicere difficile eſt, & quum utaris afflictâ valetudine, difficillimum.

Ac mihi quidem, Auditores nobiliſſimi, tria rerum genera videntur deſiderari in eo, qui nonnullam ſit in litteris præſtantiam conſecuturus; corporis valetudo, non illa, qua gloriabantur athletæ, quæ in robore virium, & membrorum, lacertorumque mole cernebatur; ſed inoffenſa corporis, & nullâ infecta morborum labe ſalubritas; ingenium acre, ac vegetum, quo nomine etiam memoriæ vim, tenacitatemque intelligi volo; externa omnia, quibus aluntur ſtudia litterarum, quo in genere collocantur otium, doctorum hominum copia, locus litteris opportunus, propoſita ſpes præmiorum, & laudis, atque amplitudinis. Nam quamquam Platonem ferunt divinâ ſapientiâ virum, quò philoſophiæ impenſiùs operam daret, inſalubrius Academiæ cœlum elegiſſe; nemo mihi quantumvis prudens auctor perſuaſerit, non conferre plurimum ad ſapientiam, animique ſanitatem, bonam corporis valetudinem. Quin & Platonem ipſum putaverim, in Academiam migraſſe, non ſanitatis causâ deterendæ; ſed ut corporis

habi-

habitudinem nimis plenam, & exuberantem, A ob eamque causam rationi fortasse reluctantem carperer, & mentis imperiis redderet obsequentem; quum ipsom accipiamus alioquin corporis curam cum animi cultu semper conjunxisse; neque enim perturbato corpore constare mentis tranquillitas potest litterarum studiis necessaria; neque in ægris membris animus quidpiam, nisi ægrum, & intermortuum cogitare; & sicut artifex nequit instrumento corrupto suum opos laudabiliter elaborare; sic animus depravato corpore, qoo ad omnia utitor instrumento, non est aptus ad exequendum suum munus; & quemadmodum Sol inter nubes obscuriùs lucet, sic in adversâ valetudine ingenii lumen hebetatur. Sed si corporis invaletudo plurimum officit mentis claritati; quid mentis ipsius infirmitas? si hebes, & causarium corpus discentibus est impedimento, quanto magis hebes ingenium? Alias artes, nisi planè stipes quidam fueris, exercitatione diuturnâ C consequi possis; non requiritur ignea mentis celeritas, non innumerabilium rerom perceptio, non memoriæ tenacitas, non ingenii solertia, non eloquendi facultas, quæ nisi saltem mediocria ad doctrinæ studium attuleria, frustra laborabis. Jam illa externa, quæ diximus, quantopere desiderari putamus in homine studioso litterarum? an dubitamus, quin otio litteratos oporteat abundare? potest ne quisquam occupatus, & aliud agens earum rerum D scientiam consequi, quam summis ingeniis prædìti homines, quum totâ vitâ nihil aliud egissenr, vix assequi potuerunt? Quid initæ cum doctis hominibus familiaritates, colloquia, præcepta, sermones, quàm sunt discentibus necessaria? vix unum, aut alterum in totâ antiquitate reperias, qui sine his adjumentis naturâ duce profecerit. Manlius ille Romanus cunctis disciplinis nullo doctore nobilis prædicatur; rarum id exemplum, ac pæne u- E nicum, ceteri omnes desiderant hæc adjumenta ductrinæ. Socrates certè, quum more ab antiquis philosophis usurpato in solitudines aliquando secessisset, traditur in urbem maturè se recepisse; quum diceret in solis nemoribus, inter arbores, truncosque, & saxa versantem se nihilo fieri doctiorem; sed cum hominom eruditorum consuetudines plurimùm prosunt, tum ipse locus, in quo agimus. Si Themistocles natus fuisser Seriphi, non talem se futurum fuisse dicebat; ego verò non magis F natalem, quàm sedes, in quibus quisque commoratur, spectandas esse arbitror. Athenæ, quamvis Atheniensium doctrina defecisset jampridem, tamquam nutrices litterarum petebantur. Est nimirum genius quidam locorum, & quemadmodum non omnes terræ ferre possunt omnia, ita non omnis locus est aptus ad ingenia nutrienda; G ideo Athenis eloquentes, Thebis luctatores, Lacedæmone fortes, Rhodi navium gubernatores proveniebant. Sed omnia, quibus ad spem magni profectus aluntur ingenia, vincit spes præmiorum, & honores, quibus ornantur studiosi; nam pauci pulchritudine sapientiæ commoventur, pleriqoe gloriâ, vel utilitate ducuntur. Quibus probè constitutis, quæ infirmari nullius eloqoentiâ possunt, si hæc, quæ prima diximus nos augere doctrinâ, H adesse vobis, Adolescentes, ostenderimus universa, ac numquam æquè aliàs, atque in præsentiâ adsunt, affutura; si nunc maximè prosperam valetudinem, ingenium velox, otium, reliquas opportunitates vos invitare; quid reliquum est, quid consequens, nisi ut hanc occasionem, quæ vobis offertur hoc tempore, numquam postea redituram arripiendam statim omni contentione statuatis? Vereor, Auditores, ne, dum singula, quæ proposui, argumen- I tis confirmare contendo, abuti videar patientiâ vestrâ, & rebus clarissimis afferre conari locem; qood non minùs ineptum est, quàm si quis omnibus apparentem veritatem obscurare dicendo moliatur. Quid enim clariùs, quàm pleraque adolescentibus esse ad discendum opportuna, quæ procedente ætate pereant, vel saltem minuantur? nam cui potest esse dobiom, quin præcipua dos adolescentiæ sit valetudo? K

Optima quæque dies miseris Mortalibus ævi
Prima fugit, subeunt morbi......

cecinit ille tamquam ex cortinâ Deos poëtarum. Quo longius progreditur ætas, eo magis flos ille sanguinis, quo viget adolescentia, deflorescit; minuitur vigor; non alacritas eadem, non laborum patientia, non corporis firmitas, non salubritas; major incommodurum sensus, major amor quietis, major ad studium non perceptarum facultatum cunctatin, L & exercendi ingenii subrepit quædam detrectatio. Neque hæc incommoda sunt tantùm senectutis, verùm etiam ultimæ juventutis, quæ comparata cum adolescentiâ senectus quædam est. Verissimè Romanos ille Philosophus dixit, nos quotidie mori? veriùs dixerim primo pubertatis flore languescente, & deciduo, nos quotidie senescere, & deteriore uti valetudine; vestra verò ætas, Adolescentes, exactis pueritiæ, quæ jure infirmior judicatur, spatiis, quàm robusta est, M quàm vegeta, quàm integris sensibus; quàm illibatâ fruitur valetudine, qua mentis hilaritate, quo vigore corporis, quàm impigrâ, & inconcussâ virium firmitate! Quæ dona immortalis Dei non ideo sunt vobis

data,

data, ut in turpes voluptates effusiùs ruatis, A & pulcberrimam ævi partem per luxum atque socordiam transigatis; sed primordia juventutis robusta esse voluit summus Auctor, ut sufficere corpus perferendis laboribus posset, quos artium honestarum studia postulant; quibus aucti utiles Reipublicæ, vobis fructuosi esse possitis. Idcirco valido corpori adjunxit ingenium ad doctrinarum satus accipiendos maximè opportunum; neque enim est, cur adolescentiæ corporis quidem robur attributum, ingenii vim denegatam existimetis; immo verò ea ætas præ ceteris pollet ingenio, & sicut animi culturam inprimis desiderat, sic ad excolendum animum est aptissima. Atque ut, quod eleganter Poeta cecinit:

Vere tument terræ, & genitalia semina poscunt;

sic in illo vere ineuntis ætatis, se se effert ingenii quædam feracitas, & ut ita dicam, luxuries, quæ doctrinarum semina avidissimè B arripit, arrepta nutrit, nutrita propagat in opimam sapientiæ messem; qui ingenii impetus in alio citiùs, in alio seriùs elanguescunt; in omnibus certè magis in adolescentiâ, quàm reliquis ætatibus vigent. Quapropter abundat exemplis eorum historia, qui adolescentes rebus gestis, & ingenii gloriâ floruerunt, adultâ jam ætate adolescentiæ laudibus non responderunt. Pompejum magnum ex ephebis vix egressum Italia civili bello liberata; adolescen- D tem Hispaniæ perdomitæ, subacta Africa; juvenem piraticum bellum mirâ celeritate confectum, Mithridates debellatus, victus, supplexque Tigranes, Asia peragrata victoriis, tremefacta Parthorum potentia, tot ferocissimæ nationes, tot invicti Reges bello superati cohonestant; virum ambitio, & nimia dominandi cupiditas; senem fuga, & accepta a Cæsare clades, & Pharsaliæ campi Romano sanguine redundantes dehonestant. Quid alterum liberæ urbis lu- E men Africanus ille superior? nonne quam sibi pepererat adolescens gloriam, maturâ jam ætate non adæquavit? qui puer patrem ab hostibus circumventum periculo liberavit, relinqui Patriam a conterritis Cannensi clade civibus vetuit; mox viginti quatuor natus annos Hispaniæ provinciam amissis ducibus, cæsis exercitibus fluctuantem suscepit, & trepidam in eâ Romanam rem, nutantemque confirmavit; Carthaginem novam munitissimam urbem uno die F cepit; quatuor punicos exercitus victoriâ exultantes cecîdit; Hispanos toties rebellantes contudit, Hispaniamque universam a Pyrenæis montibus ad mare, & Oceanum populo Romano subjecit; deinde Consul creatus ætate minimè consulari, cujus non viri gloriam obscuravit? Concussa bello Africa, deletæ sæpiùs Numidarum, Pœnorumque copiæ, Syphax captus, Hannibal G superatus, devicta Carthago trophæa sunt adolescentiæ Scipionis. Sed idem vir secundum Consulatum nullâ re memorabilem gessit; senex Linterni exilium, ut Patriæ pudendum, ita inglorium sibi pertulit: Et, ne Romanos dumtaxat nominem, Alexander ille Macedo pæne puer, quum duces omnes priùs genitos magnitudine rerum gestarum, continentiâ, liberalitate, consilio, clementiâ superasset; ætate procedente partam gloriam superbiâ, temulen- H tiâ, cædibus amicorum decoloravit. Mitto alios duces, quorum adolescentia maximis laudibus floruit, reliquum tempus ævi silentio, vel acceptis cladibus obsolevit; nam, quum de litteris agatur, aptius est exempla doctorum afferre, quàm fortium; hîc verò clariùs probare possumus, ingenium in adolescentiâ potissimùm eminere. Hermogenem quemdam perhibent, quum decimumquintum ætatis ageret annum, tantis eloquentiæ laudibus præstitisse, ut I omnes in admirationem sui traheret, omnes eximia sibi de eo pollicerentur, & tamquam Cœlo delapsum aspicerent; sed ea spes fefellit homines; nam caducus fuit flos ille præcoquis ingenii, neque spectatos protulit fructus. Nimirum quod nonnulli serò patiuntur, citò passus est Hermogenes; detrivit ætas ingenium, &, qui puer principem inter oratores locum occupabat, juvenis ne mediocrem quidem eloquentiæ laudem est consequutus. Sed & K Hortensius Romanus orator simul atque adolescens forum attigit, summis oratoribus palmam abstulit; processu ætatis, quam sibi pepererat dicendi gloriam, vix retinuit, & ingenium corpore senescente consenuit. Contra verò neminem reperias eorum, qui in magnos viros fuerant evasuri, qui ineunte adolescentiâ senectutis gloriæ non præluxerit. Demosthenis prima dicendi rudimenta perfectis aliorum operibus anteponimus: Platonis dialogos, quos L adolescens composuit, admiramur: Ciceronis orationem eam, quam vigesimotertio, vel, ut alii tradunt, vigesimoseptimo ætatis anno dixit, non multum distare fatemur ab ejusdem Oratoris eloquentiâ jam canescente: Tibulli versibus, qui præmaturâ morte præreptus est, nihil elegantius fieri posse credimus: Lucani tot poëmata suspexit antiquitas, quum ipsum sciamus a Nerone sublatum, quum trigesimum annum nondum attigisset. Ingens hîc exemplorum M copia se undique offert; latissimus dicenti campus aperitur; sed non excurram longiùs, & moderabor Orationi meæ; ex his quippe, quæ protulimus, exemplis facilè percipi potest, quod volebamus intelligi. Nam si longa ætas, diuturnum studium, expe-

experientia rerum, prudentia, quæ comes
A esse creditur ævi robustioris, & senescen-
tis, magno sunt adjumento disciplinarum
præstantiam affectantibus; & tamen ea ef-
ficere non possunt, ut serior ætas longè
vincat adolescentiam; immo in nonnullis
adolescentia reliquis ætatibus præstitit;
quam hujus rei caussam putamus, nisi in-
genium, quod maximè floret in adolescen-
tibus? Nimirum, quemadmodum tellus,
quæ antea virgultis obsita, silvis densa, pri-
mùm vomere proscinditur, & semen acci-
B pit, uberiorem segetem reddit, quàm ea,
quæ feritur quotannis; ita ingenium ado-
lescentium, quod recens animi culturam
accipit, uberius, fecundiusque doctrinæ
frugem producit, quàm ingenium viro-
rum, quod jam subactum est, & diuturni-
tate temporis, & studiorum defatigatum.
Nempe in adolescentibus rerum species
facilius imprimuntur, altiùs desiguntur, te-
naciùs hærent; quum eorum animus mol-
lis, nec tamen imbecillis, & fluxus ha-
C beatur, pateatque rebus percipiendis, quum
multitudine perceptarum haudquaquam la-
boret; & ut promptiùs quolibet colore ve-
stis inficitur, quæ nullum habuit; sic ani-
mus adolescentium, quum nullo sit imbu-
tus, faciliùs quemlibet sapientiæ ducit co-
lorem. Jam quum ingenium nihil aliud
esse constet, quàm animi quosdam celeres
motus ad excogitandum solertes, ad inda-
gandum sagaces, ad percipiendum acutos;
quis neget adolescentum mentes quum i-
D gneâ mobilitate vigeant, his motibus con-
cipiendis esse præcipuè idoneas? Neque
enim, ut in pueris, agitatio materiæ ni-
mia, humorumque copia perturbat, & de-
mergit *divinæ particulam auræ*, & mentis
obest claritati; quò fit, ut in pueris cor-
poris motus vigeant, ingenii sint hebetio-
res; nam omne animans, simul atque na-
tum est, vehementissimè cietur; hinc in
illâ tenerâ ætate quietis impatiens gestit,
ludit, expatiatur, excurrit. Idcirco concin-
E nè de brutis Poeta philosophus cecinit:


..... teneras lascivo per herbas
Ludia lacte novo mentes perculsa novellas.

Sed, ut corpus agile est in pueris, ita in-
genium corporis motione vehementi per-
turbatur, quasi lumen, quod ventis agita-
tum minùs clarè vicina collustrat. Succe-
dit adolescentia pueritiæ, & quidquid su-
perfluit ex motu, detrahit, æstumque mate-
riæ fluctuantis, & inquietæ paulatim sedat.
F Tunc emergit ingenium, cujus velocitati
corporis mobilitas obsecundat; tunc in a-
nimo molli, nec tam perturbato memoria
viget; quod munus Deorum studiis litte-
rarum apprime necessarium adolescentiæ
peculiare est, annis labentibus celerrimè
præterfluit; ut enim in corpore pulchri-
tudo, sic in animo memoria quàm citissi- G
mè exolescit; reliquæ verò ætates com-
presso juventutis impetu, animoque com-
posito, rerum experientiâ condocefactæ
prudentiam sibi vindicant. Sed prudentia
rebus agendis, ingenium contemplandis
cernitur; ex quibus efficitur pueritiam in
corporis curâ, adolescentiam in animo ex-
colendo, reliquas ætates in agendo magis
occupatas esse oportere. Ergo vobis adest
tempus, Adolescentes, opportunum, sup-
petit valetudo, abundat ingenium, super- H
fluit otium; nihil enim curæ rei familiaris
procuratio sibi vindicat, nihil amici po-
stulant, nihil ad corporis cultum, victum-
que necessaria comparandi cura decerpit.
Dei benignitate, Principis beneficio, Ma-
jorum virtute vobis otium partum est, quo
majus neque ipsi a Superis optare possitis;
id per ignaviam corrumpatis, an per bo-
nas artes honestetis in manu vestrâ est.
Cleanthes fertur, quum inopiâ laboraret,
& philosophiæ studiis operam navare per- I
cuperet, industriâ fuisse tantâ, ut die qui-
dem hauriendis aquis victum quæreret,
noctem somno eriperet, & in rerum con-
templatione consumeret. Si hujus laborio-
sissima studiorum vobis ratio proponere-
tur, veniâ digni videremini, si desistere-
tis, eximiâ laude, si perseveraretis. Nunc
autem, quum ea conditio proponatur, ut
facili negotio magnam gloriam compare-
tis, cur deteriora sequamini, relictis me-
lioribus? Atque eo magis vobis properan- K
dum, quòd reliqua fortasse contingent e-
tiam alio tempore; otium tantum, quanto
nunc abundatis, postea numquam suppe-
tet; subibit rei domesticæ cura, strepitus
fori, negotiorum turba; discendi occasio-
nes agendi tempus occupabit; tunc fru-
stra, si nunc cessaveritis, mederi inscitiæ
vestræ concupiscetis; animo enim vacuo, &
soluto curis, & libero negotiis opus est ad
litteras. Sed fingite vobis otium non de-
futurum; unde eam facultatem habebitis, L
quæ datur hoc tempore, tot doctissimos vi-
ros audiendi, consulendi, interrogandi?
tunc multa pudebit discere, ne ignorare
videamini; multa quærere aut ætatis, aut
dignitatis vestræ ratio non patietur; mul-
ta scitari non poteritis, quia qui doceat,
non aderit; nunc ætati vestræ inscitiam
non dissimulare fructuosum, interrogare
laudabile, discere pulcherrimum est. Adest
præterea ingens doctorum hominum co-
pia, quibus Pisana Gymnasia illuminan- M
tur; qui beneficii loco sunt habituri, si ab
ipsis quàm doctissimi discesseritis. Itaque
vobis, ingeniosissimi Juvenes, tam prom-
ptum est, quam vultis doctrinæ copiam
comparare, quàm homini copioso in ce-
leberrimo mercatu, & omnibus rebus af-

fluenti, quam velit mercem coëmere; at-
A que eo magis, quòd in hoc nobilissimo do-
ctrinarum emporio non venales, ut in
multis Europæ Gymnasiis fieri audio, sed
gratuitæ sapientiæ merces exponuntur;
quas gravissimi viri vel vitæ periculo quæ-
rendas existimarunt. Euclides ille philoso-
phus Megarensis, quum Athenis lex esset,
quæ capitis pœnâ sanciebat, ne quis Me-
garis natus Atticæ finas ingrederetur, quo-
tidie Megaris Athenas ad Socratem veste
mutatâ ventitabat; quò philosophiæ pa-
B rentem audiret de moribus disceptantem,
& se præstanti vir ingenio præsentissimo
mortis periculo objiciebat non, ut alii, ad
augendas opes, aut explendas voluptates,
sed ad sapientiam ex illo philosophiæ fon-
te manantem uberiùs hauriendam. O vi-
rum immortalitate dignissimum, qui mor-
tem contempserit, quò rectiùs vivere con-
disceret! sed miserum (si cadit hoc verbum
in tantam sapientiam) qui animi cultum
cum tanto corporis incommodo quærere
C cogeretur! vos autem fortunatos, quibus
in summâ rerum tranquillitate non unum,
aut alterum, sed multos, neque de unâ
dumtaxat facultate, sed de omnibus do-
ctissimos viros differentes audire contin-
git! Non vos ab Ægyptiis geometriam,
& astrorum scientiam, ab Italis doctrinam
rerum divinarum, a Cretensibus leges, a
Græcis philosophiam, & medicinam, quod
Platonem fecisse accepimus, cognoscetis.
In hoc uno sapientiæ templo omnium do-
D ctrinarum adyta penetrare, omnibus inte-
resse Musarum sacris licebit; quidquid au-
gustum divinæ littere, quidquid recondi-
tum philosophus, quidquid argutum Dia-
lecticus, quidquid geometra solers, & in-
geniosum, Jurisconsultus æquum, salubre
Medicus excogitavit, quoad libebit, &
quantum libebit, percipietis. Non antiqui-
tatis cognitio, non herbarum potestates,
non siderum scientia, non humani cor-
poris historia, non eloquendi facultas, non
E præcepta morum vobis deerunt. Hîc non,
ut in aliis Italiæ Gymnasiis, interpreta-
menta solùm Aristotelis, & Peripatetico-
rum scita, præclara illa quidem, sed haud-
quaquam unica, verùm etiam aliorum phi-
losophorum placita non contemptim, sed
seriò explicata; præterea, si quid superio-
re sæculo est adinventum (inventa sunt
autem non pauca, eaque non contemnen-
da) tum in medicinâ, & corporum disse-
ctione, quæ priscis ignota fuerunt, & in-
F credibili solertiâ ætatis nostræ patefacta
sunt, audietis. Jam in jurisprudentiâ le-
gum cognitionem non ex incultâ sequio-
ris ævi barbarie, sed ex eruditâ recentio-
rum doctrinâ, & veterum fontibus haurie-
tis. Quid verò dicam, quàm assiduè præ
ceteris hoc Athenæum doctissimis exerci-
tationibus celebretur? quanto studio ve-
stri profectus ardeant, qui in hoc litteras G
profitentur; quàm libenter ab ipsis, &
quàm sedulò suscipiantur labores; quæ si-
tis exempla visuri, quæ documenta audi-
turi, quas voces, quas cohortationes? Non
hîc doctrinæ professores adolescentes tan-
tummodo cohortantur ad exercenda litte-
rariis concertationibus ingenia, ipsi ab hu-
jusmodi famæ discrimine sese abstinent
more ignavorum ducum, qui contenti in-
struxisse aciem, milites ad prœlium accen-
disse dicendo, ipsi numquam prœliantur, H
numquam comminus cum hoste congressi
labantem aciem restituunt; sed exemplo
vobis monstrant viam, in arenam descen-
dunt, inter se doctissimi viri congrediun-
tur; præterea e sublimi loco, e plano, pu-
blicè, privatim, domi, foris præcepta vo-
lentibus tradunt omnium disciplinarum.
Non difficiles aditus, non severitas ni-
mia, non superbia, non fastus a doctorum
hominum congressibus vos arcent; quo-
minus ubique possitis, & quotiescumque I
vultis, eorum fieri scientiâ doctiores. Jam
urbs ipsa priscâ severitate, non illecebris
plena, non campania deliciis affluens, non
referta voluptatibus, non dissoluta vos a-
vocat a studio litterarum; sed plena bonis
exemplis, plena doctorum monumentis,
sapientum impressa vestigiis animum quan-
tumvis jacentem, & segnem ad studium
summæ gloriæ potest excitare. Quid illud,
quod posuimus extremum litteratorum in-
citamentum, quantam vim habet animos K
commovendi? quod addere calcar ingeniis,
quos ignes accendere potest honestæ cupi-
ditatis proposita spes laudis, & præmio-
rum? Aspicite, in quantâ ingeniorum lu-
ce versemini; concipite animo juvenum
studiosorum multitudinem ex tot oppidis,
urbibusque mox affuturam; omnium ani-
mos in vos esse conversos cogitate; si lau-
dabiliter, si præclarè studiorum tirocinium
posueritis, & fundamenta jeceritis vestræ
laudis, non in hac urbe tantùm, sed in L
omnibus, unde profecta est adolescentium
multitudo, nomen vestrum celebrabitur.
Herodotum Lucianus tradit, quum glo-
riam suam per universam Græciam cupe-
ret propagare, neque id aliter, nisi longo
temporis intervallo consequi posset, ad
olympicam venisse ludorum celebritatem,
ad quam ex omnibus Græciæ populis mul-
ti confluebant, & historiam recitasse, quam
in novem libros distributam novem Mu-
sarum nominibus appellavit; atque eâ ra- M
tione Græciam implevisse gloriâ sui nomi-
nis. Nam ludis ex more perfectis, quum
unusquisque in Patriam revertisset, Herodo-
tum apud populares summis in cœlum lau-
dibus extulit. Quod Herodoto contigit,
id, *si parva licet*, ut ait ille, *magnis compo-
nere*,

nere, vobis continget, Adolescentes, hoc
A tempore, si laudi, atque gloriæ studueritis.
Pisas convenistis non olympicos ludos spe-
ctaturi, sed in sapientiæ stadio certaturi;
continuò hic aderunt ex totâ Etruriâ, alisf-
que regionibus juvenes ornatissimi; qui, si
coronam fueritis in hoc litterario certami-
ne consequuti, in Patriam reversi vestras
laudes non sunt obliteraturi silentio; ita
in unâ urbe edetis ingenii specimen, in
pluribus innotescetis, quod alibi postea non
facilè consequemini. Hic est enim sapien-
B tiæ ludus celeberrimus, amplissimum in-
geniorum theatrum, studiosorum curricu-
lum, ut dicam, quod sentio, totius Italiæ
nobilissimum: hic ingenia proferre, hic
auram gloriæ aucupari, hic quærere inse-
quentis ævi ornamenta debetis; non enim
solùm partum in adolescentiâ decus ad fa-
mam vobis proderit, sed etiam ad præmia
virtutibus debita consequenda. Permagni
interest, utrum quis ineunte ætate, an jam
firmatâ inceperit ad gloriam virtutis viâ gras-
C sari; quem a teneris unguiculis homines
sunt admirati, faciliùs, quàm alios virum
suspiciunt, & omnibus præmiis putant di-
gniorem; & quemadmodum cursores illi,
qui e carcere emissi lentiùs procurrunt,
etiamsi in medio stadio sese incitaverint,
rarò coronam consequuntur; sed ille co-
ronatur, qui eodem tenore summâ celeri-
tate totum curriculum confecerit; ita qui
sunt in adolescentiâ segniores, licet mu-
tatâ deinde voluntate solertiam sibi adsci-
D scant, viri difficiliùs præmiis afficiuntur,
quàm ii, qui cum adolescentiam, tum re-
liquas ætates in studio summæ laudis col-
locarunt. Quæ quum ita se habeant, jam
perorabo, Auditores; quid enim mihi præ-
termissum? quid non argumentis confir-
matum? quid causari possunt adolescentes,
cur aliud tempus expectent, cur opportu-
nitatem tantam prætervehi sinant? quan-
do majorem corporis vigorem, acrius acu-
men mentis, tranquillius otium sunt habi-
E turi? quando par dabitur facultas doctissi-
mos homines consulendi? quando autem
majus gloriæ theatrum ipsis patebit? tanta
ingeniorum lux obversabitur? tam gravem
urbem, tam studiis opportunam, tam ce-
lebrem, tam idoneum tempus suis emolu-
mentis consulendi nanciscentur? Atqui
his rebus discendi opportunitatem conti-
neri, & nos ostendimus, & res ipsa clamat;
opportunitatem verò prætermittere quàm
omnibus turpe est; quàm omni negotio
damnosum? quid enim commodius oppor-
F tunitate? non mare nautis patet, nisi adsit
opportunitas navigandi: non terra produ-
cit fruges, si maturum tempus arandi, seren-
di, sarriendi agricolæ prætermittant: non
Cœlum terræ fetus educat, nisi opportu-
na tempestas hominum laboribus obsecun-
det: omnes artes moderatur opportunitas:
omnium hominum acta, resque gestæ sunt G
irrita, nisi opportunitate adjuventur; op-
portunitas prætermissa semper hominibus
calamitates attulit. Prætermisit Archias
tempus opportunum conjuratos opprimen-
di; ideo, quum res severas in crastinum
distulisset, a conjuratis eadem nocte est in-
teremptus: prætermiserunt Persæ locum
opportunum Macedonum copiis obruen-
dis; ideo, quum Tauri montis angustias
non insedissent, ab Alexandro Rege su-
perati sunt: non vidit Hannibal occasio- H
nem capiendi urbem Cannensi clade tre-
pidantem; ideo retractus in Africam ca-
stris exutus a Scipione est: non Pompe-
jus Cæsaris exercitum fame subigendi, aut,
si vidit, suorum precibus fatigatus neglexit;
eâ de causâ commisso prœlio Pharsaliæ cam-
pos nobilitavit clade Romanâ. Quid plu-
ra persequar, quid evolvam Veterum mo-
numenta? plena sunt fora, plenæ domus,
plena omnia vocibus miserorum occasio-
nem sibi e manibus elapsam frustra queren- I
tium; ea est enim ipsius natura, ut non ap-
prehensa prætervolet, præterita non revoce-
tur, amissa non reperiatur. Quò magis con-
venit adolescentes oblatam discendi occa-
sionem avidè arripere, respuere voluptates
a bonis artibus avocantes, incumbere ad
laudem; hujus rei causâ Patriam, paternæ
domus commoda, vestrorum conspectum
reliquistis. In hac autem urbe versari ni-
hil agentes serium, nihil addiscentes præ-
clarum, inertes, ignavos, turbidos, disso- K
lutos est frustrari parentum, cognatorum-
que vota, amicorum desideria, expectatio-
nem civium, ingenium, indolem, ætatem
vestram pessumdare. Quæ damna, quam-
vis inposterum reparaveritis, quæ repa-
rari fortasse nullo modo possunt; tamen
haudquaquam decorum est, quum huc
studiorum causâ veneritis, domum redire
nihilo sapientiores; nam, quod Græcis a-
pud Homerum dicebat Agamemnon, id
vobis, Adolescentes, dici potest:

Turpe manere diu vobis, vacuisque reverti.



ORATIO VII.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1684.

In solemni instauratione Studiorum.



Ex liberalissimis doctrinæ studiis plurimum utilitatis, & incrementi suscepisse rem militarem.

Cogitanti mihi, Auditores ornatissimi, qua potissimum ratione doctrinæ studia celebrarem, & mi- A tiores laudes mitissimis disciplinis tribuere meditanti ingens hic armorum motus, quo cum Orbe Christiano Orientis Regna concurrunt, hujusmodi mentem, consiliumque excussit; & ad aliud laudationis genus convertere Orationem coëgit. Nam in mentem veniebat esse quosdam, qui licèt hæc studia tranquillis Reipublicæ temporibus non inutilia, certè non indecora esse fateantur; simulatque classicum cecinit, non solùm inter B arma silere Musas; verùm etiam earum inventa publicæ disciplinæ damnosa putent inveniri. His enim studiis, hoc otio juvenum litteris deditorum effeminari animos, infringi spiritus martiales, omnes nervos virtutis elidi; nihil autem utilitatis ex hac Musarum palæstrâ ad illum Martis pulverem non indecorum proficisci, aut esse umquam profectum. Quare consultiùs fecisse barbaras nationes; quæ, quum animadverterent armis bene gestâ C Republicâ tranquillam pacem, & otium cum dignitate, atque adeo publicam felicitatem comparari, omne suum studium ad bellicas artes contulerunt; hæc erudita pacis ornamenta, & otii oblectamenta neglexerunt. Quæ me litteras accusantium eo magis movit oratio, quòd videbam tempora incidisse Marti aptiora, quàm Musis; nam susceptum adversùs Barbaros bellum, in quo pro gloriâ, pro imperio, pro avitâ religione, pro aris, ac focis dimicatur, D cujus non animum curâ sollicitat, quem omittere non cogit alias cogitationes, & ad publicam causam studium convertere, quæ bello feliciter administrando continetur? Enimvero abjiciendum otium, excutienda omnis ignavia, indicendum etiam videtur justitium bonis artibus, si ullum rei bellicæ detrimentum sunt allaturæ. Verumtamen præclarè naturâ comparatum est, ut, quæ disciplinæ pacem ornant, bellum instruant; & quæ otium oblectant, negotio sint adjumento; quod Orationi meæ præbebit argumentum hodierno die; quo propositum E est mihi ostendere, ex liberalissimis doctrinæ studiis plurimum utilitatis, & incrementi suscepisse rem militarem. Nec, opinor, ab hoc tempore, quo bello concutitur Orbis terrarum, dissidebit Oratio; & simul illud intelligetur, quantum pacis tempora debeant his disciplinis, quibus belli tempora se multum debere fateantur. Atque utinam in hac re minùs laudare possemus inventa sapientum, minùs ratio, & litteræ hominum sævitiam, & ferociam ad- F juvissent! non tot clades illatas humano generi doleremus, non tot clarissimarum urbium excidia lugeremus; sæviret quidem hæc rabies ferri, sæviret hæc sanguinis sitis, quæ, dum homines erunt, semper exardescet, sed ab ingenio destituta leviùs, innocentiusque sæviret. Quid opus fuerat tot instrumenta nocendi, tot belli machinas invenire; quid mitissimas artes ad salutem repertas ad hominum armare perniciem? sed facilis, & expedita sapientium G defensio est; nam quemadmodum bonus ille Poëta Romanus excusat artificem, qui

...... *est ausus funestum primus fabricarier ensem*,

quum dicat nihil illum meruisse, sed nos ad mala nostra, quod ille contra feras invenerat, convertisse; sic præstanti ingenio viros, quum suis inventis rem bellicam ornarunt, & instruxerunt, non hominum cædes, non urbium excidia, non regnorum vastitatem expetivisse dicemus; sed H ad Patriam tuendam tradidisse civibus artes, quibus uterentur in Barbaros; sed immanem habendi plura libidinem, quod illi dederant in Barbaros, ad innocentium populorum damna convertisse. Nam quum initio gentes moribus efferatæ, & robore corporis stolidè feroces, quæ jus in armis collocabant, rebus suis non acquiescerent; sed finitimos invaderent, & omnia cædibus, ruinâ, scelere, strage miscerent; extitere sapientes viri, qui vim inconsultam, I & temerariam arte retunderent, & plurima excogitarent, quibus imbecilliores instructi fortiorum robur, ferociamque non pertimescerent; sic militia sapientum magis ingenio, quam fortium virtute perfecta est. Quare quum bellum sit numquam optandum, sæpe autem necessarium, non accusandi sapientes, qui necessitati prospexerunt; sed hominum cupiditas, quæ frequenter bella non modò non necessaria, sed scelerata suscepit. Atque ego dum viros, K qui doctrinâ suâ auxere scientiam rei militaris, a crimine cupio vindicare, fundamenta jecisse videor laudationis meæ, quæ tum firmiter nixa credam, quum ingenium in bello plurimum posse constabit; quæ ne cujusquam oratione convellantur, agedum homi-

hominum naturam diligenter attendamus.
A Eſt ne ullum imbellius homine in terris animal? non compare hominem cum tigribus, cum pantheris, cum leonibus, aut elephantis, cum imbecillioribus, aut mitioribus comparo. Ceteras animantes unguibus, roſtro, dentibus, ungulis, cornu, tergoris duritiâ, pedum pernicitate natura munivit; hominem dumtaxar inermem, & nudum in nudâ humo deſtituit, & ut ait ille

...... *abjecit ad luctum, atque ploratum.*

B Qua ergo vi, quibus armis ille nudus, ille inermis, ille imbecillus ferociſſimarum ſævitiam belluarum domat, & omnium victor omnibus imperat, lateque dominatur? certè liquet reliquas animantes valere naturâ hominem ingenio ſupereſſe. Quis autem dubiter, quin eodem ingenio, quo belluarum armatam à naturâ feritatem naturalibus armis deſtitutus vincit, & exarmat, etiam hominum inermium victor evadat; eo magis quòd homines ab ingenio,
C belluæ à naturâ datis armis præliantur? Eſt nimirum ingenium vis illa domina rerum, cui cuncta cedunt, quæ omnia moderatur, quæ perrumpit obſtantia, dura mollit, rigida flectit, rerum naturam habet in poteſtate. Huic nihil arduum eſt, nihil prorſus invictum, venti famulantur, turbines, tempeſtateſque obſecundant: hoc maria peragrantur, perfodiuntur montes, rupes domantur, deprimuntur altitudines, humilia attolluntur: huic denique terra ipſa parens,
D quaſi famula domino, quidquid imperatur, miniſtrat; & miramur homines ab eo ſuperari, cui faſces rerum natura ſubmittit? Atqui ſi vincit ingenium omnia, & præcipuè homines, quibus ratio ab Auctore ſummo quaſi domina eſt attributa; quis neget triumphum decernendum nobiliſſimis diſciplinis, quibus excolitur, alitur, augetur, armatur ingenium? Nonne ſine his homines rudes, rerum imperiti, ad excogitandum habetes tam longè vincuntur a doctis,
E quàm ipſi mutis animantibus antecellunt? Neque hæc eò dixi, quòd putem ſingulis, qui rem tractant militarem, opus eſſe doctrinâ; ſcio hoſtem ferire, ſervare ordines, agnoſcere ſigna, dicto imperatoris eſſe audientes, indoctos quoque ſolere; nec mihi videtur promptius horridam illam Martis aleam ſubiturus eloquens, aut rerum naturæ peritus,

Quàm bellicoſi maſcula militis
Proles Sabellis docta ligonibus
F *Verſare glebas; & ſeveræ*
Matris ad arbitrium reciſos
Portare fuſtes......

Sed illud ego conſtanter contenderim, ex his diſciplinis, quibus adoleſcentes erudiuntur ad laudem, quoddam lumen diffundi; quo res bellicæ illuſtrentur, quod prudentiſſimis imperatoribus exercitus, claſſeſque
ductantibus luceat; hoc eſſe aſtrum, ad G
quod, non ſecus, ac nautæ quondam ad clariſſimos Septentriones, in turbidâ belli tempeſtate duces convertantur. Id verò quis prudens rerum judex audeat negare? quàm multa geometræ docent, quæ ad bellicos uſus transferantur? metiendæ ſunt altitudines, metienda locorum, quæ adiri non poſſunt, intervalla, arcis alicujus forma deſcribenda, bellica tormenta librandæ, exploranda capacitas locorum, acies
inſtruendæ; tam multa, tam varia, tam cre- H
bri uſus, cujus artis beneficio, niſi geometriæ, militares viri pulcherrimè conſequuntur? Jam in pontibus ad trajiciendas copias conſtruendis, fluminibus aliò derivandis, arcibus muniendis, caſtris eleganter ponendis, machinis novis excogitandis, quanta ejus doctrinæ ſolertia, quanta utilitas in bellicis rebus elucet? Quid autem de re nauticâ dicam, qua pars altera militarium rerum continetur; quæ niſi Mathe-
maticorum nitatur inventis, & diſciplinis, I
incertiùs navibus, quas moderatur, natet, & fluctuetur? Atque ego in hac re plura ſciens prætermitto; quis enim omnia perſequatur? nec verò neceſſe eſt, quum exempla ſpectantibus conſtet plus pæne opis in hac parte ſtudiorum, quàm in fortiſſimorum militum dextris, & virtute collocari. Plus nimirum Archimedis ingenium in defendendâ Patriâ civibus profuiſſe accepimus, quàm omnium Siculorum
conſpirantem audaciam; quem virum Sy- K
racuſani, ut cum Poëtâ loquar,

...... *unum omnia contra Tela Latinorum*

opponebant; nec umquam Marcellus Archimede propugnante cepiſſet Syracuſas, niſi longæ obſidionis tædio, & diſcordiâ civium ad deditionem compuliſſet. Plus Periclis doctrina ad bellum gerendum juvit Athenienſes, quàm omnes alii imperatores; qui Anaxagoræ ſtudia æmulatus, &
omnibus imbutus diſciplinis, & rei mili- L
taris peritiſſimus machinas quatiendis mœnibus urbium princeps apud Græcos dicitur inveniſſe; nec eloquentiâ, qua *tonare, & fulminare, & permiſcere Græciam* dictus eſt, potentiùs civium animos, quàm bellicis machinamentis hoſtium urbes expugnaſſe. Eant nunc ſapientiæ contemptores; & negent hanc plurimum adjumenti militaribus viris attuliſſe; quum duos doctiſſimos homines oppugnandarum ur-
bium, & propugnandarum artem reperiſſe, M
& perfeciſſe intelligant. Nolo diutiùs in hac parte verſari, ne videar inopiâ ceterarum in unius diſciplinæ laudibus immorari; nec verò omnia, quæ de reliquis dici poſſunt, attingam, ne in immenſum creſcat Oratio; nam quis erit dicendi modus,

dus, si omnes utilitates, quas bellatoribus
A aliæ facultates afferunt, velim recensere?
Historiæ mehercule sola cognitio si quan-
tum consiliorum, quantum solertiæ, quan-
tum artis in arte bellandi pepererit, expo-
nere instituam, numquam exitum repe-
riet Oratio. Evolve monimenta scripto-
rum, omnis ævi memoriam contemplare;
videbis consilia, astus, calliditates ducum
superiorum posteriores semper imitatos de
hostibus magnificè triumphasse; qood as-
sequi numquam illi potuissent, nisi vete-
B rum ducum res gestas historiâ teste cogno-
vissent. Duleo vehementer, Auditores, me
angustiis temporis impediri, quominus il-
lustrium imperatorum facta commemorem;
& quibus exemplis antiquorum recentio-
rum quisque profecerit, vobis exponam.
Evincerem profectò historiam esse lucem
rei militaris; sed quoniam longiùs evagari
non licet; quod ducum gesta non possunt,
ratio coget fateri. Profectò constat inter
omnes experientiâ rerum plurimùm adju-
C vari prudentiam militarem; experientia
verò humanæ vitæ terminis angustis sanè
concludatur, necesse est; sed historiæ cu-
gnitio non unius ætatis, verùm omnium
sæculorum notitiam complectitur; non in
uno tantùm loco, sed in toto Orbe terra-
rum res gestas explorat; consilia non unius,
aut alterius, sed omnium omnis ætatis im-
peratorum videt; Auctorum præterea sa-
pientium judicia, ac præcepta comprehen-
dit. Quum autem experientiâ multùm pro-
D fici concedamus; historiæ cognitione, quæ
tantis rebus vincit experientiam, nihil pro-
fici concedemus? certè Reipublicæ admi-
nistrandæ prudentiam plerique omnes au-
geri rerum gestarum lectione consentiunt.
Quod prudentiæ civili confert, cur nege-
mus conferre militari? præsertim quum hi-
storia clamet, litteræ omnes testentur, sa-
pientum scripta confirment, magnis duci-
bus plurimum sæpenumero profuisse. Lu-
cullum Cicero narrat, qui vitam ejus viri,
E utpote summâ familiaritate sibi conjuncti,
optimè nosset, quum res bellicas numquam
attigisset, historiâ cognoscendâ tantùm pro-
fecisse, ut ad Mithridaticum bellum missus
a Senatu in Asiam venerit factus impera-
tor. At qualis imperator? qui Mithrida-
tem, Tigranemque duos maximos totius
Asiæ Reges, potentissimosque devicit, eo-
rumque sæpe innumerabiles copias parvâ
manu fudit, fugavitque; navalibusque vi-
ctoriis, urbibusque expugnandis, & omni
F ratione belli gerendi ingentem duorum Re-
gum potentiam, non solùm Imperii magni-
tudine, sed rebus gestis, & virtute terribi-
lium attrivit, comminuit, dissipavit, ever-
tit; ac nisi militum contumacia summum
imperatorem in medio victoriarum cursu
destituisset, non Mithridatis, non Tigra-
nis accisæ jam opes, non intacta, sed di-
scors Parthorum vis impedimento fuissent, G
quominus Lucullus omnium interjectarum
gentium victor Imperii terminos trans Ba-
ctra, Indumque proferret. Plus hoc exem-
plo, quàm volumus, efficitur; satis est no-
bis docere clarissimos duces historiæ noti-
tiâ aliquantum promovere; Lucullus osten-
dit fieri perfectum posse imperatorem. Quid
pluribus utar exemplis, Auditores; quum
nihil hoc reperiri præclarius possit? me ta-
men dulcedo quædam memoriæ Scipionis
cogit ejus viri prudentiam non prætermit- H
tere; qui, quum historiâ magistrâ in rebus
maximis, quas gessit, uteretur, Polybium
ejus auctorem gravissimum, veterumque
rerum peritissimum consilio semper adhi-
buit; nec puduit doctissimi viri studio vi-
deri profecisse Carthaginis, & Numantiæ
eversorem. Nec omittendus Alexander il-
le Severus, qui non unum, ut Scipio, sed
multos historiarum homines scientissimos
fertur habuisse secum, quorum consilio pa-
cem, & bellum administraret. Ergo ille I
potentissimum Regem Artaxerxem cum in-
finitâ manu Romanis Provinciis imminen-
tem profligavit, clarissimamque de Persis
victoriam acceptam retulit memoriæ rerum
gestarum. Sed quid ego de historiâ plura
disputo? est ne ullum doctorum genus,
quod a bello magis abhorrere videatur,
quàm poëtarum? est ne ulla Musis cum
Marte conjunctio? & tamen commemora-
re possim duces, qui ex poëtis multum
hausere scientiæ militaris. Nec immerito K
Lacon ille videtur affirmasse, Homerum
esse poëtam Spartanorum; quòd quum La-
cedæmonii omnes artes aspernarentur, quæ
ad res bellicas nihil conducerent, Home-
rum intelligeret omnes bellorum vias osten-
disse, & præcepta militaris artis prudentis-
simè tradidisse. Certè Philippus ille Magni
Alexandri pater, filio non deterior, Ho-
meri præceptis admonitus Macedonicam
phalangem instituit, quam quis neget Ma-
cedonum rebus, & salutis, & omnium vi- L
ctoriarum causam extitisse? ut non teme-
rè Alexander Homerum suspexerit, & stu-
diosissimè lectitarit; a quo videret multa se
didicisse, ejusque sapientiæ deberi Impe-
rium Persarum deletum, & Indiam victo-
riis peragratam. Et quoniam Philippi facta
mentio est, non solùm fortissimi, sed & e-
loquentissimi Regis; admoneor hujus in-
genio, quod pæne exciderat, inter milita-
res artes litteratorum maximum decus elo-
quentiam recensere. Hac enim fretus Phi- M
lippus, quum Macedonum rem trepidam,
& labantem, afflictum ab Illyriis horribili
ruinâ, & clade Regnum suscepisset, ad
spem meliorem milites excitavit; quum
assiduas conciones haberet, exercitum e-
loquentissimis orationibus ad pristinum de-
cus

cus recuperandum hortaretur. Nec verò
A assentior Demostheni tanti Regis inimico;
qui, quum Philippi eloquentia laudaretur,
affirmavit rhetoris virtutem esse, non Re-
gis; illa verò Regis est virtus, & quidem
præcipua, siquidem imperatoriæ laudes ad
Regem pertinent. Nam militum animos
ad prœlium inflammare dicendo, erigere
abjectos, flectere contumaces, excitare lan-
guentes, scelusque, & cædem anhelantes
componere, cujus est, nisi eloquentis, &
imperatoris? Accepimus Lacedæmonios
B Tyrtæi versibus incitatos, nobilissimam de
Messeniis victoriam consequutos: accepi-
mus militum rabiem Xenophontis oratio-
ne compressam in excidium Byzantii jam
erumpentem; & audebimus affirmare ni-
hil ad imperatorias laudes eloquentiam per-
tinere? Ego verò non hanc modò facul-
tatem, quam hominum reginam Euripides
vocat, regendis militum animis arbitror
pernecessariam; sed illas reconditas, & ab
hominum cœtu quodammodo separatas,
C cognitas ducibus profuisse, ignoratas ma-
ximarum cladium causas extitisse. Nicias
Atheniensis imperator, quum profecturum
Solis defectus terruisset, arbitratus osten-
tum, quod naturæ lege accidebat, profe-
ctionem distulit; eâ morâ interjectâ hostes
cunctantem assecuti Atheniensium exerci-
tum internecione deleverunt; qua clade flo-
rentissimæ civitatis vires conciderunt, quam
infelici imperatori ignoratio philosophiæ
attulit, abditarumque causarum; nec illi
D profuit peritia rei militaris, quæ abunde
aderat, quum abesset eruditio. Non ita
Paulus Æmylius cum Perse Macedonum
Rege signis collatis dimicaturus ejusdem
sideris defectione perterrefactus est; habe-
bat quippe in exercitu Gallum Sulpicium
eximium Cœli spectatorem; qui quum ha-
bitâ concione futuram clarissimi sideris ob-
scurationem prædixisset, Romanos immi-
nenti metu liberavit; quo oppressi Mace-
dones timidius prœlium commiserunt. Ita
E Romani partam de Macedonibus victoriam
non tam Pauli Æmylii virtuti, quàm Gal-
li Sulpicii sapientiæ debuerunt, & Græcos
ipsos Græcâ doctrinâ superarunt. Quæ duo
exempla sola commemoravi, quum innu-
meris abundet historia; genus ipsum atti-
gisse contenti fuimus; vobiscum ipsi cetera
cogitate; non dubito, quin in clarissimâ veri-
tatis luce versari putetis Orationem meam;
est enim id in perspicuis philosophiæ lau-
dibus; vanos ex superstitione metus demit,
F qui persæpe militibus subitos terrores obje-
cere; quæ ergo facultas horum stirpes,
radicesque evellit ex animis, hanc utilem
militiæ, & salutarem fateamur, necesse est.
Quod si illa disciplina, quæ cupida solitu-
dinis, inimica turbarum, a vulgo dissita
quàm longissimè inter astra, atque in ab-
dito rerum naturæ sinu, latebrisque sem-
per habitavit, in aciem aliquando descen- G
dit, trepidosque nonnumquam bellatorum
animos confirmavit; quid de morum mo-
deratrice philosophiæ parte dicemus, quæ
in mediis urbibus, in hominum cœtu, &
publicâ luce versatur? Quàm multa dicun-
tur a philosophis de amore Patriæ, de for-
titudine, de honestate, de contemnendâ
morte; quæ ex angustiis gymnasiorum e-
gressa quum in vulgus emanaverint, ad
subeunda pro Patriâ fortiter pericula, mor-
temque honestè oppetendam homines co- H
hortentur? Atque hac arte quondam arbi-
tror fortissimos populos adolescentibus
paulatim instillasse virtutem. Nec verò in
illis tanta honesti cupiditas, tantusque mor-
tis contemptus extitisset, nisi a teneris un-
guiculis cives honestissimis documentis, &
rationibus imbuerentur; sed me de insti-
tutione bellicosissimarum gentium dicere
incipientem tempus admonet ea refellere,
quæ ab adversariis contra disputantur. Ef-
feminari putant animos adolescentium, I
molliores que effici studio sapientiæ, & in-
stituta nobis opponunt Barbarorum; qui mi-
nimum doctrinæ, plurimum roboris in ar-
mis habuerunt. Romanos etiam, si Diis
placet, advocant testes, quos ajunt, dum
viris viguit Respublica, litterarum studia
repudiasse; quum arma, non libros tracta-
rent; non in gymnasiis, sed in castris ver-
sarentur; non qui eloquenter dicerent,
sed qui fortiter facerent, cogitarent; quæ
stultissimè dici, ineptissimeque contende- K
rim. Nam quid ineptius, quàm putare ef-
feminari animos sapientiâ, effici stultitiâ for-
tiores? Quod si ita esset, numquam eæ
gentes, quæ sapientiam coluissent, quid-
quam bello præclarum gessissent; nam stu-
dia bellicis virtutibus adversa illarum ro-
bur enervassent; quemadmodum populos,
qui alias artes mollientes animum, virtu-
temque frangentes exercuerunt, accepi-
mus enervasse. Lydos ferocissimam Asiæ
nationem, quum Cyrus cuperet ad obse- L
quium servile rebellantes compellere, omis-
sis prioribus institutis coëgit artibus operam
dare, quæ viriles animos effeminant. Num-
quam postea Lydi pristinam virtutem re-
cuperarunt, numquam Lydia protulit vi-
rum bellicâ laude memorandum; omnes
imbelles, ignavi, meticulosi, qualibet fe-
minâ molliores extiterunt; &, qui forti-
tudinis exemplum fuerant, deliciarum fue-
runt, & intemperantiæ; idem Xenophon
Babyloniis tradit accidisse. Quod Lydis, &
Babyloniis, & aliis omnibus, qui studiis M
enervantibus virtutem se se dediderunt,
usuvenit, usuvenisset & populis litteratis,
& sapientiæ studiosis, si litterarum studium
in numero artium animos emollientium
poneretur; nunc autem contra accidit,

Nam

Nam eæ ferè gentes belli gloriâ, quæ sa-
A pientiæ, ceteris præstiterunt; non igitur
fortitudo mollitur studio doctrinæ, sed cor-
roboratur; quod intellexerunt Mitylenæi,
qui populos a se domitos, ne rebellarent,
vacare litteris vetuerunt. Quod autem de
totis populis diximus, de singulis homi-
nibus possumus dicere; nam si timidos,
molles, imbelles, ignavos litteræ faciunt,
timidus Alcibiades, mollis Epaminondas,
Cæsar imbellis, Pompejus ignavus; quando
illi viri non minùs pæne sapientiæ studiis,
B & eloquentiæ, quàm bellicis floruerunt.
Atque hoc in loco omnis antiquitas testis
citatur, omnes ferè clarissimi duces, qui
cum Marte Minervæ studia conjunxerunt,
appellantur: appellatur Cyrus ille superior
victor Orientis, quem studiosissimum fuis-
se Persarum monimenta prodiderunt: ap-
pellatur Philippus Macedonum Rex, qui e
Lysidis Pythagoræi scholâ prodiit clarissimus
imperator: appellatur Magnus Alexander,
qui Aristotelis præceptis instructus Persas,
C Indosque profligavit; a Platone eruditus
Dio, qui Regis opulentissimi Dionysii re-
gnum privatus evertit; Timotheus ab Iso-
crate doctus Atheniensium ductor eximius;
a Socrate Xenophon institutus elegantissi-
mus scriptor, doctissimus philosophus, & so-
lertissimus imperator; Ptolemæus Alexandri
Magni successor, auctor historiæ luculentus,
egregiusque bellator. Commemoratur Me-
lissus philosophus aliquot victoriis navali-
bus insignis, commemoratur Archytas cau-
D tissimus imperator. Jam illa belli fulmina
Marcellus, duo Scipiones, duo Catones,
Lucullus, Catulus, Augustus ipse, Tibe-
rius, Germanicus, Antoninus Philosopus,
nonne cuilibet Græcorum litterarum glo-
riâ comparentur? Quid alios commemo-
rem pæne innumerabiles? rem brevi con-
ficiam, vix unum, aut alterum in totâ an-
tiquitate reperies magnum imperatorem,
qui a litteris prorsus alienus haberetur.
Ubi sunt ergo sapientiæ osores? prodeant,
E emergant e gurgustio, atque lustris, perfri-
cent frontem, audeant negare, quod lucet,
liquet, patet, in promptu est; numquam ta-
men auctoritati tantorum ducum resistent.
Nam, si nemo ferè imperatorias artes cum
laude tractavit, qui doctrinæ studia non fue-
rit amplexatus, non modò efficitur non o-
besse rei militari studia, sed etiam prodesse,
nec prodesse tantùm, sed esse ferè neces-
saria. Sed quoniam hi barbari hostes litte-
rarum magis Barbarorum, quàm doctissi-
F morum hominum nominibus, & auctori-
tate lætantur, quid Barbarorum probent
exempla, videamus. Inter Barbaros As-
syrios, & Persas omnes ferè consentiunt,
rerum gestarum gloriâ præstitisse; certè Im-
perii fines latissimè protulerunt. Nam Me-
di, & si multis magnisque in Oriente na-
tionibus imperarunt, tamen, quum Arba-
cis conjuratione Sardanapalus cecidisset, G
longâ desidiâ, luxuque marcentibus Assy-
riis, Imperium ad se nullo ferè negotio
transtulerunt. Assyrii verò, Persæque num-
quam a sapientiæ studiis abhorruerunt;
nam apud alteros Chaldæi, apud alteros
Magi sapientiæ gloriâ floruerunt, quorum
consilio pleraque gerebantur; quin & As-
syrium fuisse Pythagoræ sapientissimi viri
doctorem accepimus. Non hîc ego dicam
apud Gallos Druydas, Samanæos apud Ba-
ctrianos, apud Indos Gymnosophistas, Sa- H
cerdotes apud Ægyptios esse philosopha-
tos; Arabasque, & Scythas doctrinæ laude
non caruisse, quod Anacharsis declarat
Græcorum admiratione celebratus; ex qui-
bus constat ne barbariem quidem ipsam
barbaram omnino fuisse, immoderatamque
in armis ferociam litteris temperasse. Sed
fuerint Barbari indocti, incultique, nihil
prorsus litteris, nihil sapientiæ debuerint;
equidem existimo tantam in re bellicâ glo-
riam fuisse Græcorum, ut suspicari nemo I
possit bonarum artium studio diminutam.
Quæ, Deus immortalis, magnorum ducum
copia, quæ virorum virtutes, quæ belli ro-
bora, quæ militiæ ratio, quæ disciplina,
quæ res gestæ Græcorum! vix annalibus
credimus Atheniensium novem millia Mil-
ciadis ductu trecentis millibus Persarum
obstitisse; obstitisse dico? pauci, inquam,
Athenienses Medorum exercitum immen-
sum occidione deleruns. Vix credimus
Xerxem, quum terram exercitibus, maria K
classibus complesset, ab Atheniensibus, &
Lacedæmoniis, paucis præterea Græciæ
populis victum, exutum classe, amisso exer-
citu trepidantem cum unâ dumtaxat navi
profugisse; constratam Persarum cadaveri-
bus Græciam, infecta maria, & refertа nau-
fragiis, & strage inauditâ, virorum robo-
ra, imperatorum præclara consilia quum
audimus, nonne obstupescimus miraculo
rerum a Græcis gestarum? Vix credimus
Agesilaum, quum parvâ manu fretus in A- L
siam trajecisset, eò Persas redegisse, ut de-
sperare de suis rebus cogerentur; illos,
inquam, Persas, qui a mari Mediterraneo,
Marmaricaque, & Cyrenaicæ finibus ad
Indum usque nationes, quantumque in-
clusâ caloribus, & frigoribus sempiternis
Mundi plagâ comprehenditur, imperio
complectebantur. Nam de Alexandro Ma-
cedone, qui potentiam Persarum evertit,
Indosque subegit, & incognitas antes ter-
ras, & maria aperuit victoriis, *satiùs tacere* M
puto, ut Sallustii verbis utar, *quàm parum*
loqui. Quòd si Græci studiis maximè de-
diti litterarum Barbaros omnes, quibus cum
bella gesserunt, & eorum generosissimos
Persas profligarunt, apparet a litteris non
ignaviam hausisse, sed virtutem. Non e-
nim

nim multitudine, non farociâ, non robo-
A re Scythas, Pæonas, Illyrios, Thracas, A-
mazonas, Gallos, Asiam denique univer-
sam, & Ægyptum, sed doctrinâ, & inge-
nio, & arte vicerunt. Jam Romanos ve-
teres, qui indoctos fuisse putat, indoctissi-
mus habeator, necesse est; nam & Romu-
lum Urbis conditorem bonis artibus insti-
tutum gravissimi Auctores prodiderunt; &
Numam de philosophiâ libros conscripsisse
memoriæ proditum est; & Cicero eloquen-
tiæ Romanæ studia ab ipsis pæne repetit
B Urbis incunabulis; & juris civilis scientia
Romam simul cum legibus venit; histo-
riamque, & poëticam Romanos attigisse de-
clarant Fabius, & Livius vetustissimi scri-
ptores, qui adolescente Republicâ floruе-
runt. Quin & Mechanicen calluisse com-
perias ex eo, quòd machinas oppugnandis
urbibus priùs, quàm Græci reperetunt;
quare non video, quo ore audeant affirma-
re, aliqoando Romanos litteras contem-
psisse. Illud autem impudentissimè, quod
C ajunt, simulatque studia Romam e Græciâ
commigrarunt, bellicam Romanorum vir-
tutem concidisse; quo nihil stultius, ine-
ptius, imperitius, indoctius dici potest.
Nam etsi litteras numquam Romani despe-
xerant, circa belli Punici secundi tempo-
ra vehementiùs sese doctrinæ studiis dedi-
derunt; qua tempestate viguit ipsum robur
Imperii, tantoque illa ætas bellicis laudi-
bus vicit superiores, quanto ingeniorum
cultu antecessit. Consequutæ sunt multæ
D ætates, nullum vestigium corruptæ disci-
plinæ militaris, multa etiam inventa præ-
clarè, aut in melius mutata; omninoque
Romani a bello Punico secundo usque ad
Augusti Cæsaris ætatem ad summum po-
tentiæ, & sapientiæ, eloquentiæque fasti-
gium pervenere; adeo litteræ, quas im-
pensiùs coluerunt, belli studia non retar-
darunt, sed incitarunt; non detriverunt,
sed auxerunt; non obscurarunt, sed illu-
strarunt. Cujus argumentum rei illud est
multò certissimom, quòd ducentis annis
E Orbem terrarum domuerunt, quum antea
quingentis vix totam Italiam subegissent.
Ætas verò Cæsaris, & Pompeji, & Augu-
sti, qua plures Imperio sunt adjectæ pro-
vinciæ, quàm reliquis oniversis, ac, nisi
bella civilia exarsissent, nulla natio Roma-
nis armis restitisset, doctorum hominum
proventu ceteris antecelluit. Quòd si ali-
quando Romanæ virtutis obscuratos est il-
le splendor, infractum robur, dissoluta di-
sciplina, extincta severitas, ne litterarum
F studia iniquè redarguant; accusent luxum,
accusent affluentes opes, accusent volu-
ptates, quibus animorum rigor, velut fer-
rum igne, mollitur; accusent denique In-
stabilitatem rerum humanarum, in quibus
nihil permanet sempiternum; his enim
fontibus derivata in potentissimum in ter-
ris populum vitia profluxerunt. Quare a- G
beant, ac facessant laudatores indoctorum
nationum; nihil exempla Barbarorum mo-
ramur; Romanos cum in omni, tum in
bellicâ virtute principes sapientiæ, & stu-
diorum habemus auctores: habemus Græ-
cos cunctis, præterquam Romanis, an-
teponendos: habemus omnes ferè popu-
los, qui rerum gestarum gloriâ præfulse-
runt. Rationem ipsam clarissimam verita-
tis facem intuemur, quæ ostendit ingenio-
rum cultu nos ad bello parandas opes in- H
digere; quom ingenio vincantur omnia,
& ingenio homines natura dumtaxat arma-
verit. Eademque ratio nobis demonstravit,
quantum ex quaque facultate militares viri
profecerint. Historiam denique testem ap-
pellamos, testamur exempla ducum maxi-
morum, testamur exempla nationum bellico-
sissimarum, quibus omnibus admonemur;
ut in illo rerum Principe summa potentia,
cum summâ sapientiâ copulata est, ita in-
ter homines potentiam, & fortitudinem a
sapientiâ proficisci.

ORATIO VIII.

HABITA PISIS XIV. KAL. QUINCT. ANNO 1685.

Quum suos Fratres Jurisconsultorum ornamentis insigniret.

QUæ duæ res disertissimis homi-
nibus, qui ex hoc loco dicunt, I
orationum argumenta suppedi-
tant, Laodatio, & Exhortatio,
eæ sunt ambæ nobis hodierno
die prætermittendæ; quòd earum altera
mihi verba sustoro, altera adolescentibus
bis Fratribus meis, de quibus habenda est
oratio, minimè accommodatæ esse videan-
tor. Nam & Fratrum laudes magnificè
prædicare haudquaquam pudori meo con-
sentaneum; & per se accensos ad studia,
& inflammatos inflammare dicendo super- K
vacaneum. Quamquam enim addere cal-
caria sponte currenti, vetere proverbio
admonemur; tantum tamen ardorem esse
video horum Adolescentium, tantamque,
ac tam incredibilem discendi cupiditatem;
ut, quod de Theopompo summus dicendi
auctor Isocrates ajabat, freno potiùs aliquo
sint coërcendi, quàm ullo stimulo incitan-
di. Quare vereor, ne sit ineptum, quo-
rum animum cupidine laudis vehementiùs

etiam effervescentem, quàm tutum sit va-
A letudini, reprimere cupiam, & salubri tem-
peramento moderari, his tamquam igna-
vis, & jacentibus Orationis meæ quasi
quasdam faces admovero. Quò me igitur
vertam, quam insistam viam, quum quæ
aliis patere solent, mihi uni præclusas, &
obsæptas esse intelligam? Consilium ca-
piam neque alienum a me, neque ab his,
quibus jurisprudentum ornamenta decre-
vistis; & quoniam Adolescentes hi non
in hoc solùm jurisprudentiæ pulvere desu-
B darunt, sed ad summam aliarum facultа-
tum gloriam, quantum in ipsis fuit, con-
tenderunt; occurram tacitæ quorumdam
suspicioni, qui fortasse, quum sciant in
multitudine, ac varietate artium maxima-
rum esse versatos, non tantum temporis,
quantum oportebat, in jurisprudentiæ stu-
diis posuisse arbitrabuntur. Sic eadem o-
perâ, & Fratres defendam, quod ad offi-
cium meum pertinet; & vestrum, Patres
amplissimi, judicium, qui eos ornandos
C esse censuistis, auctoritatemque tuebor.
Nec sanè difficilis mihi defensionis ratio
proponitur; non enim in longinquo, aut
obscuro loco eorum studia tenebris, & i-
gnoratione sepulta jacuerunt; sed primùm
Florentiæ, deinde Pisis per quadriennium
in hac publicâ luce, in tantâ juvenum stu-
diosorum frequentiâ se protulerunt. Ne-
go esse quemquam, cui noti planè sint,
qui jure possit eorum in discendo jure di-
ligentiam requirere: nego cuiquam æqua-
D lium vel ingenii solertiâ, vel acumine
disserendi, vel intelligentiâ legum conces-
sisse: nego quidquam ab iis esse prætermissum, quod a studiosâ legum juventute
usurpari soleat. Nam & publicè, & priva-
tim de jure civili disputarunt; & domi ju-
risconsultorum libris legendis partam in
scholis aluerunt scientiam; & in studio-
sorum conventibus, quos Academias vo-
cant, exercuerunt ingenium. Quid autem
hîc ego prædicem, quàm frequentes do-
E ctissimorum hominum prælectionibus in-
terfuerint; quàm avidè, quàm assiduè le-
gum interpretamenta acceperint, accepta
memoriæ mandaverint, memoriæ manda-
ta commentando, meditandoque recolue-
rint? Quæ studia certè fuissent illustriora,
nisi ingenuus quidam pudor, & naturalis
modestia obstitisset; quæ, ut ornat inge-
nium adolescentum, sic occultat interdum,
nec se multitudini sinit venditare; & que-
madmodum sanctiora sacra, mysticæque
F religiones adytis inclusa, siparis obducta,
oculos profanorum latebant; ita pudore
sæpitur ingenium, & quasi sanctiore quo-
dam sacrario a vulgo segregatur; nec ob-
scuritate vilescit, sed evadit augustius. At-
que hac tamen modestiâ præditi, quum po-
pularem auram numquam sint aucupati,

satis magnam sibi famam compararunt. Ex
quo intelligi potest, quanta fuerit virtus, G
quæ occultata se proderet, & depressa emi-
neret; neque enim, qui est virtutis fru-
ctus amplissimus, eorum præclari conatus
optimo cuique obscuri esse potuerunt. Te-
stor ego adolescentes humanissimos, qui-
bus usi sunt familiariter: testor omnem stu-
diosæ juventutis multitudinem: testor de-
nique Patres amplissimos, a quibus juris
civilis doctrinam acceperunt; quos ego, si
mentirer, præsentes impudentiæ meæ te-
stes reformidarem. Sed neque ego men- H
tior, & ab iis ea, quæ dico, probari scio;
neque eos umquam, aut horum industriam
desiderasse, aut in jure civili profectum re-
quisivisse. Qua ergo ratione dixerit qui-
spiam, quum tantum in aliis disciplinis
profecerint, in jurisprudentiæ quoque stu-
dio tantum elaborarunt? Id ne quis fortè
miretur, quo pacto sint assequuti, ego de-
inceps explicabo. Principio qua ætate ce-
teri apud Grammaticos adhuc detinentur,
in eadem palæstrâ porro diu luctaturi, hi I
gravioribus disciplinis operam dabant.
Nondum primos pubertatis annos attige-
rant, & jam decursis rhetorum spatiis, in
philosophorum campo, & geometrarum
pulvere se exercebant; Græcæ etiam lit-
teraturæ, antiquitatisque studium ceteris
disciplinis adjunxerant. Pervenerunt er-
go ad jurisprudentiam jam his artibus im-
buti, quas cum jurisprudentiâ conjunxisse
miramur; deinde quo tempore hæc justi-
tiæ sacra, quorum Sacerdotes vos estis, K
coluerunt, ita sunt his operati, ut Musa-
rum sacra non omitterent, quibus cele-
brandis otium illis haudquaquam defuisse
ne miremini; ea est enim temporis natu-
ra, ut latissimè pateat, nisi culpâ nostrâ
contrahatur. Cogitate, quantum tempo-
ris adolescentes etiam hi, qui studiosi vi-
dentur, impendant spectaculis, voluptati
tribuant, nugis, ludo, aucupio, venatio-
ne, conviviis, & compotationibus conte-
rant; & tam, cur aliis ad unam faculta- L
tem colendam desit, quàm, cur his ad mul-
tas celebrandas otium superfuerit, intelli-
getis. Non enim de eorum studio quid-
quam voluptas, non ignavia, non somnus,
non deliciæ sibi decerpserunt; idcirco,
quum jurisprudentiæ quantum par erat,
impenderent curæ, rerum præterea mul-
tarum cognitionem adsciscere potuerunt.
Itaque non video, in quo possint repre-
hendi, aut cur aliæ facultates jurisprudentiæ studiis impedimento fuisse credantur;
quum quidquid operæ in alias disciplinas M
contulerunt, id non jurisprudentiæ, sed
ignaviæ, ludo, voluptati, honestis etiam
animi remissionibus detraxerint. Nisi ve-
rò aleæ, quàm libris; Veneri, quàm Mi-
nervæ; somno, quàm vigilantiæ; iner-
tiæ,

tiæ, quàm labori deditum esse jurisprudentiæ
A studiis utilius existimamus. Quom contra reputantibus omnes facultates inter se aptas, connexasque esse constet, & aliam ab aliâ lumen mutuari; & jurisprudentiam præcipuè ali, augeri, ornari scientiâ rerum plurimarum. Id autem exempla docent veterum jurisconsultorum, qui hanc artem boni, & æqui, quum essent nullius præclaræ artis expertes, condiderunt. Docent exempla eorum, qui superiore sæculo floruerunt, quorum doctissimus quisque, &
B eruditissimus, juris etiam habetur consultissimus. Docet denique ratio, quæ hanc juris disciplinam, quum a philosophiæ fonte profluxerit, a philosophiâ divelli ægre posse confirmat; & quum in mediâ antiquitate versetur, cognitione potissimùm antiquitatis adjuvari; quumque moderatrix, & quasi regina Rerumpublicarum habeatur, inopem, nudam, bonarum artium præsidio destitutam esse non oportere declarat. Quo probè constituto, jam audacter fateor,
C meos Candidatos, & eloquentiæ studiis ita deditos fuisse, ut & carmen condere non absurdè, & orationem componere possint non ineleganter; & in historiâ, atque antiquitate cognoscendâ plurimum temporis consumpsisse; &, quum viderent Latinas litteras sine Græcis quodammodo claudicare, assumendam sibi Græcæ linguæ cognitionem censuisse; quo in studio mirificos profectus habuere. Dicam ego quod sentio, & dicam non augendi causâ, sed
D quòd ita se rem habere certò sciam; paucos arbitror hoc tempore adolescentes tantam esse Latini sermonis, quantam hi Græci sunt, scientiam consequutos. Quotus enim quisque in hac tenerâ ætate præcipuos latinitatis auctores studiosè lectitavit, aut commodè potest aliis, & scienter explicare? at hi non principes modò Græci sermonis Auctores, sed multos alios assiduâ lectione contriverunt, & studiosis adolescentibus interpretantur; docendique lit-
E teras Græcas munere eâ ætate funguntur, qua si discerent, non vulgarem laudem adepti putarentur. Jam in philosophiâ artium parente, magistrâ vitæ, luce veritatis, quantum profecerint, si dicere instituam, vereor, ne oblitus propositi mei videar horum laudes exaggerare velle dicendo. Sed, ut volet, quisque existimet, ego verum non occultabo; omnia hi veterum philosophorum placita, omnes rationes, omnes indagandæ veritatis vias tenent. Ad
F hæc quæcunque sunt recentiorum ingeniis inventa præclarè, animo, & cogitatione comprehenderunt; &, aut me amor fallit, aut nemo æqualium his est, vel in differendo subtilior, vel in excogitando acutior, vel in colligendo solertior. Quid autem de Mathematicis dicam? non elementa geometriæ solùm, sed arcana magis recondita; Apollonii doctrinam admirabi- G
lem, Archimedis inventa divina, aliorum præterea cum veterum, tum recentium habent cognita, & pertractata. Qua freti scientiâ & a geometris propositas solvere quæstiones, & multa suo marte possunt, eaque non contemnenda sagaciter invenire. Quid quòd in illam siderum altitudinem animum cœlestium capacem subduxerunt, multiplicesque, & inenarrabiles astrorum vias modò se humilius circumagentium, modò in immensam altitudinem subeuntium, retrogradientium, suos cursus retardantium, accelerantium, consistentium, & eorum ortus, obitusque, & latitudines, & longitudines, & intervalla, & magnitudines cognoverunt? & Ptolemæum clarissimum Cœli interpretem, sed cujus libri in magnâ rerum, & orationis obscuritate versantur, inter sidera spatiantem, & abditissima naturæ arcana rimantem, & permeantem per se nullo duce sunt assecuti; quod, quantum sit opus, explicarem, nisi adesse viderem doctissimos viros, qui experiundo didicerunt. Quæ tan- I
ta ingenii, eloquentiæ, doctrinæ ornamenta, his præsertim moribus, integritate vitæ, modestiâ, gravitate, continentiâ illustrata, quum ad nostrum jus civile contulerint, lætandum nobis esse duco; spero enim haud exiguum olim, quum se confirmaverint, jurisprudentiæ lumen allaturos. Sed, ut ornabunt hi jurisprudentiam, ita par est, ut ab ipsâ interim jurisprudentum ornentur insignibus; quapropter ipsis ea lætus, lubensque vobis, Patres, decernentibus trado. Accipite ergo, Adolescentes, decreto Patrum amplissimorum delata vobis ornamenta doctrinæ, quibus ipsis vos aliquando speramus ornamento futuros.



ORATIO IX.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1685.

In solemni instauratione Studiorum.



Quantum Litteræ in pace, & tranquillitate Reipublicæ prosint.

A Constitueram, Auditores, quum toties aggressus fuissem ornare dicendo facultates, quas profitemur, nec laudum seges minui, sed dum colligitur, magis, magisque subcrescere, uberiusque abundare videretur; omisso laudandi studio, alia quærere argumenta, quibus tractandis, & meum munus implerem, & adolescentes, qui me audiunt, ad discendi cupiditatem vehementius excitarem. Sed bellum grave, quo provinciæ commotæ sunt Orientis, Pannoniæque, & alia Septentrionis Regna
B uruntur, me etiam quasi armorum strepitu, tubarumque clangore commotum anno superiore bellicum quodammodo canere, & fortiores laudes meditari litterarum coëgit. Quapropter ad alias laudes, quibus ornanda doctrinæ studia putaveramus, bellicas etiam adjunximus; nec degenerare virtutem bellatorum, si doctorum præceptis imbuatur; sed in sinu Musarum Martis alumnos rectissimè educari, sapientiamque, & bonas artes ad fortitudinem prodesse vehementer contendimus; ne si virtus effe-
C minari ingenii cultu crederetur, in difficillimis hisce temporibus pessimè nostro studio Reipublicæ consulere videremur. Nunc ipse rerum ordo, ipsa dicendorum series exigit, Auditores, ut, quoniam quantum belli tempus pulcherrimarum scientiâ facultatum adjuvetur, ostendimus, quantum pacis tempus ab his disciplinis & ornamenti, & utilitatis accipiat, demonstremus. Nam fuerit prorsus absurdum, si, quum laudare velis has artes filias pacis, alumnas otii, tranquillitatis comites, non
D utiles paci, a qua aluntur, non quieti decoras, a qua foventur; sed bello, quod perhorrescunt, sed armis, a quibus abhorrent, accommodatas esse dumtaxat affirmes. Malè mehercule de optimis disciplinis mererer, si docuisse ostenderem, quomodo urbes everterentur, non dicerem ostendisse, quomodo conderentur; affirmarem rationem tradidisse, non qua, pace florerent, sed qua bello miserrimè vexarentur; non qua homines bene, beateque viverent, sed qua crudelius trucidarentur. Enimvero illa inventa sævitiæ, illa instru- E
menta nocendi, quæ doctissimi homines excogitarunt, necessitati; quæ verò ad pacem colendam, humanitatem alendam reperetunt, tribuenda sunt voluntati. Hæ propriæ, & penitus insitæ laudes hominum litteris deditorum, juvare Mortales mansuetudine, consilio, probitate, justitiâ cetera antecellere; illæ verò, quas recensuimus anno superiore, circumvenire hostes, bellica machinamenta moliri, accen-
dere ad prœlium milites, malo domare bar- F
baras nationes, adventitiæ quodammodo, & peregrinæ. Id ergo erit argumentum doctorum ingeniis haud paulo accomodatius, quod hodierno die mihi proposui; quo quantum litteræ in pace, & tranquillitate Reipublicæ prosint, explicabo; sic utrique tempori pacis, & belli doctorum labores utiles ostendentur. Ac, si geometras imitari velim, qui ubi quippiam alio in loco probaverunt, ad alia progrediuntur, eo autem pro concesso, & omnium consensu G
comprobato utuntur, nihil esset, cur laborarem, ut planum vobis facerem summam utilitatem a liberalissimis his disciplinis in tranquillas, & pace securâ fruentes civitates proficisci. Nam, quum argumentis nihil dubii relinquentibus rem belli doctorum hominum inventis plurimum profecisse ostenderim, cui potest esse dubium, quin eorumdem beneficio pulcherrimè pax administretur? Nisi verò sapientia, quæ his artibus continetur, plus in bello, ubi te- H
meritas, & fortuna dominatur, quàm in pace pollet, ubi consilio, & prudentiâ pleraque conficiuntur: magis audire vacat vocem sapientiæ inter lituorum, tubarumque clangorem, & clamorem inconditum prœliantium, quàm in otio, & tranquillitate, quum pax, compresso bellorum tumultu, eruditorum sermonibus aures patefecit. Certè non omnia in bello sibi vindicat sapientia; militum virtuti, hostium ignaviæ, imperatorum audaciæ præclarè gestorum I
pars magna debetur; in pace non lacerti militum, sed ingenii vires cuncta assequuntur. Si itaque sapientum monita ducibus in bello rei bene gerendæ viam monstrant, multo magis Reipublicæ cum laude administrandæ rationem in pace monstrabunt; nam, quemadmodum nubilo Cœlo Sol hebetiùs, puro, serenoque clariùs lucet; ita in turbidis Reipublicæ temporibus obscurius, tranquillis lucidius sapientiæ lumen effulget, & illuminat civitates. Esset igitur a me K
peroratum, si necessariis dumtaxat argumentis uti velim; sed nolo agere angustius; rem totam latius explicabo.

Non diu fuit obscurum, Auditores, quantum doctrinæ studia prodessent Rebuspublicis; in ipso statim ortu civitatum sapien-

tiæ

tiæ eluxit opportunitas; neque enim urbes
A alii, quàm sapientes, neque aliâ arte, quàm
sapientiâ condiderunt. Atque utinam pri-
ma illa tempora non jacerent densissimis
occultata, & circumfusa tenebris vetusta-
tis! testarer humanæ sapientiæ lumina vi-
ros, quibus auctoribus dispersi homines,
& in silvis ferarum more degentes, in ur-
bes sunt congregati; & historiâ teste vin-
cerem tantam rem, & scientiâ rerum, &
dicendi copiâ consequutos. Sed quod cla-
rissimè liqueret extantibus monumentis
B ultimæ vetustatis, id in tantâ caligine
temporum, & obscuritate rerum assequi
conjecturis licet. Nam qua de causâ pu-
tamus in fabulis esse, Thebarum muros
ab Amphione lyræ cantu constitutos; Or-
phei carminibus delinitas feras immanita-
tem exuisse, fluvios constitisse, ventorum
impetus concidisse, arboresque, & lapides,
& montes dulcissimam vocem insequutos?
Non alios certè cogitare debemus Amphio-
nem, & Orpheum, quàm sapientes, quum
C antiquitus iidem vates, & sapientes habe-
rentur. Hi autem non lyræ sonitu motis
lapidibus Thebarum muros excitarunt:
non permulsere carminibus feras: non
sensum inanimis, non immotis motum,
non quietem mobilibus indiderunt; sed
movere eloquio contumaces, stupidos, &
non intelligentes bona societatis acuerunt;
levioribus, quàm ut certas leges ferre pos-
sent, gravitatem addiderunt; homines a-
grestes, & feros persuadendo, monendo,
D docendo feritatem deponere, amicitias in-
ter se jungere, servare fidem, societatem
sanctam habere, urbes condere perpule-
runt. Sunt ergo civitates inventa sapien-
tum, quod alio commenro sursus antiqui-
tas declaravit; nam præsidem litterarum
Deam Athenis, quam primam in terris ur-
bem tradunt extitisse, & nomen, & origi-
nem præbuisse testatur. Sed quid ego fa-
bulas consector? quas tamen tamquam ve-
stigia quædam, & notas veritatis exole-
E scentis jam vetustate, non tamquam men-
dacia poëtarum arbitror intuendas; tamen
nihil opus est fabulis, quum idem certio-
ribus argumentis possit ostendi. Nam civi-
tatum non illi conditores, qui domos ex-
trui, sæpiri mœnibus domos, mœnia fossâ,
valloque circumdari imperarunt (quam-
quam, & hæc arbitror opera sapientum)
sed illi, qui leges condiderunt. Quum e-
nim civitates intelligantur esse hominum
justitiæ fruendæ causâ congregata mul-
titudo; justitiâ verò nemo frui sine legi-
F bus possit, efficitur, ut sine legibus civi-
tas non constet; hæ sunt vincula so-
cietatis, fundamenta publicæ felicitatis,
mens, & animus civitatum; qui ergo le-
ges primi condiderunt, & urbium dici de-
bent conditores. Nam, quemadmodum is
animans dicitur genuisse, qui principium,
& originem præbuit animæ procreandæ; sic G
is habendus urbium conditor, qui leges tu-
lit, quasi animam civitatis; nun diu est er-
go quærendum, a doctrinæ studiis alieni,
an doctissimi fuerint urbium conditores.
Quis enim est adeo vetustatis ignarus, ut ne-
sciat, omnes legumlatores, quorum anti-
quitas gloriam prædicat, doctrinæ laudibus
præstitisse? quis non audivit Mosen le-
gumlatorum, quos fando accepimus, ve-
tustissimum, Ægyptiorum litteris eruditum,
philosophiam, astronomiam, medicinam, H
geometriam, musicen, omnemque doctri-
nam calluisse, grammatices etiam apud
Hebræos dici repertorem? quis ignorat
Mercurium, qui leges Ægyptiis condidit,
ingenii, & doctrinæ magnitudine *ter ma-
ximi* cognomen esse consequutum? Est
omnium litteris pervulgatum Zoroastrem,
qui Bactrianos, Persasque legibus conditis
temperavit, & summum siderum spectato-
rem fuisse, & maximum Dei, divinarum-
que rerum contemplatorem; Minoem, qui I
Cretensibus jura descripsit, ea fuisse scien-
tiæ copiâ, ut non ab hominibus doctus,
sed divinitus institutus videretur; cujus rei
testis appellatur maximus poetarum, qui
ipsum vocat *auditorem Jovis*; Lycurgum
omnes fatentur & ipsum sapientem fuisse,
& in condendis legibus usum adjutore
Thalete poetâ lyrico, docto homine, & e-
rudito; Auctores autem gravissimi prodi-
derunt & in Indiam, & in Ægyptum, &
Hispaniam scientiæ causâ peregrinatum; K
Solonem Atheniensium legumlatorem in-
ter septem sapientes ob doctrinæ præstan-
tiam esse numeratum; Zamolxin, qui Scy-
thas legibus latis formavit, a Pythagora non-
nulli ferunt institutum. Mitto Zaleucum,
quem Locrensibus, mitto Numam, quem
Romanis, mitto Protagoram, quem Thu-
riis, mitto Platonem, quem Siculis, & Ma-
gnesiis tradunt leges condidisse: mitto a-
lios auctores legum saluberrimarum, a
quibus, tamquam fontibus, leges, qui-
bus usus est, & utitur Orbis terrarum, L
profluxerunt; quos omnes insitam animo
a naturâ prudentiæ vim singulari studio,
doctrinaque promovisse accepimus. Ha-
bent ergo hoc primum a litteris benefi-
cium Mortales, quòd leges acceperunt, &
legum munere conditas civitates; quo
haud scio, an ullum præstantius esse possit.
Quid enim esset humanum genus, nisi es-
sent urbes constitutæ, ornamenta Orbis
terrarum, arces securitatis, propugnacula
libertatis, domicilia virtutis, & artium, & M
humanitatis; si legis expers, humanæ so-
cietatis ignarum, inops auxilii, opportunum
injuriæ, agreste, ferum, ac barbarum in
speluncis degeret, in silvis, & agris deser-
tis, & horridis vagaretur? nonne venerem
incer-

incertam raperet more belluarum? non e-
A ditam prolem fugâ laboris negligeret? non
desereret invalidam parentum senectutem?
non fas, piumque proculcaret, & in om-
ne scelus rueret? non divinum Numen con-
temneret, aut ignoraret? non denique fe-
ris æquaretur? æquaretur dico? deteriore
loco, & conditione esset, quàm feræ. Nam
feras Deus naturalibus armis communivit;
homines inermes esse voluit, & imbecil-
los: *feræ, nisi in dispar genus*, ut ait ille,
non sæviunt; homines inter se crudelissimè
B dimicarent: feris aliquod natura tutamen
largita est adversùs inclementiam Cœli, &
injurias tempestatum; homines nudos pro-
creatos omne præsidium ab industriâ pete-
re censuit oportere. Cernitis animo, Au-
ditores, quàm latè pateat hoc beneficium
litterarum, quàm coplosè possit a me verbis
dilatari. Cogitate vobiscum ipsi quæcum-
que præclara, decora, laudabilia, admiran-
da homines umquam invenerunt; hæc om-
nia reperto jure, societate constitutâ, con-
ditis urbibus, accepta referri debere do-
ctis, & sapientibus viris haud injuriâ con-
tendere potuissem. Sed nolo in eadem re
diutiùs immorari; ut in opiparo, & multis
ferculis instructo convivio solemus apposi-
tos cibos, quamvis jucundos, atque suaves,
non avidè absumere, sed leviter delibare;
ut multitudini, ac varietati sufficere possi-
mus epularum; sic in tam amplâ, ubere,
copiosâ, affluente materiâ perstringenda
sunt leviter laudum argumenta; non exhau-
D rienda omnis dicendi copia, ut alia, quæ
supersunt, majora non defatigatus, sed re-
cens viribus exequi possit orator. Nam sa-
nè magnum est legibus constitutis civitates
condidisse, majus conditas conservare, con-
servatas felicitate donare; quod excellen-
tissimum bonorum omnium, non nisi lit-
terarum beneficio contingere posse Re-
buspublicis haud immerito confirmaverim;
nec longè petenda sunt argumenta. Dixi-
mus doctorum hominum, & sapientum
E munus fuisse civitates; qua in re totius te-
stimonio sumus usi vetustatis; nunc dubi-
tabimus, an iisdem artibus, quibus initio
fundatæ sunt Respublicæ, & conserventur,
& floreant, & augeantur, & compotes feli-
citatis evadant? Litterati homines initia, &
ortum urbibus præbuerunt; easdem auge-
scere, alique doctrinâ litteratorum homi-
num, qui non videt, is nihil planè videt;
quum ipsius pæne voce naturæ moneamur,
cuncta iisdem adolescere elementis, qui-
F bus orta sunt, & procreata. Sic quæ terra
edit, aut edita suscipit, eadem terra nutrit,
& fovet: sic terrestres animantes, plantæ,
lapides metalla aluntur, & educantur: sic
pisces, &, ut cum Poëtâ loquar,

...... *genus omne natantum*,

*Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore
pontus*, G
eodem mari, quo nata sunt, adolescunt,
in alienam sedem translata statim extin-
guuntur, omninoque semper cognata sunt
origini alimenta; & ne a naturâ petita lon-
giùs exempla duci videantur; id in vitâ ma-
ximè cerni, rebusque civilibus potest. Im-
perium iisdem artibus retinetur, quibus ab
initio partum est; beneficio junguntur a-
micitiæ, beneficio amicitiæ conservantur;
mutua utilitas junxit homines ad vitæ so-
cietatem; tolle mutuam utilitatem, tolle- H
tur e vitâ hominum societas; rerum scien-
tia studio comparatur, sublato studio obli-
vione scientia sepelitur. Quid plura con-
gero, quasi verò non cuivis exempla sint in
promptu rerum naturam, & hominum vi-
tam intuenti; quibus magistris docemur
universa iisdem rebus, & crescere, & bene
se habere, a quibus originem acceperunt?
Quo probè constituto, quis nobis non da-
bit, quum doctissimorum hominum scientiâ
legibus constitutis sint natæ, eadem scientiâ I
& conservari, & felices esse Respublicas,
eaque sublatâ rursus interituras? Nec me
exempla movent Barbarorum; qui, quum
a doctrinæ studiis abhorrere videantur, ta-
men & colunt, & coluerunt civitates, &
statum Reipublicæ inconcussum utcumque
conservant. Hoc enim tuum est, o magi-
stra vitæ eruditio, decus, tuum, sapientia,
munus, regina mentium quantumvis agre-
stium, tuæ laudes, doctrina, lux Orbis ter-
tarum: tu Barbaria etiam legumlatoribus K
tuum lumen ostendisti: tu a te alienissimas
gentes tuo splendore collustrasti: tu nul-
lam partem terrarum inscitiæ tenebris in-
volvi penitus permisisti. Nam quemadmo-
dum Sol etiam hieme subjectas polo ter-
ras, extremosque Mundi cardines, etsi non
clarâ, perspicuaque, aliquâ tamen incertâ,
tenui, obscurâ luce perfundit; sic nulla
est tam immanis, aut barbara, aut a do-
ctrinæ studiis remota natio, quæ non a-
liquod sapientiæ lumen acceperit. Non L
pervenit ad Barbaros perfecta quædam, &
absoluta cognitio litterarum; pervenit ta-
men aliqua quasi umbra doctrinæ. Hac illi
duce reguntur, & Rempublicam admini-
strant; nec tamen aut Reges eorum, aut
ipsi felicitatis ullam partem assequuntur.
Nam Reges suis cupiditatibus misere ser-
viunt, transversique aguntur libidine, cru-
delitate, superbiâ; ipsi autem intolerando
Regum dominatu vexantur, & mancipio-
rum loco habentur, nec ullam lucem li-
bertatis aspiciunt. Idque illis idcirco ac- M
cidit, quòd mores imperantium cogni-
tione rerum, suique minimè temperati in-
solentiâ efferantur, inscitiâ pessumdentur,
necesse est; qui autem reguntur, quum
nihil altum, præclarumque cognoverint,
nihil

nihil etiam nisi humile, demissum, abje-
A ctum, servile cogitant; nec se homines
esse meminerunt inimicum servituti genus,
quum his artibus careant, quibus homines
ceteris animantibus antecellunt. Agite
nunc conferte cum tam infelici condi-
tione Barbarorum Rempublicam, in qua
summus honos optimis disciplinis habea-
tur, & ejus rectores tantum hauserint do-
ctrinæ, quantum satis est bono publico
impersturis. Quàm hæc, Deus bone, ab
illâ barbarâ dominandi ratione dissidebit!
B in qua Rex, aut magistratus a cognitione
sui rerum scientiam auspicatus, non fastu,
non arrogantiâ, non elatione animi, pro-
priis inscitiæ vitiis intumescet; nec domi-
nationem, & servos, sed rectorem, & cives
cogitabit; nec, ut barbari Principes, &
stulti se humanum excessisse fastigium,
quòd opibus, & luxu diffluat, opinabitur;
sed iisdem, quibus ceteri constare elemen-
tis, iisdem rebus ali, iisdem & gaudere,
& offendi, eundem sibi exitum sciet immi-
C nere. Ergo se tunc inter Mortales emine-
re arbitrabitur, quum virtute, clementiâ,
consilio, animi magnitudine benefacien-
di studio aliis antecesserit: & Homeri di-
ctum semper habebit in promptu, quo ma-
ximus ille vates in Ulyssis personâ docet,
*Regem erga suos populares, tamquam patrem
mitem, & beneficum esse oportere*. Jam in
consiliis capiendis, administrandâ Republi-
câ, quam longè stulto sapiens, doctus in-
docto Princeps antecellet? alter utetur
D consilio stultorum, ut plus ceteris sspe-
re videatur; alter sapientes, & sui similes
viros adhibebit: alter, etsi fuerit in consi-
liariis eligendis felicior, tamen eos habebit,
qui gratiâ moveantur, qui recta consilia
adulatione depravent, qui sapientiam ple-
rumque dissimulent, ne Regi stultitiam ex-
probrare videantur; alter, etsi omnes de-
fecerint, libros consulet, qui nihil tribuunt
amicitiæ, non veritatem adulatione cor-
rumpunt, non timent, non verentur, non,
E quò privatæ rei provideant, publicæ sunt
incuriosi. His auctoribus, & quidem opti-
mis [optimos enim eliget Princeps libera-
lissimis studiis institutus] quæ præcepta
non hauriet, quæ exempla virtutis, quas
voces doctissimorum hominum, & omnis
ætatis in Republicâ administrandâ princi-
pum non accipiet? Plena sunt his poëta-
rum carmina, plena Historicorum moni-
menta, pleni philosophorum libri, plenæ
rhetorum orationes. An verò Medicus, a-
F liarumque disciplinarum studiosi in arte
suâ ex præstantium Auctorum lectione mul-
tum proficiunt, nec omnia experientiæ de-
bent; Principes verò in sanandis vitiis æ-
græ civitatis, in salute Reipublicæ procu-
randâ nihil; & hæc ars omnium maxima
nihil omnino doctrinâ promovebit? *De si-*
derum motu, rebusque divinis multa ab Au-
ctoribus præclarissimè disputata, verissime- G
que dicta proferuntur; in rebus civilibus
nihil vitæ conducibile, nihil, quod Prin-
cipem possit erudire, tot sæculis a summis
viris dictum confirmabimus? immo verò
in his, quàm in illis ingenia feliciùs, &
utiliùs arbitror esse versata; quòd illæ su-
pra hominem positæ, & immenso dissitæ
intervallo vix ullius possunt ingenio com-
prehendi; hæ verò in medio sitæ, & ho-
minum propriæ sunt. Quid enim tam ho-
mini proprium, quàm imperare, quum & H
omnibus imperet, & solus ex animantibus
hujus rei particeps censeatur? Jure igitur
maximi Principes, quem generi humano re-
ctorem imponerent, bonis artibus institu-
tum esse censebant oportere. Augustus,
cujus Imperii magnitudo omnium Regum
potentiam, Imperii magnitudinem felici-
tas, virtus felicitatem superavit, nepotem
unicum Agrippam, cui jure sanguinis Im-
perium debebatur, quum ætate florenti,
viribus validus, nullius esset affinis culpæ, I
quòd rudis bonarum artium haberetur, in-
dignum Imperio judicavit. Idemque judi-
cium aliorum Imperatorum fuit; siquidem
omnes optimarum facultatum studio ad
summum fastigium sibi viam muniebant;
quocirca Domitianus, ut dignus Imperio
videretur, Poeticæ studium simulavit. Nec
immerito doctrinam in Principe sapientis-
simi Principes, populusque prudentissimus
requirebant; innumeris quippe cum Græ-
corum, tum Romanorum exemplis doce- K
bantur, beatas fuisse Respublicas, quum
doctorum hominum consilio regerentur:
acceperant Chilonis doctissimi viri sapien-
tiam Lacedæmoniis plurimùm profuisse:
Mitylenæis Pittacum, Rhodiis Cleobulum,
Joniæ Rebuspublicis Biantis, & Thaletis
prudentiam multum ad felicitatem contu-
lisse; Periclem quadraginta annos Athe-
niensium civitatem summâ cum laude re-
xisse; Italiæ partem, quæ magna Græcia
est appellata, Pythagoreis gubernantibus L
ad summum apicem felicitatis evectam; e
philosophorum scholis prodiisse præstantis-
simos rectores, & principes civitatum;
Phocionem Atheniensium Rempublicam
ruentem, præcipitemque sustinuisse, & vul-
nera afflictæ civitatis opportunâ pace reso-
visse; Demetrium Phalereum Atheniensium
rebus ad multa se utilem præbuisse non
ignorabant. Par etiam apud Romanos oc-
currebat exemplorum copia; Numa, quem
philosophum fuisse post multas ætates re- M
perti ejus libri declarant, pace constitutâ
Romuli partam bellis gloriam adæquavit:
Lælii doctissimi viri sapientia Scipionis vi-
ctorias propemodum utilitate Reipublicæ
vicit: parem bellicis Pompeii laudibus lau-
dem in togâ Cicero sibi comparavit. Uti-
nam

incertam raperet more belluarum? non e- A ditam prolem fugâ laboris negligeret? non desereret invalidam parentum senectutem? non fas, piumque proculcaret, & in omne scelus rueret? non divinum Numen contemneret, aut ignoraret? non denique feris æquaretur? æquaretur dico? deteriore loco, & conditione esset, quàm feræ. Nam feras Deus naturalibus armis communivit; homines inermes esse voluit, & imbecillos: *feræ, nisi in dispar genus*, ut ait ille, *non sæviunt*; homines inter se crudelissimè B dimicarent: satis aliquod natura tutamen largita est adversùs inclementiam Cœli, & injurias tempestatum; homines nudos procreatos omne præsidium ab industriâ petere censuit oportere. Cernitis animo, Auditores, quàm latè pateat hoc beneficium litterarum, quàm copiosè possit a me verbis dilatari. Cogitate vobiscum ipsi quæcumque præclara, decora, laudabilia, admiranda homines umquam invenerunt; hæc omnia reperto jure, societate constitutâ, conditis urbibus, accepta referri debere doctis, & sapientibus viris haud injuriâ contendere potuissem. Sed nolo in eadem re diutiùs immorari; ut in opiparo, & multis ferculis instructo convivio solemus appositos cibos, quamvis jucundos, atque suaves, non avidè absumere, sed leviter delibare; ut multitudini, ac varietati sufficere possimus epularum; sic in tam amplâ, ubere, copiosâ, affluente materiâ perstringenda sunt leviter laudum argumenta; non exhau- D rienda omnis dicendi copia, ut alia, quæ supersunt, majora non defatigatus, sed recena viribus exequi possit orator. Nam sanè magnum est legibus constitutis civitates condidisse, majus conditas conservare, conservatas felicitate donare; quod excellentissimum bonorum omnium, non nisi litterarum beneficio contingere posse Rebuspublicis haud immerito confirmaverim; nec longè petenda sunt argumenta. Diximus doctorum hominum, & sapientum E munus fuisse civitates; qua in re totius testimonio sumus usi vetustatis; nunc dubitabimus, an iisdem artibus, quibus initio fundatæ sunt Respublicæ, & conserventur, & floreant, & augeantur, & compotes felicitatis evadant? Litterati homines initia, & ortum urbibus præbuerunt; easdem augescere, alique doctrinâ litteratorum hominum, qui non videt, is nihil planè videt; quum ipsius pæne voce naturæ moneamur, cuncta iisdem adolescere elementis, qui- F bus orta sunt, & procreata. Sic quæ terra edit, aut edita suscipit, eadem terra nutrit, & fovet: sic terrestres animantes, plantæ, lapides metalla aluntur, & educantur: sic pisces, &, ut cum Poëtâ loquar,

...... genus omne natantum,

Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus, G

eodem mari, quo nata sunt, adolescunt, in alienam sedem translata statim extinguuntur, omninoque semper cognata sunt origini alimenta; & ne a naturâ petita longiùs exempla duci videantur; id in vitâ maximè cerni, rebusque civilibus potest. Imperium iisdem artibus retinetur, quibus ab initio partum est; beneficio junguntur amicitiæ, beneficio amicitiæ conservantur; mutua utilitas junxit homines ad vitæ societatem; tolle mutuam utilitatem, tollet- H tur e vitâ hominum societas; rerum scientia studio comparatur, sublato studio oblivione scientia sepelitur. Quid plura congero, quasi verò non cuivis exempla sint in promptu rerum naturam, & hominum vitam intuenti; quibus magistris docemur universa iisdem rebus, & crescere, & bene se habere, a quibus originem acceperunt? Quo probè constituto, quis nobis non dabit, quum doctissimorum hominum scientiâ legibus constitutia sint natæ, eadem scientiâ I & conservari, & felices esse Respublicas, eaque sublatâ rursus interituras? Nec me exempla movent Barbarorum; qui, quum a doctrinæ studiis abhorrere videantur, tamen & colunt, & coluerunt civitates, & statum Reipublicæ inconcussum utcumque conservant. Hoc enim tuum est, o magistra vitæ eruditio, decus, tuum, sapientia, munus, regina mentium quantumvis agrestium, tuæ laudes, doctrina, lux Orbis terrarum: tu Barbaris etiam legumlatoribus K tuum lumen ostendisti: tua te alienissimas gentes tuo splendore collustrasti: tu nullam partem terrarum inscitiæ tenebris involvi penitus permisisti. Nam quemadmodum Sol etiam hieme subjectas polo terras, extremosque Mundi cardines, etsi non clarâ, perspicuaque, aliquâ tamen incertâ, tenui, obscurâ luce perfundit; sic nulla est tam immania, aut barbara, aut a doctrinæ studiis remota natio, quæ non aliquod sapientiæ lumen acceperit. Non L pervenit ad Barbaros perfecta quædam, & absoluta cognitio litterarum; pervenit tamen aliqua quasi umbra doctrinæ. Hac illi duce reguntur, & Rempublicam administrant; nec tamen aut Reges eorum, aut ipsi felicitatis ullam partem assequuntur. Nam Reges suis cupiditatibus misere serviunt, transversique aguntur libidine, crudelitate, superbiâ; ipsi autem intolerando Regum dominatu vexantur, & mancipiorum loco habentur, nec ullam lucem libertatis aspiciunt. Idque illis idcirco ac- M cidit, quod mores imperantium cognitione rerum, suique minimè temperati insolentiâ efferantur, inscitiâ pessumdentur, necesse est; qui autem reguntur, quum nihil altum, præclarumque cognoverint,

nihil

nibil etiam nisi humile, demissum, abje- A ctum, servile cogitant; nec se homines esse meminerunr inimicum servituti genus, quum his artibus careant, quibus homines ceteris animantibus antecellunt. Agite nunc conferte cum ram infelici condirione Barbarorum Rempublicam, in qua summus honos optimis disciplinis habeatur, & ejus rectores tantum hauserinr doctrinæ, quantum satis est bono publico imperaruris. Quàm hæc, Deus bone, ab illâ barbarâ dominandi ratione dissidebit! B in qua Rex, aut magistratus a cognitione sui rerum scientiam auspicatus, non fastu, non arrogantiâ, nun elatione animi, propriis inscitiæ vitiis intumescet; nec dominationem, & servos, sed rectorem, & cives cogirabit; nec, ur barbari Principes, & stulti se humanum excessisse fastigium, quòd opibus, & luxu diffluar, opinabirur; sed iisdem, quibus ceteri constare elementis, iisdem rebus ali, iisdem & gaudere, & offendi, eundem sibi exitum sciet immi- C nere. Ergo se tunc inter Mortales eminere arbitrabitur, quum virtute, clementiâ, consilio, animi magnirudine benefaciendi studio aliis antecesserit: & Homeri dictum semper habebir in promptu, quo maximus ille vates in Ulyssis personâ docet, *Regem erga suos populares, tamquam patrem mitem, & beneficum esse oportere*. Jam in consiliis capiendis, administrandâ Republicâ, quam longè stulto sapiens, doctus indocto Princeps antecellet? alter utetur D consilio stultorum, ut plus ceteris sapere videatur; alter sapientes, & sui similes viros adhibebit: alter, etsi fuerit in consiliariis eligendis felicior, tamen eos habebit, qui gratiâ moveanrur, qui recta consilia adulatione depravent, qui sapientiam plerumque dissimulent, ne Regi stultiriam exprobrare videanrur; alter, etsi omnes defecerint, libros consulet, qui nihil tribuunt amicitiæ, non veritatem adulatione corrumpunt, non riment, non verentur, non, E quò privatæ rei provideant, publicæ sunt incuriosi. His auctoribus, & quidem optimis [optimos enim eliget Princeps liberalissimis studiis institurus] quæ præcepra non bauriet, quæ exempla virtutis, quas voces doctissimorum hominum, & omnis ætatis in Republicâ administrandâ principum non accipiet? Plena sunt his poëtarum carmina, plena Historicorum monimenta, pleni philosophorum libri, plenæ rhetorum orationes. An verò Medicus, a- F liarumque disciplinarum studiosi in arte suâ ex præstantium Auctorum lectione multum proficiunt, nec omnia experientiæ debent; Principes verò in sanandis vitiis ægræ civitatis, in salute Reipublicæ procurandâ nihil; & hæc ars omnium maxima nihil omnino doctrinâ promovebit? De siderum motu, rebusque divinis multa ab Auctoribus præclarissimè disputata, verissimeque dicta proferuntur; G in rebus civilibus nihil vitæ conducibile, nihil, quod Principem possit erudire, tot sæculis a summis viris dictum confirmabimus? immo verò in his, quàm in illis ingenia feliciùs, & utiliùs arbitror esse versata; quòd illæ supra hominem positæ, & immenso dissitæ intervallo vix ullius possunt ingenio comprehendi; hæ verò in medio sitæ, & hominum propriæ sunt. Quid enim ram homini proprium, quàm imperare, quum & H omnibus imperet, & solus ex animantibus hujus rei particeps censeatur? Jure igitur maximi Principes, quem generi humano rectorem imponerent, bonis artibus institutum esse censebant oportere. Augustus, cujus Imperii magnitudo omnium Regum potentiam, Imperii magnitudinem felicitas, virtus felicitatem superavit, neporem unicum Agrippam, cui jure sanguinis Imperium debebatur, quum ætate florenti, viribus validus, nullius esset affinis culpæ, I quòd rudis bonarum artium haberetur, indignum Imperio judicavir. Idemque judicium aliorum Imperatorum fuit; siquidem omnes optimarum facultatum studio ad summum fastigium sibi viam muniebant; quocirca Domitianus, ut dignus Imperio videretur, Poeticæ studium simulavit. Nec immerito doctrinam in Principe sapientissimi Principes, populusque prudentissimus requirebant; innumeris quippe cum Græcorum, tum Romanorum exemplis doce- K bantur, beatas fuisse Respublicas, quum doctorum hominum consilio regerentur: acceperant Chilonis doctissimi viri sapientiam Lacedæmoniis plurimùm profuisse: Mitylenæis Pittacum, Rhodiis Cleobulum, Joniæ Rebuspublicis Biantis, & Thaletis prudentiam mulrum ad felicitatem contulisse; Periclem quadraginta annos Atheniensium civitatem summâ cum laude rexisse; Italiæ partem, quæ magna Græcia est appellata, Pythagoreis gubernantibus L ad summum apicem felicitatis evectam; e philosophorum scholis prodiisse præstantissimos rectores, & principes civitatum; Phocionem Atheniensium Rempublicam ruenrem, præcipitemque sustinuisse, & vulnera afflictæ civitatis opportunâ pace refovisse; Demetrium Phalereum Atheniensium rebus ad multa se utilem præbuisse non ignorabant. Par etiam apud Romanos occurrebat exemplorum copia; Numa, quem philosophum fuisse post multas ætates re- M perti ejus libri declarant, pace constitutâ Romuli partam bellis gloriam adæquavir: Lælii doctissimi viri sapientia Scipionis victorias propemodum utilitate Reipublicæ vicit: parem bellicis Pompeii laudibus laudem in togâ Cicero sibi comparavit. Uti-

nam

nam Catonem philosophiæ studio excel-
A lentem populus Romanus esset secutus vin-
dicem libertatis! non, qui universis gen-
tibus imperabat, indignam tantis rebus ge-
stis servitutem pertulisset. Quid autem de
Augusto, Tito generis humani deliciis;
quid de Hadriano, Antonino Pio, Antoni-
no Philosopho doctissimis Principibus di-
cam? quid de aliis omni laude dignissimis,
qui omnes aut doctrinæ gloriâ censentur,
aut doctos homines impensè coluerunt?
His tot exemplis, etsi alia argumenta deef-
B sent, quæ abunde suppetunt, admonemur
Principem omnibus numeris absolutum
deberi studio litterarum; quo bono nul-
lum majus, nullum præstabilius Mortalibus
Deus bonorum fons inexhaustus elargitur.
Nam sub bono Principe pax, otium, se-
curitas, tranquillitas, gaudium, divitiæ,
bene temperati mores, omnia, quibus fe-
licitas continetur, abunde contingunt.

Tutus bos etenim rura perambulat;
C *Nutrit rura Ceres, almaque Faustitas;*
Culpari metuit Fides;
Nullis polluitur casta domus stupris;
Mos, & lex maculosum edomuit nefas;

Quare vereor, ne sit ineptum, quum di-
xerim bonos Principes beneficio littera-
rum plerumque Mortalibus contingere, a-
liquid ed hanc laudem conari addere; &
tamen, quum cogito adhuc plura, nec mi-
nora superesse, hanc ineptiarum notam
D haudquaquam reformido. Nam ut Princi-
pes, & magistratus doctrinâ magistrâ bene
imperare docentur; sic cives eadem sua-
de ite ad parendi honestum obsequium, le-
gumque jugum perferendum compellun-
tur. Rudes quippe gentes aut justi etiam
imperii frena detrectant, & immodicâ li-
bertate efferantur; quod olim Galliæ, Ger-
maniæ, Sarmatiæ, Scythiæ populis ferunt
accidisse; aut ad omnem servitutem pro-
jectæ parendi consuetudine effeminantur,
E & omnem indolem virtutis amittunt; quo
vitio semper Orientis regna laborarunt.
Quorum utrumque fugiendum; neque e-
nim in turpi servitute, neque in effusâ li-
centiâ esse felicitas potest; ac pariter mi-
serrimi sint illi, necesse est, in quos illud
Tiberii convenit: *o homines ad servitutem
paratos!* & in quos illud Homeri de Cyclopi-
bus dictum: *neque judicia, neque leges cogno-
verunt.* Solis autem populis doctrinâ per-
politis contingit legum metu, & imperan-
F tium reverentiâ temperata libertas; quod
Græcos, & Romanos eruditissimas gentes
abunde ostendisse censeo. Jam verò pri-
vatæ rei quantum doctrina profuerit, &
prosit, non satis, dicendum mihi sit, an
tacendum, statuo. Nam, si dicam, immen-
sus orationi campus aperitur; si taceam,
maximam partem laudum, quibus affici
litteræ possunt, prætermittam; sed mediam G
quamdam insistam viam; & nota præteri-
bo, & breviter dicenda perstringam. Nec
enim, ut opinor, expectatis, Auditores,
ut quantum vel medicina, vel jurisprudén-
tia prosit, accuratè persequar. Quis enim
nescit alteram esse corpori, alteram civium
rei salutem? quis, ubi sanitas labefactari
cœpit, non Medicum consulit, non in eo
spem sitam restituendæ valetudinis arbitra-
tur? quam quum omnes pretiosissimam es-
se fateantur; medicinam ejus conservatri- H
cem nemo non utilissimam esse intelligit.
Eodemque modo, quum rei quisque suæ
persequendæ, aut retinendæ in legibus
spem videat esse collocatam, legum custo-
des, & interpretes Jurisconsulti, quasi ora-
cule quædam civitatis ab omnibus consu-
luntur; nec quisquam ad aram legum, nisi
his ducentibus, confugiendum sibi esse
ducit; & quum omnes leges rei suæ cu-
stodes esse consentiant, nemo earum ad-
ministros Jurisconsultos, non quasi præ- I
sidia sui juris, intuetur. Illud etiam potiùs
indicandum, quàm verbis exaggerandum
beneficium litterarum; quòd linguam ex-
poliunt, verborum flumine, sententiarum
pondere nos instruunt. Nam, quum om-
nia, quæ homines inter se agunt, oratio-
ne, quasi ministrâ conficiantur, nec ferè
moveri homines, nec doceri, nec persua-
dendo in eam, quam volumus, opinionem
induci, nisi verborum beneficio possint;
quis non videt eas artes, quæ orationis u- K
bertatem, dicendi vim nobis tradunt, ma-
gna instrumenta agendi, magnam tradere
facultatem a ceteris quidlibet impetrandi.
Nec quemquam arbitror latere, nisi Gigan-
tum, aut Cyclopum more insaniat, divi-
numque Numen contemnat, aut esse non
putet, Dei contemplatricem facultatem,
quam theologiam vocant, quantum & ad
præsentis ævi, & ad futuri felicitatem no-
bis conferat. Hæc enim in hoc turbido,
& scopuloso, & pleno fluctibus, procellis- L
que rerum humanarum pelago naviganti-
bus ostendit non illum *Mundi verticem*,
quem spectant nautæ, qui *semper nobis subli-
mis*; sed illum celsiorem, a quo pendent
universa, & ad quem universa convertun-
tur; quem spectantes ad portum veræ fe-
licitatis enavigamus. Hujus beneficio er-
rorum nubes discutiuntur, perturbationum
tempestates componuntur, vitiorum sco-
puli vitantur, superstitionum monstra con-
teruntur, vera tranquillitas, gaudium, se-
renitas, lux mentis, hilaritasque nobis af- M
fulget. Quæ si velim latiùs explicare; quàm
copiosè possim dicere, quàm elatè extol-
lere, quàm ornare luculenter! Quid enim
optabilius, quàm valetudinem conservare?
quid conducibilius, quàm rem adversus
calum-

calumniantium fraudes tueri? quid poten-
A tius, quàm homines dicendo permovere,
& in quam velis, sententiam impellere?
quid divinius, quàm ad Dei, divinarum-
que rerum contemplationem mentem at-
tollere? Sed hæc, quia obvia sunt, & per-
vulgata, & quia temporis angustiis impe-
dior, prætermittam; sunt alia magis re-
condita, quæ Oratione meâ debent illu-
strari. Possidonius præclarus inprimis au-
ctor sapientiæ artes non eas modò, quæ di-
cuntur liberales, sed omnes a philosophis
B inventas, in lucemque prolatas existimat;
idque Cicero sæpe confirmat, qui philo-
sophiam toties appellat artium inventri-
cem. Nec sanè dubium, quin artium in-
ventores, aut philosophi fuerint, aut alio
doctrinæ genere excellentes; neque enim
rudis est ingenii, aut in exercitati inco-
gnitam sæculis omnibus artem reperire;
sed & solertis, & rerum naturam acutè cer-
nentis, & in effectibus animadvertendis,
causisque versati; nec minimam partem
C inventionis artium Mathematicorum sibi
vindicant disciplinæ, & ea, quæ Mechani-
ce dicitur, mater artium meritò potest ap-
pellari. Quot enim instrumenta, quæ pon-
derum rationes, quæ machinæ ab ipsâ re-
pertæ sunt, & excogitatæ? Quod si vellem
historiâ teste confirmare, non hujus rei
plurima deessent argumenta; quandoqui-
dem & doctissimos illos Curetas, quos *di-
vini intelligendi principes* Sallustius putat
extitisse, ferrum invenisse scriptorum mo-
D nimenta testantur, & textrinam Minervam,
& Cadmum, qui litteras in Græciam pri-
mus invexit, auri conflaturam; & mensu-
ras, & pondera eum, qui Græcorum do-
ctissimus habitus est, Palamedem; & Atlas
eximius cœlestium contemplator navim
princeps dicitur compegisse. Nolo ire per
singulos artium inventores, ne longiùs pro-
ducatur Oratio, & simul pleraque fretus in-
telligentiâ vestrâ relinquo; & mihi satis est
apud tam peritos Auditores digitum, ut
E ajunt, ad fontes intendisse. Jam enim vi-
detis, quantæ laudes litterarum possint ex
hoc capite accersiri; quæ enim utilitas non
artibus inventis continetur? *Quæ homines
arant, navigant, ædificant*, ut Sallustii verbis
utar, *quæ agunt, omnia opera sunt artium, &
fructus*; sine artibus jaceret vita, squalle-
ret Orbis terrarum, homo divinum animal,
nihil simile origini suæ præseferret. Ideir-
cò Prometheus, qui fertur ignem artium
instrumentum invenisse, hominem e luto
effinxisse dicitur; quo commento quid a-
F liud ostendit antiquitas, quàm eos, qui ar-
tium in vitam lumen intulerunt, ad Cœ-
lum ex humo hominem extulisse? Artibus
quippe non tantùm supra ceteras animan-
tes attollitur, sed naturæ æmulus, atque
ipsius pæne divinitatis evadit; has autem

non Prometheus aliquis, sed doctrina, &
litteræ nobis tradiderunt. Quod etiam ex G
eo intelligi potest, quod ubi jacent litte-
ræ, etiam aliæ artes obsolescunt; ubi ve-
rò hæ florent, illæ quoque perfectæ haben-
tur, & absolutæ; & quotidie a doctissimis
viris multa excogitari videmus, quibus ar-
tes proficiant, & augeantur. O insigne be-
neficium litterarum! o divinum munus, &
prædicandum! o laudem incredibilem, &
singularem! quid possum addere amplius?
Addam tamen aliquid majus; nam parum
fuerat artes invenisse, nisi artem multo ma- H
ximam disciplinam morum litterati homi-
nes reperissent. Clemens Alexandrinus
philosophiam Mortalibus divinitus datam
censet, ut quæ gentes legem a Deo non
accepissent, eâ tamen, quasi divinâ lege,
regerentur, & ad omnem virtutem forma-
rentur. Quod esse consentaneum veritati
philosophorum incredibiles virtutes decla-
rarunt; quis enim possit admirari satis Py-
thagoræorum amicitiam, & animum divi-
nis rebus addictum; Socratis æquam in u- I
traque fortunâ mentem, Diogenis liberta-
tem, Platonis verecundiam, & moderatio-
nem, & quamdam animi divinitatem, Xe-
nocratis temperantiam, Epicuri lætam pau-
pertatem, Zenonis inconcussam animi fir-
mitatem, Cleanthis proficiendi studium, la-
borumque tolerantiam, Epicteti morum in-
credibilem sanctitatem? Quòd si veteres il-
li philosophi, qui a veræ lumine religionis
longissimè abfuerunt, perfectam prope,
consummatamque virtutem doctrinæ stu- K
dio sunt assequuti; quantum credibile est
nos, quibus demissa Cœlo lux veritatis pra-
vum divini Numinis cultum, ignoratio-
nemque discussit, dummodo non ad ina-
nem loquacitatem, sed ad componendos
mores ingenium exerceamus, ejusdem do-
ctrinæ beneficio profecturos? Sunt igitur
litteræ fontes, a quibus & civitatum con-
dendarum, & Reipublicæ administrandæ, &
honesti obsequii, & rectè imperandi ratio,
& disciplina, & omnis utilitas, quæ a bo- L
no Principe, & legitimè parentibus popu-
lis proficiscitur; & valetudinis tuendæ be-
neficium, & reos defendendi, remque a
fraudulentis civibus vindicandi, & persua-
dendi, dissuadendique, & cognoscendæ di-
vinitatis doctrina, & artium inventio, ab-
solutioque, & morum disciplina manavit.
Quæ præstantia litterarum tantorum, tam-
que admirabilium fecunda bonorum nisi
vos movet (dicam quod sentio) ferrei pla-
nè estis, Adolescentes; ac nisi, ut aliquam M
ex his partem in alios conferre possitis, vo-
bis laborandum putatis, inhumani. Neque
enim vobis dumtaxat estis procreati; sed,
ut est a Platone præclarissimè dictum, par-
tem ortus vestri Patria, partem amici, par-
tem cognati, parentesque sibi vindicant.

A His autem non voluptas vestra, non deliciæ, non luxus, non ignavia, sed labor, vigilantia, studium adjumento esse possunt. Excitate ergo vos aliquando, prospicite vestræ gloriæ, languoremque, & somnum, & inertiam abjicite, ac vos fingite utiles Reipublicæ; & quum aliis quàm plurimùm proderitis, tum vobis ipsis putate quam maximè profuturos.

ORATIO X.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1686.

In solemni instauratione Studiorum.



De Victoriis Christianorum.

B LÆtitia, Patres amplissimi, Auditores ornatissimi, qua devictis hostibus immanissimis, gentis invictæ bello tremefactâ potentiâ, captâ urbe prope inexpugnabili, quæ arx, & propugnaculum Imperii Barbarorum habebatur, magnâ Pannoniæ, & Dalmatiæ, & Epiri, & Peloponesi parte in ditionem redactâ, tot jam partis, aut speratis victoriis Christianus Orbis universus exultat, ac triumphat; me etiam insolito C gaudio gestientem insolita quærere argumenta dicendi, præscriptumque egredi gyrum, nec præstantiam litterarum, sed fortissimorum ducum, nec otium sapientum, sed negotium bellatorum laudibus ferre cogit; qui tantum boni, quantum vix ausi essemus optare, laboribus, ac periculis, & sanguine suo nobis pepererunt. Quamquam ea est, Auditores, hujus natura victoriæ, ut, quum de eâ dicam, a laudatio- D ne sapientiæ non longè videar aberrare; &, si est usquam celebrandæ bellatorum virtuti locus accummodatus, hic est aptissimus; in quo mihi studiosi Juvenes ad bonas artes adhortandi, quæ tantæ victoriæ beneficio a Barbarorum immanitate defensæ magis, ac magis in dies efflorescent. Est enim triumphus hic quodammodo sapientiæ; nec tam de hostibus, quàm de barbarie, de contemptu doctrinæ, de neglectu ingeniorum, E de artium despicientiâ, quæ ad animum pertinent excolendum, trophæa sunt a nostris constituta. In hoc bello doctrina cum inscitiâ, cultus ingenii cum efferatâ barbarie, sapientia cum inconsultâ ferocitate certavit: victi sunt hostes litterarum, victi studiorum contemptores, victa barbaries: depulsa est atrox illa tempestas, quæ bonis artibus imminebat: discussa caligo, quæ F quum Germaniam quadam belli nube operuisset, æternas Orbi terrarum ignorantiæ tenebras allatura videbatur. Cui magis lætandum, quàm studiosis litterarum, aut cui cupidius laudes fortissimorum virorum canendæ, quàm alumnis Musarum, & sapientiæ; qui, ne timerent interitum disciplinarum, perniciem ingeniorum, eversionem quietis, eorum victoriâ sunt consequuti? Quando verò aptiùs, quàm hoc auspice studiorum die convenit gratulari attritas opes nationis, quæ si, quod moliebatur, Euro- G pam universam imperio adjecisset, omnia studia miserrimâ clade concidissent; & ne exilio quidem litteratorum locus ullus relinqueretur? His ergo potissimùm voces doctorum serviant, quorum operâ ab æterno silentio sunt vindicatæ; nec verò video, qua ratione cupidus litterarum adolescentes ad studia capessenda acriùs possim incitare, quàm si ostendero studiis partam securitatem, jacere potentiam Barbarorum; nec solùm esse pristinam littera- H rum dignitatem, cujus interitus timebatur, constitutam, sed spem esse certissimam ejus augendæ, & sapientiæ fines latiùs proferendi.

Atque, ut perspiciatis, Auditores, quantum omnes, qui sacra Musarum colimus, prudentissimorum ducum virtuti, & fortissimorum militum dextris debeamus, recordamini superiorum temporum timorem; quum superbissima natio, nata excidio Orbis terrarum, contemptrix omnis I humani, divinique juris, non fidei, non fœderum memor bellum adversùs clementissimum Cæsarem summâ ope compararet; quis non impendentem Christianæ Reipublicæ tempestatem exhorruit? quis non summum periculum bonis artibus, urbium ruinam, regnorum vastitatem, cladem, excidiumque Germaniæ fassus est imminere? Quum verò Barbari pacis conditionibus repudiatis, contemptis justissimis Cæsaris precibus bellum non jam minarentur, sed K gererent, & Europæ vires, & Orientis in excidium utriusque Pannoniæ, Germaniæque intulissent; quis non actum de Imperio, de legibus, de omni laudabili studio, ipsam avitam religionem, arasque, & focos in summum discrimen adductos judicabat? Innumerabilis exercitus, robur Barbarorum, a potentissimo Rege tot annorum spatio per otium coactus ad excindendam Imperii sedem ferebatur; apud nostros nihil parati; spes pacis belli apparatus eluserat. L Jam immensa hostium multitudo sese utrique Pannoniæ, & Marcomannorum campis torrentis modo superfuderat: agri vastabantur, excindebantur oppida, templa incendebantur: nihil sanctum, nihil intactum, nihil inviolatum Barbarorum furori, omnia incen-

dio,

dio, ftrage, cædibus, ruinâ mifcebantur:
A non ætas cuiquam, non fexus, non digni-
tas, non divini Numinis cultus proderat;
pecudum more jugulati fenes, juvenes tru-
cidati, in fervitium abducti puerorum, &
virginum greges, fœdata paffim delubra,
& aræ fanguine facerdotum. Quis clades
illius temporis, quis terrorem, quis luctum
explicet? & tamen, quæ fumma videban-
tur mala, uno belli impetu ferro, igni-
que populati agri, capta oppida, defolatæ
provinciæ, temporis momento perculfa,
B atque proftrata omnia, malorum initia, &
quafi rudimenta quædam extiterunt. Nam,
quum Barbaris non locus afper, non fil-
væ, non flumina moram objeciffent, ce-
dere coactis noftrorum copiis, Narabone
trajecto, quem propter difficultates loco-
rum, violentumque curfum hoftium duces
femper exhorruerant, Juliobona Cæfarum
fedes, arx Imperii jam obfidebatur: coa-
ctus Cæfar caput rerum, quò fervaret, fu-
bitò relinquere, tutiùs abfenti majeftate,
C quàm præfenti Regiam fuam defenfurus;
foqouta Cæfarem imbellis ætas, & quibus
animus invalidus ad obfidionis mala perfe-
renda, extorris, & miferabilis multitudo.
Nolo faciem trepidæ fugæ, nolo confufæ
urbis afpectum, nolo mæftitiam, & lachry-
mas abeuntium, & patrios lares, & cariffi-
ma pignora in hoftium, ut putabant, mox
futura poteftate relinquentium ob oculos
vobis ponere, Auditores; ne triftitiam præ-
teriti temporis præfentis letitiæ mifceam.
D Ignofcendum tamen de fummâ rerum de-
fperantibus, ignofcendum, non, ut ait
Poëta bonus, *Pompejo fugiente*, fed Cæfare
pertimefcebant; quem quum ex illâ flam-
mâ pæne ambuftum vix eripi, ereptumque
fummum adire difcrimen cernerent; quis
ullam falutem fupereffe confideret, quum
illud caput periclitaretur, quo publica fa-
lus continebatur? Hoc certè nuncio ac-
cepto Germania terrore concuffa eft, Ita-
lia trepidavit, Occidenfque univerfus con-
E tremuit; quid illis animi fuiffe cenfetis,
qui non procul impendentem tempeftatem
profpiciebant, fed in medio belli turbine
verfabantur? Si tantus Romanis omnium
gentium victoribus fuiffe terror dicitur,
quum Cimbrorum, & Ambronum, & Teu-
tonum immanis multitudo e penitiffimis
Germaniæ oris axcita, finitimis provinciis
devaftatis, Galliis miferandâ ftrage proftra-
tis, Italiæ jam immineret; quanto magis
formidandus exercitus illius nationis, quæ
F Afiam, Africam, Europam victoriis pera-
gratas imperio occupavit? quum non una,
aut altera gens barbara, fed Ægyptiorum
multitudo, Afiæ florentiffimæ copiæ, Scy-
tharum equitatus, Græciæ, Thraciæque,
& Illyrii, & Mœfiæ, & Daciæ robur ur-
bem Imperii domicilium non bello pete-
rent, fed jam obfidione einctam oppugna-
rent. Sed præclarius nobifcum actum, quàm G
cum Romanis; non enim ad ruinas labantis
Reipublicæ fulciendas ab Arpinati agro Ma-
rium accerfivimus, hominem libertati gravē,
& Barbaros ipfos, quos bello vicit, infigni
crudelitate fuperantem; fed præftò fuit mi-
tiffimus generis humani Princeps INNO-
CENTIUS hujus nominis undecimus; qui
quum ad Chriftiani Orbis gubernacula fede-
ret, & illos teterrimos fluctus, & procellas di-
fcordiâ Principum concitandas multo ante
profpexiffet, numquam auctoritate, confilio, H
monitis falutaribus, precibus apud Deum
(quando homines parum movebantur) co-
nari defiiterat nubem illam atrociffimi belli
declinare, & Reipublicæ navem in quietis,
& tranquillitatis portu falvam collocare;
cujus confilium, auctoritafque fi valuiffent,
vel bellum nullum habuiffemus, vel tan-
to in metu, & calamitate non fuiffemus.
Verumtamen divinâ providentiâ factum,
ut Sanctiffimi Senis vota non exaudiren-
tur, quò facta innotefcerent; confilia re- I
pudiarentur, ut defiderata gentibus virtus
eluceret. Paravit hoc fibi fpectaculum Deus,
virum concuffi Orbis ruinæ parem, totam-
que Rempublicam Chriftianam fuis hume-
ris fuftinentem. An verò non fuftinuit,
Auditores? quem ergo alium auctorem fa-
lutis refpeximus? quem tanto oneri fuc-
cedentem fumus admirati? quis Germa-
niam ardentem inteftinis difcordiis paca-
vit, & ad communem caufam traduxit?
quis Galliam tumentem bello, & afflictis K
Germaniæ rebus imminentem fuæ virtutis
admiratione compreffit? quis potentiffimo
Regi Sarmatarum cum Cæfare perpetuum
fœdus inire perfuafit, & duas ferociffimas
nationes vetufto inter fe odio diffidentes
mirâ conjunctione devinxit? quis opulen-
tiffimam Venetorum civitatem eodem fœ-
dere illigavit, ut terrâ, marique hoftis ur-
geretur? quis Principes ferè univerfos ad
opem ferendam labanti Reipublicæ horta-
tu, exemplo, auctoritate commovit? Quan- L
do tantum omnium nationum confenfum
ad hanc imperiorum peftem extinguen-
dam fuiffe accepimus; aut unde hic ex-
titit, nifi a fummo gentium Moderatore?
Nuper etiam, qui de Religione idem fen-
tiebant, armis inter fe crudeliffimè dimica-
bant; & quos debebant fraterno amore
complecti, bello appetebant, communem
hoftem vicinorum ruinis crefcere patie-
bantur; nunc illi quoque, qui in quibuf-
dam a nobis de Religione diffentiunt, Chri-
ftianæ Religionis hoftes bello perfequen- M
dos confentiunt. Nec verò neceffe eft fin-
gulas gentes recenfere; unam appello te-
ftem Mofchorum nationem latè Afiæ, Eu-
ropæ latiffimè imperantem, quæ nobifcum
focia arma junxit, & ad evertendum Tur-

carum Imperium conspiravit; adeo nihil A discors, nihil non pacatum sub tali sacrorum Principe; nec mirum membra Christianæ Reipublicæ concordare, quum capiti tanta sit concordia, concentusque virtutum omnium. Hunc enim quasi præsentem quemdam Deum intuemur, invictum rebus adversis, invictum cupiditatibus, immotum affectibus, & magno animo humana calcantem; nec tam mortale fastigium excelsi ille ex altissimo dignitatis gradu, in quo Deus illum collocavit, quàm ex immortali, ac divinâ B virtute, qua præditus est cognoscimus: hunc securum sui, dies, ac noctes de salute publicâ cogitantem, gentes omnes paternâ caritate complexum, exemplo, justitiâ, severitate sæculi mores corrigentem, & tollentem funditus vitia admiramur. Ergo crescit in dies amor obsequii, nec ei parere homines dedignantur, quem supra hominem a virtute sentiunt collocatum. Hæc solum causa disjuncta connectit, conciliat inter se discordia, turbata componit, C exulcerata sanat, in amorem odia, in mansuetudinem contumaciam, ferocitatemque convertit. Testis Britannia, quæ non tam a nostro Orbe, quod ait Poëta, divisa, quàm a religionis integritate, nec tam a summo veritatis Magistro, quàm a suis ipsa erroribus dissidebat; nunc, dum ad obsequium erga Romanum Pontificem sub religiosissimo Rege paulatim redit, excusso vitiorum jugo, sese in veram vindicat libertatem. Ipse autem e summo fastigio, in D quo est divinitus constitutus, prospicit humani generis pericula, abevat calamitates, errores discutit, cunctis lucem prudentiæ, lucem doctrinæ, lucem auxilii tendit, ac porrigit; tamquam Sol, qui lumine complexus Mundum nihil patitur, aut frigoribus torpescere, aut tenebris obrui sempiternis; sed cuncta fovet, animat, recreat, & salutari luce collustrat. Amorem illum cœlestem philosophi nobiles in primis tradiderunt duabus alis E ingentibus Ortum, Occasumque tegere, & inumbrare; his omnia nutriri, & confoveri; extremis media, mediis extrema conjungi. Quod est amoris divini proprium, id ejus instinctus afflatu humani generis Princeps imitatur; gentes sibi commissas tutelâ suâ fovet, suo favore complectitur Universum, sub ejus umbrâ Christiana libertas, & Respublica delitescit. Quod cum aliàs experti sumus, tum in hoc periculosissimo bello, in quo, nisi talem ducem habuisset, Christianum nomen fun- F ditus concidisset; quod enim genus auxilii Respublica requisivit, quod non ab eo profectum sit, & quotidie proficiscatur? Nihil jam de prudentiâ loquor, qua quid hostes maximè læderet, quid nostris expediret, unus omnium maximè vidit: nihil dico de auctoritate, qua non unam gentem, sed Europam commovit universam: G prætermitto constantiam, quæ nullâ difficultate ab incepto potuit deterreri; quod tam perenne flumen, quod mare tam inexhaustum, qui tam vastus, aut profundus Oceanus, ut possit cum liberalitate Beatissimi Senis comparari? Vetus oratoris disertissimi dictum est, *ad dimensum alimentis tributis non pasci bellum*; id maximus Princeps prudentissimè comprobavit, qui nullum sumptibus, quos in hoc bello fecit, modum statuendum est arbitratus. Quan- H tum ille auri, quantum opum, quantum copiarum profudit? quos exercitus aluit? quas gentes præmiis ad arma concitavit? Senserunt Mundi extrema sui Principis largitatem, Orbisque terrarum sacris opibus redundavit; nec hostes minus ejus aurum, quàm armatarum ferrum legionum horruerunt. Exhaustam tantis impensis liberalitatem non defecisse miraremur, nisi sciremus aliarum quoque virtutum beneficio abundare. Nam parcimonia superva- I cuos amputat sumptus; continentia non desiderat, nisi necessarios; moderatio, quas opes alius ad ostentandam potentiam prodegisset, condidit, & ad meliores usus reservavit. Hæ perennes liberalitati suppeditant copias, quæ nisi difficillimis hisce temporibus Rempublicam sustentassent, numquam devictis perduellibus Christiana Religio triumphasset. Verumtamen hæc liberalitatis dona, quæ palam in commune bonum contulit, quamvis maxima, quamvis Chri- K stiano nomini salutaria, cum iis non arbitror comparanda, quæ sensibus occulta, intellectu deprehensa nobis a divinâ beneficentiâ impetravit. Te, summe rerum Moderator, Te, domitor superborum, Te, domine exercituum Deus, testor, plus in hoc bello auxilium tuum a sacrorum Principe imploratum, quàm ullas humanas opes valuisse; Te Sanctissimi Senis pietatem respexisse; Tu vota rata esse voluisti: Tu nostris audaciam addidisti: Tu hostibus terrorem, & L metum, & fugam injecisti: Tu eorum contumaciam, superbiamque contrivisti: tuâ virtute jacet cæsus ingens exercitus Barbarorum; urbs Imperii caput obsidione liberata respiravit; aliis super alias victoriis Christianorum virtus honestatur. An verò non omnia sic in hoc bello gesta sunt, Auditores, ut divinum Numen Christianis affuisse tantùm non oculis cerneremus? Operæ pretium est ad tempus illud funestum, & luctuosum, quo obsidione Juliobona premebatur, iterum animum, cogi- M tationemque convertere. Quàm arctæ res nostræ, & impeditæ, quàm humanis opibus expediri non posse videbantur? brevi spatio cogendus exercitus, qui innumerabiles copias Barbarorum intra vallum aggredi,

& exi-

& eximere urbem obsessione posset; &,
A quoniam Germanorum copiis tam brevi
comparatis parum fidebamus, accersendus
cum invicto exercitu fortissimus Rex Sar-
matarum; cujus quamquam egregia volun-
tas, animusque in Rempublicam singularis,
tamen, ut Sarmatiæ procerum studia ferè
semper discordia sui Regis consiliis obse-
cundarent, verebamur; quæ si ex voto suc-
cessissent, tam invictam in obsessis fortitu-
dinem, ut tanto periculo circumventi num-
quam animum ad molliora consilia flecte-
B rent, futuram sperare vix audebamus. Hic
primùm defensoribus Deus periculorum, &
vulnerum, & mortis contemptricem men-
tem dedit; nam divinam virtutem qui pos-
sumus arbitrari non divinitus extitisse?
Non illos disjecta latè munimenta, non re-
pletæ fossæ, non murorum ruinæ, non
grandinis instar sagittæ incidentes, non te-
la, quæ ut a tantâ multitudine conferta fe-
rebantur, non impetus hostium assidui,
transgressionesque mœnium terruerunt.
C Opposuere pro dirutis munimentis incon-
cussa metu pectora; & virtutem civium
urbium esse monimentum firmissimum o-
stenderunt; & pauci multos, & integros
viribus defatigati cum ingenti clade sæpis-
sime repulerunt. O virtutem monimentis
omnibus celebrandam! o viros immortali-
tate dignissimos! vos primum belli turbi-
nem excepistis; vos furorem hostium pri-
mi infregistis: vos rebus afflictis lucem at-
tulistis: in vestris dextris Deus nominis
D Christiani gloriam, Imperii decus, Germa-
niæ libertatem, Italiæ salutem collocavit;
neque enim unam urbem, sed pæne cun-
ctam Europam a ferro, a flammâ, a vasti-
tate, a colluvione Barbarorum, & miser-
rimâ servitute defendistis. Dum quippe in
unius urbis obsidione tamdiu hostis deti-
netur, jam contractæ Cæsaris copiæ ad o-
pem obsessis ferendam magnis itineribus
adventabant: jam Heros ille summus, vel
potiùs nostræ salutis, ut ita dicam, Deus,
E Joannes Rex fortissimus Sarmatarum Regni
sui vires cum Germanorum exercitu con-
junxerat. Hìc ego mihi temperare non
possum, quominus in laudes invictissimi
Regis excurram; nec a tanto Duce par-
vâ manu deletas ingentes copias Barbaro-
rum, neque contectos cædibus campos,
infecta flumina prædicabo; nec dicam
hunc non jure sanguinis, non adoptione,
sed meritis eximiis, & immortalibus, quum
privatus esset, ad regnum pervenisse; nec
F electum, qui fortunæ bonis, qui formâ,
qui robore corporis, qui nobilitate, sed
qui rebus gestis, animi magnitudine, scien-
tiâ rei militaris, prudentiâ ceteros anteiret;
hunc Regem fuisse naturâ, antequam re-
giam esset fortunam consequutus; siquidem
sola virtus regium quiddam est, & omni-
bus naturâ imperat; nec reliquas artes re-
gnandi, nec pietatem, nec religionem G
tanti Regis commemorabo; unum hoc di-
vinum, & immortale factum rapit ad sese, &
quodammodo absorbet Orationem meam;
quum frui posset pace tranquillâ, quum
virtute partis Regni bonis acquiescere; su-
scipere bellum grave, periculosumque ma-
luit, nec dubitavit formidabilem bello na-
tionem, & magnæ terrarum parti imperan-
tem lacessere, quò Christianæ Reipublicæ
laboranti subveniret. Id bellum si per suos
duces administrasset, rarum, & memorabi- H
le exemplum fortitudinis, & pietatis edi-
disset; is enim metus jam animos Princi-
pum multa sæcula occuparat, ut satis ha-
berent, si a vi potentissimæ nationis im-
perii fines tuerentur; ipsam verò priores
aggredi, aut bellum inceptare periculosæ
plenum opus aleæ esse censerent; itaque
connivebant in ruinis vicinorum, quasi eæ
non ad se pertinerent; & illud incendium
extinguendum, nisi ad se perveniret, non
judicabant; timendoque numquam, ut ti- I
mere desinerent, consequebantur. Plena
est exemplis historia, quæ declarant Prin-
cipes Christianos ausos numquam obviam
ire potentiæ Barbarorum; sed illud unum
memorandum inprimis. Quum Byzantium
alterius Imperii caput innumerabilis Tur-
carum exercitus obsideret, oratoresque
Græci Imperatoris omnes Principes, &
Reges Europæ supplices adissent, & auxi-
lium adversus hostem communem infimis
precibus implorassent, nemo aggressus est K
casurum Imperium sustentare; passique
sunt urbem Orientis reginam, lumen Eu-
ropæ, decus, & ornamentum Reipublicæ
Christianæ in sævissimæ gentis venire po-
testatem; qua clade nullam Sol tristiorem,
acerbioremque conspexit. Et quid ego lon-
ginqua, quid vetusta persequor? quoties no-
stra, quoties patrum nostrorum vidit ætas
ipsum Regis invictissimi, qui suppetias no-
bis tulit, Regnum ab eodem hoste bello pe-
titum in summum periculum devenire; L
quum populi, Regesque finitimi nihil ami-
corum discrimine moverentur? Quare ma-
gnum fuisset aliquid auxilii Germaniæ pe-
riclitanti submittere, & offendere animum
barbari Regis, iramque terribilem exci-
dio magnarum nationum in se convertere;
sed maximo Regi non fuit id satis; tamquam
sua res non Cæsaris ageretur, suos popu-
lares oblitos æmulationis, & odii ad opem
Germanis ferendam commovit, Procerum
voluntates abhorrentes a causâ delinivit;
quàm maximas potuit, brevi copias contra-
xit, Regnum suum infestissimis cinctum na-
tionibus, ut servaret alienum, reliquit;
opposuit barbaro Duci magni exercitus
instar præsentiæ suæ majestatem, filiumque
adolescentem (o exemplum pietatis admi-
ran-

randum!) filium, inquam, adoleſcentem
A paternæ virtutis imaginem, regiæ indolis
unicum exemplar ſecum adduxit, ut to-
tius florantiſſimæ domus periculo labentem
Auguſti Regiam ſuſtentaret. Credent ne
Poſteri tantum in Rege pietatem valuiſſe,
ut Chriſtianæ religionis damnum, cladem
ſuam duceret, & Deo, non ſibi militaret?
& qua tempeſtate Reges, quò ſua ipſi re-
gna conſervent, objicere caput periculis,
& ſoo ductu gerere bella non audent, ſe,
domumque, & Regnum in manifeſtum di-
B ſcrimen offerret, quò finitimi Principis Im-
perium tueretur? Imitatus eſt Rex belli-
coſiſſimus vetuſtos illos Principes, quorum
gloriam nulla umquam conſequentium ſæ-
culorum obſcurabit oblivio, Cyros, Phi-
lippos, Alexandros, Cæſares, Auguſtos,
Trajanos, Alexandros Severos, Antoni-
nos; qui bella non ſuis ducibus demanda-
bant, ſed ipſi ductabant exercitus, & e-
xemplo milites ad prœlium accendebant.
Sed eorum virtutem fortitudine adæquavit,
C pietate vicit; quod ergo illi virtute conſe-
quebantur, inſignis victoriæ decus eſt con-
ſequutus; pietati verò tribuit aliud præ-
mium Deus eximium, & ſingulare; ut ſui
terrore nominis vinceret, & ſine clade
ſuorum aſpectu pæne ipſo fugatas ingen-
tes Barbarorum copias diſſiparet. Deus e-
nim, Deus incuſſit hoſtibus terribilem
metum, Deus barbari Ducis mentem tan-
ti Regis adventu perterritam obſtupefecit.
Nam qua de causâ factum arbitrer, ut,
D quum inter hoſtium caſtra, & noſtrorum
exercitum Danubius interflueret ille flu-
viorum maximus, limes ille quondam Im-
perii Romani; qui quaſi foſſa quædam in-
ſuperabilis, objectus ferociſſimis nationibus
earum immanes impetus coërcebat, poſ-
ſetque parvâ manu tranſitu noſtros, vel
omnino prohibere, vel ſaltem aliquandiu
retardare, non cepit id conſilium, quod
obſeſſam urbem in extremum periculum
adducebat? Cur montem caſtris imminen-
tem, qui noſtris, ut ad urbem pervenirent,
E neceſſariò ſuperandus, quum infinitâ mul-
titudine abundaret, ſatis valido præſidio
non occupavit? an fiduciâ ſuarum virium?
an hoſtium contemptu? an ullo conſilio
militari? minimè gentium; ſed omne con-
ſilium Deus ultor excuſſerat: agebant in
exitium violati fœderis furiæ: mentem oc-
cæcabat ſubitò circumfuſus terror, quem
ex adventu lectiſſimarum legionum, invi-
ctiſſimi Regis, præſtantiſſimi Ducis conce-
perat. Declaravit eventus; vix occupato
F monte omnia noſtrorum copiis teneban-
tur, vix tela caſtris incidebant, vix hoſtis
aſpectu milites accenſi clamorem ſuſtule-
rant, nec dum primum agmen invaſerat
vallum; quum apud Barbaros omnia plena
terroris, formidinis, tumultus, trepidatio-
nis cernebantur. Dux ipſe non animo,
non auribus, non linguâ competere, nihil G
attonitus expedire, non ſuos ad prœlium
cohortari, non inſtruere aciem, noo præi-
re exemplo, non ullo ducis, aut militis
officio fungi, ſed circumſpicere locum fu-
gæ, & ſuo flagitio imperator exercitum pu-
dore flagitii ſolvere. Arſiſſe quondam Ro-
mania, quum prœliarentur, ora, viſoſque
furentes, veſanoſque vultus hoſtibus fuiſ-
ſe terrori Veterum monimenta memoriæ
prodiderunt; parem in noſtro milite ardo-
rem divinitus extitiſſe, majoreſque, & nu- H
mero plures viros, & ferociâ terribiliores
crediderim apparuiſſe. Viſi ſunt profectò,
viſi ex illâ montis altitudine quaſi Cœlo
demitti contempti Numinis vindices, Chri-
ſtianæ libertatis aſſertores, ultoreſque tem-
plorum profanatorum, everſores barbaræ
crudelitatis. Nec aberrata conjecturâ ſen-
tentia; inſolitum quidpiam, inauditum,
horrendum ſpectaculum ducenta bellato-
rum millia tanto metu perculit; ut vix ex-
pectatâ pugnâ ſe ſe turpiſſimæ fugæ com- I
mitterent; avariſſima natio partam ingen-
tem prædam, opulentiam Aſiæ, divitias Eu-
ropæ, urbem omnibus copiis affluentem
pæne captam relinqueret. Ubi gentis illa
vetus gloria militaris? ubi celebrata no-
ſtris cladibus virtus? ubi mortis ille con-
temptus, cupiditaſque pro ſui Regis Im-
perio ſe ſe devovendi? Uno eodemque
temporis momento commiſſum prœlium;
urbs, de qua armis certabatur, obſidione li-
berata; fuſus, fugatuſqoe ingens exerci- K
tus, qui noſtros ipsâ multitudine obtritu-
rus videbatur, non ora pugnæ, ſed cædi
terga præbebat. Dux, qui everſionem Im-
perii, noſtri nominis excidium, ingentem
potentiam, & lucrum ſpe devorarat, im-
mixtus fugientium multitudini, oblitus
imperatorii decoris, quàm citatiſſimo equo
ferebatur. Quid cædem fugientium, quid
confuſam ſtragem non tam cæſorum a no-
ſtro milite, quàm a ſuâ multitudine, equi-
ſque conſternatis obtritorum, quid ſan- L
guinem rivis fluentem, quid altum pul-
verem, quid aliena tormenta, quid capta
ſigna militaria, quid direpta caſtra, quid
infinitam prædam commemorem? O diem
felicem, & ſæculis omnibus prædicandum,
qui Chriſtianæ Reipublicæ lucem attulit
ſempiternam, qui primus oſtendit horre-
re nos vanas umbras, quum vim Barba-
rorum pertimeſcimus! Dolebat noſtrorum
virtus, quæ duris gaudere conſuevit, tam
facilem ſibi conceſſam victoriam; hoſtium M
copias internecione deletas non eſſe que-
rebatur; fortium bellatorum votis Deus
obſecundavit. Hoſtilem exercitum ex diſ-
ſipatâ fugâ rurſus congregavit, ut auderent
prœlium committere, perculſos animos
erexit in ſpem victoriæ; tum ſignis colla-
tis

tis acerrimè dimicatum, datus bellicosissi-
A mo Regi, datus fortissimo Duci, datus in-
victis legionibus periculo quærendi glo-
riam locus. Testes campi Strigonii, qui
incredibilem nostrorum virtutem aspexe-
runt, qui altissimâ cæde contecti Barbaro-
rum sanguine redundarunt. Quid hic e-
go dicam hujus victoriæ fructum Strigo-
nium regalem quondam urbem, & opi-
bus affluentem receptam? quid reliquias
tanti exercitus ferro, fame, itinerum lon-
ginquitate prorsus deletas esse commemo-
B rem? qua clade succisos nervos potentiæ
Barbarorum & speramus, & exemplo satis
idoneo admonemur. Quum Xerxes ille,
qui ad ostentandam potentiam Athonem
montem perfodit, & Hellespontum ponte
conjunxit, terramque navigavit, & pedi-
bus maria peragravit, amissis ingentibus co-
piis, quæ flumina exhausisse dicuntur, vi-
ctus e Græciâ, superatusque discessisset,
numquam postea Persarum Reges tantâ suo-
rum clade funestam Græciam tentarunt
C invadere; sed contra Græci Hellesponto
trajecto Persarum opes attriverunt; & ad
extremum Alexander Dario profligato Im-
perium potentissimæ gentis funditus ever-
tit. Quàm similis in hac expeditione Xer-
xi Regi superbissimo superbissimus hostium
imperator? ille quinque ferè annis vastissi-
mi vires Imperii, opulentissimique contra-
xit; hic pari ferè temporis intervallo, pa-
rique conatu copias comparavit: ille non
solùm hominibus veniebat infestus, verùm
D etiam Diis, & ritibus, templisque Græco-
rum; hic furore magis detestabili pios
Christianorum cultus deleturus, incensu-
rus templa, eversurus aras videbatur: ille
duobus prœliis ingentibus, altero mariti-
mo, altero terrestri superatus est; hic dua-
bus itidem pugnis ingenti ruinâ corruit.
Majores omnino copiæ antiquo illi Xerxi,
quàm nostro huic perierunt; sed major e-
tiam illius, quàm hujus potentia; ille quip-
pe florentissimis provinciis imperabat; hic
E intolerandâ servitute pressis, & sævissimo
imperio pæne desolatis. Animosior Xer-
xes, qui pugnæ interfuit, nec adire cum
suis periculum detrectavit; hic timidior,
indignorque regio fastigio, qui non est au-
sus exemplo Majorum suis copiis præesse,
& inter hostium tela versari; sed Taurini
longè remotus a discrimine belli exitum
expectabat. Quod autem Græcis beatissi-
mum contigit, videre Xerxem fugientem,
id nobis haudquaquam fortuna denegavit;
F & quem degener metus periculo exemerat,
non exemit fugæ turpitudini. Quum enim
infelicis pugnæ eventum trepidi nuncii at-
tulissent, quasi hostis instaret a tergo, &
non tanto locorum intervallo dirimeretur,
terras, quas triumphantis modo paulo an-
te lætissimus peragrarat, dolens, gemen-
sque trepidâ fugâ remensus est, nullo in-
sequente, quum suam ipse, quemadmodum G
dici solet, umbram formidaret. O spe-
ctaculum felix, & bonis omnibus lætissi-
mum? quàm vellem Majoribus nostris lucis
hujus usuram paulisper fata concessissent,
dum aspicerent hostium Regem turpiter fu-
gientem; qui Principes Barbarorum auctos
imperio, ovantes victoriâ, Europæ, Asiæ-
que spoliis onustos, insignes titulis capta-
rum urbium, gentium devictarum magno
cum animi dolore spectare consueverant.
O Unniadum, o Alexandri Epirotæ, o E- H
trusci Philippi manes, qui toties campos
Barbarorum cædibus contexistis, eorum-
que potentiam, velut Hydram secto cor-
pore, crescere cladibus doluistis, quàm vo-
bis jucundum fuisset Regem ita debilitatum
metu, Gentis infractas vires intueri; ut e-
jus Imperium propediem occasurum esse
videatur. Quod enim cum Persarum for-
tunâ fortunam hostium comparavi; victo-
riæ nostræ magnitudinem parum pro rei
dignitate concepi; nam illi post acceptas I
ad Salamina, Plateasque clades diu felices,
opulentique regnarunt; donec Agesilaus
eorum potentiam labefactaret, Alexander
prorsus everteret; nobis non expectandum
est, donec aliquis Agesilaus, aliquis oria-
tur Alexander; nostros jam Agesilaos, no-
stros Alexandros habemus; qui a metu re-
spirare Barbaros non sinant, qui perpetuis
cladibus conterant, opprimant, profligent,
exterminent. Jam exactum triennium est,
quum urbium captarum nominibus, no- K
visque subinde victoriis omnium aures ce-
lebrantur; quoties a nostris prospere di-
micatum? quæ hostium editæ cædes? quem
gurgitem, aut quæ flumina eorum clades
non infecerunt? quot urbes, quàm vali-
das, quàm munitas, quantisque firmatas
præsidiis Barbarorum expugnavimus? Ne-
cesse non est singulis enumerandis immo-
rari; nec tamen prætermitti debet urbs,
quam anno, qui proximè hunc felicissi-
mum antecessit, virtute summâ nostrorum, L
hostium clade maximâ cepimus; ea fir-
missimum Imperii præsidium a Cæsaribus
condita, quò Barbarorum furorem inun-
dantem, quasi agger quidam, reprimeret,
& coërceret, Patrum nostrorum memoriâ
in eorum, quibus objecta fuerat, venerat
potestatem. Nihil eâ validius, nihil arte
munitius, nihil expugnatu difficilius ex-
cogitari potest; quæ tam brevi spatio, tam
facilè propemodum incruentâ victoriâ,
quum ab eo præsidio, quod mori, quàm M
urbem dedere præoptavit, defenderetur;
a nostris recepta, nihil arduum, nihil in-
expugnabile victoribus umquam futurum
esse declarat. Obruor magnitudine rerum,
obruor, Auditores; nam si mihi angustior,
& sterilior materia dicendi contigisset,
quàm

quàm magnificè, qua copiâ, quo ornatu
A vel hujus expugnationem urbis possem ex-
plicare; quæ, quum ab hostibus oppu-
gnaretur, ingentem exercitum defatigavit.
Quid? quod anno superiore additamen-
tum hujus victoriæ fuit, quàm ornatè di-
cerem, quàm splendidè ornarem, quàm e-
latè extollerem bellum adversùs eos, qui
a Cæsare desciverant, prospere gestum;
contusam pervicaciam sceleratæ factionis,
Ducemque toties pulsum, toties exutum e-
xercitu, qui periculosissimum toti Germa-
B niæ, funestissimum sibi bellum suis furiis
concitavit? Jam ejus tot urbes receptas,
tantum virium Cæsaris Imperio adjectum,
quantumlibet copiosè, quantumlibet or-
natè possem prædicare. Quid enim magni-
ficentius Cæsari potuit contingere, quàm
eum, qui ipsius ruinâ, totiusque Reipu-
blicæ Christianæ suum Regnum fundare,
ac stabilire insano prorsus conatu fuerat
aggressus, extorrem, inopem, omni præsi-
dio destitutum, hos ipsos, quos tamquam
C sui furoris adjutores acciverat, acerbissi-
mos hostes expertum e totâ pæne Panno-
niâ exterminasse; tantumque incendium
ejus ipsius ruinâ, qui conflavit incendium,
restinxisse? Verumtamen hæc, quæ satis
laudibus ferri non possunt, quasi levia de-
libabo; me enim vocat maximum operum,
quod a nostris confectum nuperrimè om-
ni prædicatione excellentius, omni admi-
ratione majus, omni eloquentiâ sublimius
debet judicari. Qua in re capiam idem
D consilium, quod Trojani belli scriptorem
cepisse video; qui quum in eâ expeditio-
ne Græcorum multas urbes captas, pro-
vinciam cum primis Asiæ opulentam su-
bactam esse constet, reliqua contentus in-
dicasse, in unius obsidione Trojæ expli-
candâ immoratur; sic ego ceteris carptim
perstrictis, ad unius regiæ urbis, quam
prisco vocabulo Curtam vocant, novo Bu-
dam, obsidionem, expugnationemque pro-
perabo. Sed quibus verbis operis magni-
E tudinem coner adæquare, non reperio;
vix enim quidquam in omni sæculorum
memoriâ præclarius gestum animadverto.
Nam sive rei gestæ magnitudo spectatur
ex magnitudine utilitatum, quæ rem ge-
stam consequuntur; quid hujus urbis expu-
gnatione majus, qua captâ opulentissimum
Regnum, de quo tot bellis per annos fer-
me ducentos, & tam cruento marte certa-
vimus, pæne captum est? nudatum verò
firmissimo præsidio latus vastissimi Imperii
F Barbarorum ipsa viscera, ipsumque caput
victricibus nostrorum armis patefecit; sive
ex difficultate; quid difficilius? An obli-
ti sumus hanc animis nonnullorum opi-
nionem penitus inhæsisse, tempus a nostris
incassum teri, aggressos rem pæne insupe-
rabilem; vix humanis viribus, vix ullâ ar-
te posse Curtam expugnari; eam semper
fuisse bustum nostrarum legionum, fune- G
stum tot cladibus Christianorum, septies
a nostris ducibus tentatam nostræ militiæ
florem extinxisse? Quæ opinio erat spe-
ctantium rei difficultatem, non erat spe-
ctantium invicti Ducis, exercitusque vir-
tutem; nec fallebatur sanè; quæ enim sin-
gula tueri solent urbes, inexpugnabilesque
præstare, ea huic urbi aderant universa.
Alexander ille Magnus non Persarum mo-
dò, Indorumque, sed ipsius naturæ victor,
quum Barbaris, qui præruptam, editam- H
que rupem, quæ Petra vocabatur, insede-
rant, minaretur, ludibrio habitus dicitur,
ipsis percontantibus; an alas essent Mace-
dones habituri. Et profectò, nisi astu mi-
litari providisset Macedo, victoriarum ille
cursus, quibus Orbem terrarum subege-
rat, ad illam petram, tamquam ad scopu-
lum adhæsisset. Hæc autem difficultas, quæ
Herculem vicit, Alexandrum pæne deter-
ruit, quæ provenit ex prealti, & præci-
pitis loci naturâ, hanc urbem munitam, I
inaccessamque reddebat; quum ejus mœnia
in altâ, & præcipiti, & asperâ saxis ingen-
tibus rupe sint collocata. Cum loci verò
naturâ certavit artis ingenium; quæ vali-
dissimis propugnaculis, triplicique, & pæ-
ne impenetrabili muro, & arce munitissi-
mâ vallavit oppidum, firmavitque. Poëtæ,
quum Ditis urbem insuperabilem, inexpu-
gnabilemque vellent ostendere, triplici mu-
ro cinctam esse dixerunt. Quæ poëticis de-
cora fabulis urbis munitissimæ speciem re- K
præsentant, ea in urbe Pannoniæ princi-
pe revera spectabantur; tres urbes capien-
dæ, tres muri superandi, vel potiùs qua-
tuor (nam & oppidum vetus, quod in pla-
no jacet, sæpitur mœnibus) antequam Cur-
ta caperetur. Geryonem, Herillumque,
quò pæne invictos describerent, ter vin-
cendos fuisse, quum tergemino corpore
essent prædìti, fabulæ prodiderunt; ea mon-
stra Curta vicit, quæ quater vincenda, qua-
terque fuit expugnanda. Jam validius nul- L
lum urbium munimentum esse virtute bella-
torum, qui vincere, aut mori animis obstina-
rint, quis rerum prudens æstimator non in-
telligit? quum Lacedæmon nullis mœnibus
cingeretur, stetit per multas ætates invicta
semper, tutioremque Spartam præstitit ci-
vium fortitudo, quàm vasta mœnium alti-
tudo, latitudoque Babylonem. Quum ve-
rò Epaminondas Leuctrico prœlio victor
ad oppugnandam Spartam formidabilem
recenti clade Spartanorum duxisset exerci- M
tum, memoriæ proditum est feminas, &
pueros, & senes invalidos urbem non fos-
sâ, non aggere, non vallo circumdatam de-
fendisse; tantum in virtute civium, mor-
tisque contemptu, præsidium est urbibus
constitutum; quod genus munimenti non
te-

temere aliam urbem firmiùs tutatum esse A fertur. Quindecim millia fuere lectissimorum militum numerus, qui vel aperto marte magni exercitus impetum sustinere potuisset; ea vero virtus, ea animorum obstinatio, is mortis contemptus, ut nullo periculo terrerentur, nullas dedendæ urbis conditiones acciperent, oblatam ultro victorum clementiam toties repudiarent; plerique verò in eodem vestigio, in quo steterant pugnantes, fuerint trucidati; & ad extremum urbem jam captam, qua ca- B rissima pignora continebantur, incenderint; pares constantiâ Saguntinis, si pro meliore causâ cecidissent. Adde fluminis opportunitatem, adde commeatuum copiam, adde tormentorum omnis generis incredibilem apparatum, adde reliquorum, quæ obsidioni tolerandæ, hostibusque propulsandis sunt opportuna, quibus ea urbs præter ceteras egregiè abundabat; duorum mensium intervallo expugnatam mirari numquam desines, numquamque C nostrorum laudes prædicare; quibus pervicax hostium virtus, & potentia, & ars, & natura cesserunt; quæ victoris exercitus gloria quò major esset, ingentes Barbarorum copiæ, quasi testes tantæ virtutis, obsessis auxilio advenere. Quibus hîc ego laudibus, Auditores, prudentissimi Ducis vigilantiam, scientiam rei militaris, constantiam, animique magnitudinem ornare conabor? Cæsar ille omnis ætatis imperatorum facilè princeps, D quum Alexiam munitissimum oppidum obsideret, ad opem obsessis ferendam ingens Barbarorum exercitus adventavit; quum ancipiti marte a fronte, & a tergo urgeretur, hinc erumpentibus oppidanis, inde exercitu castra oppugnante, utrosque vicit, repressit oppidanos, exercitum delevit, oppidum expugnavit. Id Cæsaris facinus omnis ætas meritò admirata est, & præ ceteris ejus rebus gestis divinis, & immortalibus celebravit. Par extitit in expu- E gnandâ Curtâ invictissimi Ducis gloria; hinc crebræ obsessorum eruptiones comprimendæ: hinc hostes castra continenter assultantes, & in urbem quovis periculo penetrare contendentes repellendi; non minore cum laude utrosque superavit, complevit Barbarorum cædibus campos, & in oculis, in oculis, inquam, tanti exercitus, qui suppetias laturus aderat, urbem expugnavit. Dux hostium, quasi non ad suos calamitate liberandos, sed ad spectandam F calamitatem esset accersitus, amissâ nequidquam magnâ parte copiarum, vidit urbem captam, vidit eversam fortunam sui Regis, vidit ovantes victoriâ nostros, vidit stragem inauditam amicorum, vidit fumantem arcem Imperii, extinctamque gloriam suæ nationis; audivit gemitum morientium, ejulatum feminarum, puerorumque ploratum; omnia cædibus, horrore, luctu, ruinâ, G flammâ compleri spectator infelix indoluit. Ergo si tantum gloriæ Scipio ille Africanus, qui Charthaginem, Numantiamque delevit, sibi apud Posteros comparavit; si Mummius excisâ Corintho sempiternum decus est consequutus; si Marcellus captis Syracusis immortalem sui nominis famam reliquit, nulla umquam ætas de tuis laudibus, Carole imperator invictissime, conticescet; qui Christianum nomen eâ gloriâ, quæ ex tantis victoriis proficiscitur, locu- H pletasti; qui magnam Pannoniæ partem subegisti; qui urbem firmissimo præsidio, & ad moriendum paratissimo, naturâ, arte munitissimam, & omnibus copiis refertissimam in hostilis exercitus conspectu cepisti. Tu formidabilem olim Christianæ Reipublicæ barbari Regis potentiam primus repressisti: tu primus vinci posse, quasi Marcellus alter, docuisti: tu non hostes modò, sed fortunam ipsam virtute vicisti; qui ejus injuriâ privatus avito solio in Panno- I niæ solio victorem Cæsarem collocasti; & quod magnificentius est, quàm accipere, te posse Regnum dare quodammodo ostendisti: tu defensor nominis Christiani, tu pietatis vindex, tu libertatis assertor, tu Germaniæ salus, tu Italiæ propugnator, auctor, & parens nostræ securitatis; quem semper in ore habebimus, nec perinde, ac meritus es, umquam celebrabimus. Nec ferè minor gloria te consequetur, Maximiliane Princeps fortissime; qui tam præ- K clarum militiæ tyrocinium posuisti, ut veterum gloriam imperatorum adæquaris; qui tam acerbâ ætate maturum tuæ pietatis fructum es consequutus; macte juvenis virtute præstantissimâ, & immortali; qui non florentissimæ Regiæ commodis, non illecebris voluptatis, non amore novæ nuptæ, quam Cæsare ortam excellenti formâ tibi copulasti, delinitus, lectissimas copias tuas ad bellum ducere, sub pellibus esse, adire quotidie pro Republicâ pericula non L recusasti; tantumque specimen veræ virtutis edidisti, ut tibi non exigua pars hujus victoriæ debeatur. Quem te futurum arbitrer ætate jam confirmatâ, quantumque bellatorem, quàm acrem hostem Barbarorum, vindicem pietatis, impietatis extinctorem, qui te, ineunte pæne adolescentiâ, talem, tantumque ducem, ac tam invictum Christiani nominis defensorem præbuisti? Istâ ætate Africanus ille superior, quum Hispaniam debellasset, devictâ vir M Africâ triumphavit; & te victorem hostis immanissimi alii majores triumphi manent, alia major gloria consequetur. O felicem tanto genero, felicem tantis ducibus, felicem suâ pietate Cæsarem; qui potentissimum hostem perdomitum vidit, fractam, &

& abjectam contumacem rebellium factio-
A nem, suo consilio captam urbem opulen-
tissimam, tantum terrarum subactum, suæ
causæ Europam universam militantem!
cujus afflicta fortuna aliorum prosperitatem
superavit, qui victus vicit, depressus emi-
nuit, fractus invaluit, triumphatus trium-
phavit causâ omnium triumphorum, quos
Christiana religio ducit, & ducet, verè
Pius, verè Felix, verè Augustus; qui
cum toto Orbe Christiano fortunam suam
communicavit; & sicut antea ejus pericu-
B lum commune periculum videbatur, ita
nunc ejus felicitas omnes felicitate dona-
vit. Neque enim in Pannoniâ tantùm, sed
ubique gentium res prospere gestæ; hinc
Daciam ferè universam invictis copiis,
præsidiisque Sarmatiæ Rex occupavit, ar-
morumque suorum terrorem Byzantium us-
que intulit; inde Moschorum Princeps a
Palude Mæoticâ, Tanaique, & Mari Ca-
spio in exitium Barbarorum Europæ, Asiæ-
que extrema commoverunt. Tenetur un-
C dique communis hostis, quasi bellua quæ-
dam immanis cincta venatorum telis, vi-
ctricibus nostrorum armis circumventus;
in Dalmatiâ verò, & Epiro, Peloponeso-
que qua felicitate, quo impetu, qua cele-
ritate bellum gessimus? Omnia succum-
bunt armis Christianorum; hostes nostri
nominis terrore subegimus; at quàm bre-
vi, quantaque cum gloriâ? Vix cursum
victoriarum nostræ classis cursus est assequu-
tus; testor Leucadem: testor Actiacam Ni-
D copolim: testor Coronen, Methonenque,
& Pylum antiquam, & novam, Naupliam-
que, & tot alias urbes, arcesque, quas
biennio vix exacto cepimus: testor deni-
que Dalmatiam: testor Epirum: testor Pe-
loponesum ferè totam, quæ in nostrorum
venit potestatem; quam arma Barbarorum
vix multis ætatibus domuerunt. Quæ no-
bis eo majore lætitiâ victoria celebranda
est, quòd invictis triremibus tuis, & lectis-
simæ legioni ejus pars magna debetur, san-
E ctissime Principum Cosme; qui ab Impe-
rio Barbarorum tanto dissitus intervallo,
tamen in ejus viscera penetrasti, veterem-
que gloriam, terroremque tuæ classis auxi-
sti. Quàm implacabilis hostis, quamque
esses Barbaro metuendus, si tibi fortuna
propinquius regnum tribuisset; qui tam
longè remotus ad tantam victoriam pluri-
mum contulisti? Sic & reliquos oportebat
Reipublicæ Christianæ proceres in com-
mune consulere, nec suscipere bellum,
F nisi publicæ causæ expediret. Quod con-
silium est optimi Principis, qui, quum
studiosus inprimis pacis neminem lacesseat,
cunctisque mitem sese, tranquillumque
præbeat, dumtaxat est hostis infestissimus
impiæ nationis. Est ergo pietatis fautor
Deus, & morem gerit fortuna tanti Prin-
cipis voluntati; quod bene magnis cladi-
bus Regnum emissemus, sine luctu, sine G
jacturâ exercitus Imperio adjecimus. In-
gens illa peninsula omnium rerum copiâ
beatissima, nobilitate omnibus præstans,
bellicosissimarum olim gentium nutrix, in
nostram redacta est potestatem. Jam Græ-
cia diuturno jugo pressa Barbarorum spe-
rare incipit pristinam libertatem: jam lit-
teræ in ea loca, in quibus natæ, in quibus
altæ sunt, longo quasi postliminio reverten-
tur. Florebit pax, & tranquillitas, flore- H
bunt artes, florebit sapientia, ejus nutrice
Græciâ liberatâ. Juvabit regiones poëta-
rum carminibus nobiles, & veterum mo-
nimentis illustribus celebratas contempla-
ri; eæ nobis ad colenda studia litterarum
magno incitamento esse debebunt, Audi-
tores, & clarorum scriptorum memoria,
qui sapientiæ, & eloquentiæ principes, &
inventores extiterunt; & quòd servitio
longè gravissimo liberatæ nos admonebunt I
depulsum periculum sempiternum, quod
nostris cervicibus imminebat; non enim
sine causâ, ne Italiæ accideret, quod acci-
dit Græciæ, timebamus. Nunc parta se-
curitas, quæ solet esse altrix ingeniorum,
quemvis quantumlibet hebetem ad amo-
rem studiorum inflammabit; nec deerit
aut eloquentibus materia victorum laudes
celebrandi, aut sapientibus tot urbes, &
provincias, quæ in mores Barbarorum a-
bierunt, legibus, & præclaris institutis
componendi.

ORATIO XI.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1687.

In solemni instauratione Studiorum.



Litteras verissimam pacem animo largiri.

QUum meæ sint partes, Auditores
ornatissimi, quotannis hodier- K
næ lucis celebritate recurrente,
celebrandis litterarum laudibus
adolescentes ad studia sapientiæ
cohortari; exequenti mihi sedulò munus
injunctum idem, quod his, qui in vasto
mari navigant, aut in camporum immen-
sâ planitie peregrinantur, usuvenit. Nam
quemadmodum illis, quum ad id pervene-
runt, quod oculis extremum, Cœloque
terminari videbatur, alia se rursus aperiunt
ma-

maris, atque camporum intervalla, quibus
A peragratis alia ſubinde, atque alia, novuſ-
que de integro labor exantlandus, nec ul-
lus errorum finis defatigatis oſtenditur;
ita mihi per ſapientiæ laudes ire conanti,
& infinita ſpatia, quibus illæ patent, ora-
tione metiri, quum eò, quò intenderam,
defeſſus acceſſi, nova ſubinde materia ſu-
boritur, nova exiſtunt argumenta, novuſ-
que ſe ſe dicendi campus oſtendit, in quo
expatiari, & exultare poſsit Oratio. Nec
tam arbor illa Poëtæ ſummi carminibus
B nobilis aureis fecunda ramis eſſe fertur,
quorum

...... primo avulſo non deficit alter
Aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo,

quàm eſt fecunda laudum ſapientia; qua-
rum ſeges decerpta numquam deficit, ſed
beatiùs exuberat, & meliori fruge ſemper
auget colligentem; & quum ad laudandum
ea putes elegiſſe, quæ ceteris antecellunt,
& a laudationis munere te cenſeas abſolu-
tum, vix ad finem, quem propoſueras,
C perveniſti, quum ſuccreviſſe videtur nova,
& intacta materia laudum; quæ pulchritu-
dine ſuâ animum ſic allicit, & ad ſe ſe ra-
pit; ut te laboris exhauſti pœniteat, & ſem-
per his, que ornanda cenſueris, potiora,
quæ ſuperſunt, arbitreris. Quod ſum equi-
dem, Auditores, in præſtantiâ litterarum lau-
dandâ ſemper expertus; nam quum initio
gloriam, & ſplendorem, & dignitatem ho-
neſtiſſimarum artium vobis ob oculos po-
ſuiſſem; deinde ſapientiæ formam præcla-
D ram, & excellentem deſcripſiſſem, & qui
fructus ex eâ perciperentur, oſtendiſſem;
tum voluptatem, qua fruuntur ſapientes,
eſſem dicendo perſequutus; quum tres
fontes, ex quibus laus omnis duci ſolet,
quæ vel in honeſtate, vel utilitate, vel ju-
cunditate quadam cernitur, depleviſſem,
mihi meum munus perfectè, cumulateque
videbar impleviſſe; quum bella, quibus
ardet Orbis terrarum, mihi facem ad alias
litterarum laudes indagandas prætulerunt;
E & utiles eſſe fortiſſimis viris doctorum la-
bores, & Muſarum lauro Martis illam co-
ronam triumphalem virere lætiùs mihi per-
ſuaſi, &, ut vobis perſuaderem, laboravi;
quo argumento nullum ſplendidius, nul-
lum magnificentius poſſe putabam inveni-
ri, quum ſapientiam auxiſſem palmis, &
trophæis, & titulis gentium devictarum,
& Muſas Parnaſſo deductas in Capitolio
quaſi triumphantes collocaſſem. Sed quum
viderem pacis artes bellicis antecellere, &
F togæ ſemper arma conceſſiſſe; pacem ipſam
litterarum ſtudiis carentem eſſe impaca-
tam, & turbidam tranquillitatem, nec ul-
lâ re magis augeri, ornari, conſervarique
otium Rerumpublicarum, quàm otio ſa-
pientum graviter, vereque contendi. Hoc
laudum confecto curriculo, quis ullum
ſpatium decurrendum ſupereſſe putaviſſet?
& tamen, quantum mihi reſtat adhuc pe- G
ragrandum! quàm ſpatioſus Orationi meæ
campus aperitur! quod extremum laudum
videbatur, gradus eſt aliarum laudum; quas
a carceribus ad calcem ſi velim percurre-
re, infinita planè ſuſcipiatur oratio. Nam
quum tranquilla Reipublicæ tempora flo-
rere litteris dixerim; nonne conſequens
eſt, ut dicam eaſdem afferre privatim ani-
mis tranquillitatem? Aurea tranquillitas
animi, quam omnes expetunt, etiam hi,
qui in turbulentiſſimâ vitæ ratione verſan- H
tur, donum eſt litterarum; litteræ, ubi
ſemotam a ceteris curis mentem ſibi ven-
dicaverunt, veriſſimam pacem animo lar-
giuntur. Quod ego, dum probare conor,
Auditores, vos, quæſo, vacuam, & ſolu-
tam curis mentem dictioni meæ pauliſper
advertite.

Eſt omnium ſermonibus celebratum in
animo noſtro duas eſſe partes, quarum al-
teram communem cum Superis, alteram
cum brutis habeamus. Altera ſemper pla- I
cida, ſemper tranquilla, ſemper, niſi quan-
tùm alterius caligine offuſcatur, in puriſſi-
mâ luce collocata eſt; altera inquieta, tur-
bulenta ſemper, a ſeipſa diſcors, niſi quan-
tùm alterius radiis illuſtratur, denſiſſimis
tenebris obſidetur: in alterâ ſita eſt ratio,
ſita ſcientia, ſita virtus domina rerum, &
generis humani princeps, & moderatrix;
in alterâ falſæ opiniones, iræ, cupiditates,
odia, ambitio, livor, invidentia, omnes
denique perturbationes animi peſtes teter- K
rimæ: altera ſuis contenta bonis vero gau-
dio fruitur, nec alienis inhiat, nec extra
ſe poſita conſectatur; altera lætitiâ geſtien-
te exultat, & effertur, immoderata, inex-
plebilis, in longinqua ſemper imminens
odio præſentium, immodica, turpia, exi-
tium allatura interdum concupiſcit. Ha-
rum partium quum ad alterutram ſe ſe a-
nimus converterit, & applicarit, ejus na-
turam induat neceſſe eſt; placet hanc ſpe-
ctare ſeditioſam, inconſtantem, temerariam, L
cæcam, inquietam? iiſdem vitiis inquina-
bitur, a ſeipſo diſſidebit, levi momento huc
illuc impelletur, temeritate, & cæco quo-
dam impetu feretur, nec ullo temporis
puncto conquieſcet; ad illam divinam,
tranquillam, perſpicacem, luculentam,
quietam mavult adhærere? ducet ab ipsâ
ſplendorem, totus clariſſimâ luce comple-
bitur, expers tumultus, expers cupidita-
rum, quietus, purus, tranquillus evadet.
Et quemadmodum oculus, qui tenebras in- M
tuetur, accipit vim, naturamque tenebra-
rum, qui verò lucem, lucis ipſius dotibus
explendeſcit; ſic animus, qui ad partem
ſui tenebricoſam, & turbulentam ſe ſe ap-
plicat, impletur eadem perturbatione, &
cæcitate; qui autem ad intellectum lucem

sui convertitur, illius virtutibus pollet, & illustratur, & sicut, qui tumultuosum ducem sequitur, tumultuetur, necesse est, qui pacatum, quietumque, pace summâ, & tranquillitate perfruatur; ita qui in partem sui rationis expertem, & perpetuis motibus agitatam descendit, numquam acquiescit; qui assurgit in mentem, haud paulo meliorem ducem nactus in placidissimâ vitæ ratione versatur; ut, qui Olympum ascenderunt, nullis nubibus contristantur, nullis turbinibus, & procellis, & imbribus offenduntur. Quo probè constituto, cui potest esse dubium, quin hominum generi ferè nulli, præterquam studiosis litterarum, inoffensa quies, & tranquillitas animi summa contingat? Quod enim aliud genus in mentem convertitur, solas agitat rationes, & in excolendâ sui præstantissimâ parte versatur, nisi studiosi litterarum? quid aliud agunt doctorum labores, quid sibi volunt, quid moliuntur, nisi ut in mente abditas, & involutas excutiant, & explicent rerum notiones; quas quum explicaverunt, præclarum illum orbem conficiunt rationis; & ex cognitis, & exploratis ad ignota progrediuntur, eaque referunt ad illa, quæ primitus in mente fuerant contemplati? Sic animus in rationem, ratio in mentem convertitur, ubi simplicem, & nudam, & non fucatam veritatem contuetur; a sequiore verò parte, quæ extrinsecùs temere pellitur, & multis erroribus implicatur, dum se abducunt, & quàm longissimè fugiunt, eam ipsam fugiendo cohonestant, & negligendo colunt; ut omni temeritate depositâ ad mentis ipsius exemplar quodammodo componatur. Cujus rei te appello testem, divine Plato; tua præclara vox audiatur; tu dicere solebas *mori sapientem oportere*; quod quid aliud est, quàm ratiocinio, quoad ejus fieri potest, corpore mentem consectari cupiditates, & sensus, & perturbationes omnes deserentem? Ergo animum excogitandis rationibus, & excutiendâ intelligentiâ occupatum minimè mirum est in sincerâ tranquillitate versari. Polypi ferunt (ut a parvis magnarum exempla rerum petamus) eam esse naturam, ut a rebus, quibus adhæserit, colorem, & similitudinem ducat; eadem est animi vis; qui Polypo quovis magis est multiplex; nisi rationis beneficio distingatur, ab iis, in quibus frequenter versari solet, inficitur, & conformatur. Nonne videmus eos, qui se cumulandis opibus dediderunt, avaritiæ sordibus inquinari? præcipites iracundiâ ferri, & esse quodammodo efferatos, qui in castris, & prœliis ætatem exegerunt? ambitione transversos agi, qui ab ineunte adolescentiâ comitia, & forum, & populi studia spectaverunt? diffluere luxu, qui vitam voluptatibus refertam sunt consectati? qui somno dediti a labore omni refugerunt, eorum mentem ignaviâ obtorpuisse? qui parce, ac duriter vitam coluerunt, animo esse ad quidlibet perferendum patientissimo? Quum autem a studiis, quibus distinemur, plerumque fingamur, moresque ducamus, quales occupationes nobis indiderunt, res est dubia, credo, qualis eorum sit animus evasurus, qui sese in litteras otii comites, & pacis, & tranquillitatis alumnas penitus abdiderunt; quasi verò nesciamus adeo tranquillum esse visum negotium litterarum, ut loca ipsa, in quibus eæ discuntur, otii, & ludi nomine ab Antiquis fuerint appellata; perinde ac ii, qui studia colunt, nihil aliud, quàm otium colant, & consectentur; quæ sunt adeo cum tranquillitate conjuncta, ut ab eorum sacris turbidi, & inquieti, & gravibus curis obruti, velut profani a mysticis cæremoniis arceantur. Hinc illæ frequentes hominum occupatorum, & in mærore, luctuque jacentium voces, deesse otium sibi, deesse animi tranquillitatem ad præclaras artes celebrandas querentium. Non illi quidem omnino ineptè litteras rem sacram, & puram inprimis, quum mente sine perturbatâ, tamquàm impuri, attingere reformidant; nam vident tam acerbum dissidium inter litteras, & quidquid est in rebus humanis turbulentum, interesse, ut semper in otio floresnt, in omni rerum perturbatione, & tumultu obsolescant. Quapropter ubi arma increpuerunt, sapientum voces contidescunt; & clangor tubarum poëtarum cantibus, & actionibus oratorum, & legibus ipsis indicit silentium; ex eaque urbe primæ omnium exulant Musæ, quæ discordiarum fluctibus, & civilium tempestate bellorum commoventur. Non igitur sine causâ a studiis, quæ publicos tumultus fugiunt, quum perturbationibus privatis agitentur, putant abstinendum; sed tamen fugit eos ratio. Cur enim medicinam, quum ægri sint, reformidant? cur, quum fluctibus jactentur, tutissimum portum subire detrectant? sunt enim studia sapientiæ medicina curarum; sunt portus, ubi a civilibus undis jactatus animus acquiescit; nec aliud poëtarum voces, Historicorum exempla, præcepta sapientum persuadent, quàm ut animi tranquillitate nihil antiquius habeamus; perturbationes beatæ vitæ pestes esse teterrimas arbitremur; a miserâ ambitione refugiamus; veras divitias non in infinitâ rerum possessione, verùm in animo paucis contento collocemus; voluptates non inexplebili cupiditate, sed naturæ desideriis explendis finiamus. Quæ monita salutaria influunt paulatim in animum, fluctuantemque componunt, & in tranquillo collocant. Jam al-

altum otium, jam secessus, jam silentium litteris debitum, jam abducta mens a rebus externis, ubi tumultus, & in naturæ contemplatione defixe, quantum non ad conservandam modò, sed ad parandam quietem afferunt adjumenti? Atque hoc doctissimi viri ostenderunt, qui e miserâ jectatione, quum in Musarum sinum confugissent, ærumnarum finem, acerbitatum lenimen, curarum levamentum repererunt. Tullius Catilinæ, & Clodii furoribus vexatus, & in exilium actus, quum districtos in Reipublicæ perniciem in suum jugulum gladios convertisset, inter Cæsaris, & Pompeji arma jactatus, acerbissimæ fugæ, eversæ rei privatæ, ruentis publicæ, libertatis amissæ solatia e philosophiæ complexu petivit; tantumque a publicis malis, quantum sapientiæ studuit, respiravit. Rutilium, convulsâ Republicâ, ejectum Patriâ, in gymnasiis Græcorum philosophia consolata est; tantumque in atrocissimâ tempestate fortunæ tranquillitatis invenit, ut non ampliùs Romanas opes desideraverit; & desideratus a civibus, revocatus a Syllâ exilio suo cives, a quibus fuerat damnatus, Romamque damnaverit. Boëthium ultimum Romanæ virtutis lumen, quem Tyranni immanitas extorrem egerat, sapientiæ studia receperunt; & dignitatis amissæ, & bonorum desiderium, & imminentis mortis terrorem leniverunt. Quid Græcos commemorem, quorum quanto exarsit acriùs amor litterarum, tanto sunt exempla frequentiora? quid Socratem dicam, oppressâ Republicâ crudelitate triginta tyrannorum, nunquam e statu mentis dejectum, sed eundem semper servasse vultum, eamdemque tranquillitatem in carcerem intulisse, &, quum mortiferum poculum esset hausturus, divinitus philosophatum? quid cynico Diogeni securitatis tantum superfuisse, ut, quum Corintho Philippus cum exercitu immineret, trepidantibus aliis, & suis bonis ab hoste servandis, & defendendæ urbi sese parantibus, dolium suum ludibundus versaret, ne in publicâ trepidatione nihil agere videretur? quid Zenonem naufragum, emissis opibus in philosophiæ portum confugisse, ubi veras opes, ideoque tranquillam, securamque stationem reperit; ut ab Antigono Rege accersitus regias preces, & divitias repudiarit; ne aulæ tumultu, strepituque animi quies turbaretur? Quid autem ego philosophos, & summos viros testes cito; quando ipse Dionysius dejectus ex altitudine regiæ dignitatis, & interrogatus, quid ipsi Plato, & litteræ profuissent, respondisse fertur: ut opulentissimi Regni jacturam, atrocitatem fortunæ, exitiumque miserandum placidè, tranquilleque perferrem. Quod si tyranni, quorum animos furiarum cædis ardentibus agitari, & verberibus crudelissime lancinari sapientes prodiderunt, tantum a studio tranquillitatis hauserunt, ut asperrima rerum æquo animo tolerarent; jam minimè miror Anaxagoram, & Dionem, & Xenophontem in acerbissimis filiorum funeribus nihil esse commotos; Polemonem in urbis tumultu, Pyrrhonem in tempestate sævissimâ imperterritum extitisse; Archimedem Syracusis captis, grassante latè victorum ferociâ, & urbe cædibus plenâ, & ruinis, gemituque, ululatuque personante, formis in pulvere describendis intentum occidisse; Stilponem Megaris occupatis nihil strage Patriæ esse perturbatum; &, quum alii pretiosissima quæque secum auferre, & moliri, & occultare conarentur, omnia reliquisse; & Antigono Rege, qui tanti philosophi gloriâ commotus, & ejus domum, & cuncta bona servari jusserat, percontante, numquid rerum amisisset? respondisse: nihil; nam eruditionem, & doctrinam mihi abstulit nemo. O animi mirum æquitatem! o philosophi mentem in tempestate sævâ quietam! o nullis obnoxiam casibus constantiam! Externa putavit nihil ad se pertinere, nec esse bona, quæ vulgus existimat, quæ possunt adimi, quæ in fortunæ posita sunt potestate; sed rerum scientiam, sed eruditionem, sed bonam mentem verissimas esse doctorum possessiones, non civium furore, non hostium victoriâ nobis, non ullâ fortunæ vi auferendas. Cujus philosophi præclara vox me admonet præcipuam esse causam, cur hominum litteris deditorum vita quiete, & animi tranquillitate ceteris præstet; quòd hi ingenii cultum, perspicientiam veri, eloquentiæ copiam, non extra se collocata possideant; illi externa, & quæ in aliorum sunt manu, consectentur. Quum itaque suis hi bonis gaudeant, illi inhient alienis, aut si potiti sint, amittendi metu crucientur; quis mirum arbitretur hos quadam serenitate mentis frui, illos vitam agere semper trepidam, & inquietam? An verò ego existimem, qui mercaturis rem quærunt tranquillius vivere; qui ex alienâ fide pendent; quorum est ex ventorum, & maris inconstantiâ, & ex navium rudentibus, velisque suspensa felicitas? An milites in illo rerum tumultu, in illo bellorum turbine, in illâ trepidatione, inter strages, & cæsorum acervos, quum ubique terror, ubique vulnera, ubique mors impendeat, & ex levitate fortunæ, & ipsorum vita, & eventus pendeant præliorum, ullam partem veræ tranquillitatis obtinere? An ambitiosos, qui populi favorem aucupantur, qui honores appetunt in arbitrio levissimi vulgi positos, aut in alicujus præpotentis hominis voluntate; quorum bene fundatas, & constabilitas opes

pes

pes parva interdum aura rumoris evertit? A Sed horum in confessio miseria est; quid illi, qui sibi lauti, ac beati videntur, qui inertiam amplexantur, qui deliciis affluunt, qui incedunt unguentis delibuti, calamistris inustâ comâ, vestitu parum virili, luxuriâ languidi, somno, vinoque marcentes; quàm minime, quæ sequuntur, otium, & quietem, & voluptatem assequuntur? Nam, quum hominem ad præclara quædam natura genuerit, ipsi verò nihil splendidum moliantur, & tenebras vitæ splen- B dori virtutis præponant, necesse est sibi ipsis displicere, & frustrari, & angi, dum explere gestiunt voluptatem, quæ frequentissimè est alienæ potestatis. Ipsi agricolæ, quorum tranquillitatem procul a negotiis viventium tantopere poëtæ prædicant, & admirantur;

...... quibus ipsa procul discordibus armis
Fundit humo facilem victum justissima tellus;

nonne sunt obnoxii fortunæ, quæ in incertâ C ratione tempestatum, & imbrium collocata est? Non enim suus illis jucundus labor, sed perceptio fructuum, qui vel fluminis inundantis, vel grandinis ingruentis, vel æstus immodici, vel furentium ventorum vi momento temporis intercipiuntur; quorum sollicitudinem, terroremque, & metum Poëta summus his versibus eleganter expressit.

Qualis ubi ad terras abrupto sidere nimbus
It mare per medium; miseris heu præscia longè
D *Horrescunt corda agricolis; dabit ille ruinas*
Arboribus, stragemque satis; ruet omnia latè.

At litteratos homines delectat operis ipsa tractatio; excogitandis rationibus quasi ambrosiâ quadam pascuntur; cujus rei tanta dulcedo est, ut Epicurus acerbissimos, eosdemque mortiferos dolores suorum inventorum memoriâ leniverit; & Polemon voluptati nuncium remiserit Xenocratis sermonibus delinitus. Quum ergo sapientes E non aliunde quærant suum bonum, sed ex parte sui petant humanis casibus altiore; tanto eorum tranquillitas tranquillitati reliquorum antecellit, quanto sapientiæ gravitas fortunæ levitate constantior. Atque ego illud aureum sæculum a poëtis tantopere celebratum, quo Saturno Rege summa securitas, altissima pax, & quies Mortalibus dicitur contigisse, non hominibus fuisse commune, sed esse proprium sapientum existimarim. Neque enim umquam F crediderim fluxisse passim lactis rivos, & ex arboribus mella distillasse, & perpetuo vere terram floruisse, & sponte sua fructus ubertimos, & suavissimos protulisse; nec umquam fuisse tempus, quo nihil fortunæ licuerit, & omnia Mortalium felicitati obsecundarint. Sed hoc poëtarum commento significari contenderim beatissimam vivendi rationem, qua sapientes perfruuntur; qui G sub Saturno Rege vivunt, hoc est intellectu teguntur, & imperio mentis obtemperant; nam intellectus a doctissimis viris nomine Saturni est appellatus. Hi igitur, ut illi prisci finguntur Mortales, vitam colunt plenam tranquillitatis, plenam jucundissimæ quietis, plenam placidissimæ voluptatis; a qua abest ira, abest ambitio, abest superbia stultitiæ comes, ingluvies, libido, avaritia, temeritas. Sed me de sa- H pientum felicitate dicentem videntur interpellare nonnulli, qui litteratos homines aliis quidem vitiis, aut omnino carere, aut mediocriter laborare concedent; invidiam verò, & nimiam gloriæ cupiditatem effugere non posse contendent; quæ duæ perturbationes maximos possunt in eorum animis fluctus excitare; qui parum attendunt, quid & ipsi doctissimis viris tribuerint, & omnium ferè concessu tribuatur. Nam, quum sedatas esse eorum cupidita- I tes omnes consentiant, & invidiâ carere omnibus concedendum est; his enim rebus invidemus, quarum quum simus expertes, magnâ cupiditate incendimur. Et verò quibus bonis docti homines invidebunt? potentiæ? at nullam putant animi impotentis, & alieni a sapientiâ: an divitiis? at divitias non magnopere ducunt expetendas: an honoribus? at veros honores non opinione populi, sed virtutis auctoritate metiuntur: an voluptati? at K sciunt exitus esse tristes voluptatis: an corporis bonis? at bona sua non in corpore, sed in animis collocarunt. Superest ergo, ut alter alterius invideat sapientiæ; quo quid absurdius, quum sit commune bonum sapientia? neque enim, ut, qui divitias congerunt, condunt, ita suos occultant thesauros sapientes; sed in medium proferunt, tam cuivis licet eorum inventis frui, quàm illis ipsis, qui invenerunt; qui igitur tristatur aliorum sapientiâ, suis bonis L tristatur, & mæret. Quòd si quis alienæ gloriæ lumine offenditur, hunc in summis inscitiæ tenebris versari necesse est; ut, qui infirmâ sunt acie oculorum, lucem Solis intueri sine molestiâ non possunt, ita, qui animo utuntur imbecillo, nominis alieni splendore læduntur; de his autem non loquor, nec his auctoritatem sapientiæ circumdo, quorum mentis angustiæ amplitudinem sapientiæ non capiunt; qui malevoli, obtrectatores, queruli, quum se M dumtaxat ament sine rivali, ut soli sapere videantur, omne lumen virtutis extinctum volunt. Hunc sapientem describit Oratio mea, qui, quum suis bonis abundet, non livet alienis; huic si candorem animi tribuendum inter ceteras animi dotes affir-

ma-

maro, quis mentitum redarguat? nam si
A Apellem ferunt æmulos non tam arte, quàm benignitate superasse; & Protogenem sordentem suis ad summam famæ claritudinem evexisse, quum ejus opera quinquagenis talentis empturum, usurumque pro suis confirmasset; quæ fuit artificis virtus, eam sapientis esse pernegemus? quasi verò doctorum hominum exempla desint, qui ab omni obtrectatione longissimè abfuerunt. Melissus Heraclitum, quum ab Ephesiis ignoraretur, tantis laudibus vexit, ut cla-
B rissimum Heracliti nomen evaserit: Democritum Hippocrates, quum suis civibus furere videretur, tantâ auxit nominis claritate, ut non sapiens modò pro insano, sed pro sapiente sapientia diceretur: Aristippus Æschinem philosophum ita Dionysio Regi commendavit, ut insolitum, suspiciendumque spectaculum, in aulâ candorem Siciliâ sit admirata: Plato eadem æmulantium studia memoriam immortalitati scriptorum suorum mandavit: Polemon
C Xenocratis nomen semper in ore fertur habuisse, & sic ejus esse gloriâ delectatus, ut amore summi viri quodammodo insanire videretur: Virgilius aliorum sapienter inventis non minus lætatus esse fertur, quàm suis Et quid singulos colligo? Pythagoreorum tota familia numquam tantâ amicitiâ, tantâ conjunctione, tantâ concordiâ floruisset, nec tot amicorum paria in solâ Epicuri scholâ censerentur, si ulla obtrectatio, & livor inter doctissimos
D homines intercessisset. Ac ne gloriæ quidem cupiditas, quæ in altissimis animis, splendidissimisque extitit ingeniis, tranquillitatem doctorum hominum perturbarit. Neque hîc ego dicam doctissimos quosque gloriam contempsisse; quod ni ita esset, numquam Homerus in tot millibus versuum nomen suum, Patriæque siluisset; & divina ingenii monumenta indigesta, dissipata, in exiguas discerpta partes reliquisset; nec Democritus, quum Athenas ve-
E nisset, gloriatus esset sese in illo ingeniorum Theatro latuisse; nec Pythagoras, quum divitias orationis, & arcanæ sapientiæ thesauros possideret, nihil umquam edidisset; quod consilium fuit omnium veterum philosophorum; quum Alcmæon princeps dicatur librum divulgasse; nec Epaminondas doctissimus, fortissimusque Thebanorum usque ad annum quadragesimum ætatis in summâ obscuritate vixisset; nec Epicurus præcepisset vitæ silentium gloriæ anteponendum. Sed hæc, & alia mul-
F ta, quæ possent afferri, bonitati causæ confisus exempla prætermitto, nolo omnia ad vivum resecare; concedam inesse aliquam doctis hominibus gloriæ cupiditatem; sed eam quieti, qua perfruuntur alioquin perniciem afferre pernegabo; nam quibus re-

bus gloria comparatur, eæ positæ sunt in sapientum potestate. Angebatur Cæsar, G quòd ætate jam firmatâ nihil ferè præclare gessisset, quum ad summam nominis claritatem niteretur, & jure angebatur; nisi enim fortuna votis annuisset, numquam esset tantam rei militaris gloriam consequutus; at vivere eleganter, excogitare multa sapienter, cogitata eloquenter exponere non sunt fortunæ dona, sed ingenii, quo abundant sapientes. Quare sequitur eos gloria etiam aliud cogitantes, plerumque major, quàm ipsi putavissent; er- H go, quum aliud agentibus hæc qualiscumque cupiditas expleatur, non habet ea sollicitos, non trepidos, non anxios, non inquietos. Quæ quum ita sint, Adolescentes (vos enim extrema jam appellat Oratio) equidem non laboro, quomodo possim vestras mentes ad studia litterarum incitare; ipsa res abunde vos cohortabitur. Cogitate, quantum sit animi tranquillitas bonum, quàm expetendi quies, quàm otium exoptandum; non divitiæ, non po- I tentia, non honores, non dignitates, non gloria, non triumphi sunt cum felicitate, qua fruitur animus tranquillus, & curis vacuus, comparandi. Augustus Imperio terrarum potitus, perduellibus profligatis, tot præclarissimis triumphis actis, perdomitis ferocissimis nationibus, Orbe pacato, maximam secundum Deorum opes potentiam adeptus his omnibus anteposuit tranquillitatem; quàm sibi deesse frequenter conquestus, nisi publicam quietem suæ præ- K posuisset, Imperium resignasset, ut otio, quod Mortalibus fecerat, frueretur. Quod autem Augustus cogitarat, Diocletianus privatam vitam triumphis, & opibus, & honoribus, & gloriæ, & altissimæ fortunæ prætulit, & otiosus maluit servire cum ceteris, quàm occupatus omnibus imperare. Nec sane judicium maximi Principis reprehendendum; nam animi tranquillitas, quam ille appetivit, aut ipsa felicitas est; quod doctissimis viris video placuisse, aut L felicitati proxima. Atque utinam possim, Auditores, tranquillitatis bona, pro rei dignitate satis luculenter explicare; efficerem profectò, ut quoniam a litteris petendam esse demonstravi, litteras omnibus anteponendas putaretis. Sed quando animi bona melius experiundo cognoscuntur, quàm exprimuntur eloquendo; utar imagine quadam ad id, quod volo, explicandum accommodatâ. Concipite animo Rempublicam discordiis civilibus agitatam, &, ne quid perturbationis desit, externis etiam M bellis involutam; quid eâ fœdius? trepidi cives, mœsta curia, silens forum, justitium indictum bonis artibus, oppressæ virtutes, *jus datum sceleri*, exulante justitiâ, crudelitate dominante, permissâ libidini licentiâ,

tiâ, jam agri devastati, excisa oppida, fu-
A mantes villæ, ubique terror, ubique lu-
ctus, ubique trepidatio, fames, inopia, ci-
vium proscriptiones, fuga, vastitas, & ex-
tremum malorum insolens victoris domi-
natus nonne afflictæ civilibus, & externis
bellis impendent civitati? Contra verò,
quàm huic dissimilis Respublica, in qua
pax vigeat, & civium concordia? omnia
hic legibus temperantur; mos, & Majorum
disciplina servatur; florent artes, florent
studia, florent virtutes, justitia dominatur,
B tranquilla securitas, lætum otium, affluen-
tes opes omnes beant; fortuna urbis, & læ-
titia ludis, & spectaculis publicis, & ma-
gnificentiâ civium declaratur; nitent op-
pida, ipsa pacis bonis terra lætatur; fru-
giferis arboribus consiti, & vestiri viribus
colles, frugibus abundantes campi, amœ-
nis ornatæ nemoribus villæ pulcherrimum
spectaculum præbent. Quod est urbibus
bellum, & discordia, idem animis pertur-
batio; quod est Rebuspublicis pax, & con-
C cordia, idem privatis otium, & tranquilli-
tas. Perturbato animo nihil miserius, ni-
hil tetrius, nihil perversius; pars nostri di-
vinior turpissimam perfert servitutem, quæ
servitio nata est, dominatur; exterminan-
tur virtutes, regnant cupiditates, distrahi-
tur animus in curas, affligitur, diripitur,
differtur, lancinatur; idem, tranquillus
& virtutibus floret, & vitiorum servitio li-
beratur, & honestissimâ voluptate perfun-
ditur, & clarissimâ luce mentis illustratur.
D Ad hæc divina bona vos, Adolescentes,
voco, quum ad studia litterarum voco.
Excitate vos ad cultum præstantissimæ par-
tis; in eâ portum curarum, metam labo-
rum, perturbationum remedium, gaudium,
lætitiam, pacem, tranquillitatem reperie-
tis. Confugite in sinum Musarum; eæ ad
omnem humanitatem, mansuetudinem,
moderationem, lenitatem, virtutem ani-
mum fingent, & conformabunt. Quod si
urbes, & nationes totæ magnis impensis,
magnis periculis, magnis etiam cladibus
petunt, quanto magis vobis exiguo labore
petendum est otium cum dignitate?



ORATIO XII.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1688.

In solemni instauratione Studiorum.



DE NUPTIIS SEREN. FERDINANDI Principis Etruriæ, & SERENISS. VIOLANTIS BEATRICIS Vindelicorum Principis

Sereniss. MASSIMILIANI Vindeliciæ Ducis, & Sac. Rom. Imperii Septemviri Sororis.

ETsi ratio mei muneris postulare
videtur, Auditores ornatissimi, E
ut hoc auspice studiorum die de
studiis litterarum verba faciam;
& eorum amplitudine, suavitate,
commodis proponendis, adolescentes ad
hoc, quod ingrediuntur, laudis curricu-
lum strenuè conficiendum adhorter; spes
tamen Domus regnatricis nuptiis floren-
tissimi Juvenis propagandæ, populorum vo-
ta, Italiæ plausus, Etruriæ gestientis gau-
dium ita blandiuntur animo lætitiæ magni-
tudinem vix continenti, ut in hac unâ cu- F
râ defixus alias omittere, & ad publicam
felicitatem Orationem quoque meam co-
gar accommodare. Atque illud inprimis mi-
hi lætandum jure esse video, quod quum
de usitatâ viâ deflectendum fortuna gauden-
tis Reipublicæ, studiumque meum suadeat,
hujusmodi argumentum proponitur, quo
persequendo mea dictio & communi ci-
vium lætitiæ, & plausibus consonabit, &
a pristinâ ratione dicendi meâ non abhor-
rebit. Laudes enim augustæ Medicûm fa- G
miliæ, quas meditor in his nuptiis cele-
brandis attingere, conjunctæ sunt, & co-
hærent cum laudibus litterarum, quas ve-
tere instituto jubeor prædicare. Nam
quum omnium artium laudatarum, quæ
multa sæcula extinctæ Barbarorum armis,
& consepultæ in tenebris, & situ, & an-
tiquitatis miserandâ strage jacuerant, initia,
& incrementa Mediceæ gentis Heroibus
ex magnâ parte debeantur; certè laudan-
dis auctoribus ipsorum beneficio quasi re- H
natæ facultates laudantur. Et quemadmo-
dum, qui Romulum Urbis conditorem lau-
dibus vehit, ipsam Romam quodammodo
laudibus ferre censetur; & qui Mercu-
rium palæstræ, Apollinem Musicæ, Æscu-
lapium Medicinæ repertores laudat, ipsi pa-
læstræ, ipsique Musicæ, & Medicinæ non-
nihil

nihil afferre splendoris, & ornamenti videtur; quòd inventorum gloria ad laudem rerum inventarum pertinet; ita qui Mediceæ gentis Heroës ornat, ipsas præclaras artes, ipsamqoe ornat sapientiam; hi quippe & artium, & sapientiæ conditores, & quasi numina quædam extiterunt. Atque ita connexus est cum splendore clarissimi generis splendor litterarum, ut vicissim celebrare litteras nemo possit, quin eadem operâ Medicûm laudes persequi videatur; quorum munere ab interitu vindicata, & aucta est omnis artis amplitudo, omnisque doctrinæ. Quare neque hodierno die tempos opportunius; neque locus ullus aptior ad dicendom de heroicâ, ac pæne divinâ stirpe Regûm Etruscorum; quàm hic, qui celebrandis laudibus litterarum est dedicatus. Nuptiæ verò Ferdinandi Principis juventutis, qoæ nobis hanc ingeniorum altricem, nobilissimarom facultatum parentem, sapientiæ cultricem domum spondent fore sempiternam; quibus admonemur florere, sospitari, beatam esse gentem, qoa vigente, ac felici interitum litterarum, aut calamitatem ullam timere non possumus; nonne incitamento esse debent ad ingenoas artes acriori studio, ac majore animo, quàm antea expessendas? Non igitur officio meo desum studiosos juvenes adhortandi, non sapientiæ pro virili parte rollendæ moneri desum, quum domus Etruscæ magnitudinem laudibus effero; quæ declarat, in quàm alto fastigio culta sapientia, & ornatæ nobiles disciplinæ possint homines collocare. Quid verò magis aptum, faustum, lætum, auspicatum, quàm studia vertentis anni a laudibus tantorum Principum inchoari; & dum hoc sapientiæ theatrum aperitur, his nuptiis primùm plaudi, in qoibus pronubam sapientiam esse, & Apollinem, & Musas Hymenæom canere, ut in noptiis Deorum fertur, conveniret?

Atque utinam mihi tantus orationis nitor, tam divina dicendi facultas, eloquii tanta vis, tantaque copia contigisset; ut digna hujus amplitudine loci, digna Medicûm divinâ stirpe, digna Regalium splendore noptiarum mea dictio videretur! Sed hoc ego tenuitatem meam consolabor, quòd, quum de Etruscâ dumo propter ejus celsitudinem, eximiamque dignitatem dignè nemo dixerit, in eorum innumerabili, eaque non obscurâ turbâ, qui tantas laudes non sunt assequuti, me qooque numerari non pudeat. Nam quæ Medicûm genti par oratio potest inveniri? nec mihi consilium est excutere vetustatem, & antiquas inclytæ famâ gentis origines indagare; non ea est Medicûm claritudo, ut ab oscurâ ob vetustatem gloriâ obsolescentem quemdam splendorem debeat mutuari. Est ita naturâ comparatum, ut rerum admiratione dignarum lateanr plerumque primordia, quæ aliquando solet & clararum urbium origines, & magnorum fluminum fontes occultare; ad majestatem tanti nominis pertinet principia ignorari, ut excellum quiddam, augustum, majus mortali fastigio suspicari possimus. Nam si ex his, quæ fando audivimus, incognita, & caligine qoadam condita vetustatis conjecturâ consequi licet, cujus gentis originem prope consecrare, & ad heroës auctores referre magis par est, quàm ejus, cui perpetuam, insitam, propriam heroicam virtutem fuisse cernimus? Quot enim illa viros, quanto splendore, quàm divinâ sapientiâ, quàm admirabili magnitudine animi procreavit? quæ non, ot ceteræ fortunæ quodam turbine, sed meritis eximiis, & immortalibus principatum adepta est, & imperio digna est visa, antequam imperaret. Nec brevi experimento compertum est, hanc esse altissimæ fortunæ parem; multis ætatibus cognitum est, nihil esse in rebus humanis exaggeratum, altum, sublime, splendidum, quod Medicûm virtutibus non deberetur; in asperrimis rerum; in secundis, in pace, in bello Regum majestatem privata virtus adæquavit; nec adversitate fortunæ depressa, nec prosperitate corrupta est. Gloriari licet nullum umquam populum in legendâ gente regnaturâ cautiorem fuisse, quàm nostrum. Propter nonnullas Pisistrati virtutes passa est Atheniensiom civitas Pisistratidas imperare: Gelonis fraudibus deceptæ Syracosæ libertatem amiserunt: Julii Cæsaris virtus causa fuit, ut & ipse plerisque Romanorum volentibus Imperium obtineret, & Juliæ genti diu populos ille dominus rerum, sponte pareret; Medicûm verò genti antequam Patriæ Regnum deferretur, innumerabiles Heroës omni regiâ virtute præditi floruerunt. Sed immensum est omnes viros, qui Etruriæ principem domum gloriâ in Cœlum extulerunt, recensere; quis tamen virtutis admirator indictum velit Cosmum illum decreto publico Patriæ Patrem appellatum? quem divinâ providentiâ in eâ urbe natom esse constat, quæ maximè omnium semper acerrimis ingeniis abundavit; ut his sovendis, ornandis, alendis intermortuas litteras excitaret; additæ sunt viro ejusdem consilio Numinis ingentes opes, quibus ad Regum fortunam proximè accederet, & quod Reges neglexerant, & negligebant, bonas artes instauraret; addita auctoritas, qua Mortalium nemo potuit cum eo comparari; additum acerrimum judicium, quo quantum esset in quoque facultatis, & ingenii ad sapientiæ studium celebrandum, promovendumque dignosceret. Quibus ille Dei muneribus fretus rem sæculis omnibus inauditam, inten-

tentatamque perfecit; ut ars esset nulla, quæ A homine libero digna censeretur, quin ab eo ad vitam extincta revocaretur, aut lumen, incrementumque susciperet. Neque ego hæc ornandi viri causâ ignota profero, & incerta pro certis affirmo; testem cito cunctam Europam, testes omnes prope nationes, omnesque scriptores, testes clarissimos viros, qui ex ejus domo litterarum Principes, tamquam ex equo Trojano Grajorum proceres, prodierunt; qui ab eo bonas artes restitutas, & a barbarie sæculum B vindicatum unâ voce consentiunt. Deus immortalis! potest ne quidquam dici magnificentius excelsius, admirabilius, quàm ab uno homine sapientiam non afflictam, sed prorsus eversam, præclaras disciplinas non jacentes, sed intermortuas, eloquii splendorem non obscuratum, sed extinctum revocatum esse, & in antiquam dignitatem, nitoremque restitutum? Quo ore te laudem, aut quid omnino loquar, & quo nomine appellem te, Cosme, nescio; C non est hoc tuum mortale factum, non humanum consilium. Veteres illi, qui singulas artes licèt ignobiles, & minùs liberales in lucem protulissent, eos opinione, & famâ in Cœlum sustulerunt, & divinis honoribus consecrarunt; ita Minervam textrinæ, Vulcanum fabricæ, Cererem agriculturæ inventricem templis, & aris auxit antiquitas, & omnium gentium consensu Deos appellavit; tuo munere non una, eaque servilis facultas, sed D omnes artes liberales, atque ipsa regina Mortalium eloquentia, ipsa domina rerum, & artium mater, princepsque sapientia, quæ aut inter Mortales esse desierat, aut parum colebatur, e tenebris erutæ, & cœptæ sunt celebrari; & te auctorem tanti muneris non supra omnes homines efferemus, & non quantum piè possumus divinâ stirpe natum prædicabimus? Hieronem Siciliæ Regem, quòd ejus aula doctis viris patuerit, laudibus ferunt: in- E ter Archelai Macedoniæ Regis egregias artes, & immortalitate dignissimas, quibus auxit Regnum, & Posteris tam validum reliquit, ut ex eo profectus Alexander Orbem terrarum pæne subegerit universum, liberalitas in poëtas recensetur, & Euripidi auctori summo tragœdiarum familiaris fuisse dicitur: nec in postremis Alexandri Magni laudibus ponitur, quòd litteratos homines benignè fuerit complexus, & eorum sermonibus delectatus: Augustus, F quem vivum, præsentemque conditis aris, templisque Romani coluerunt, licèt ingentibus bellis gestis, licèt hostibus toties triumphatis, terrarum Orbe pacato, egregiè Republicâ constitutâ clarissimus; tamen hac laude potissimùm eminet, & præ ceteris prædicatur, quòd litteras foverit, quòd ejus beneficio nobiles artes, & liberalitate floruerint. Sed, ut de aliis interim G sileam, quos nominavi, pace dixerim tanti Principis, si fulgore nominum, & altitudine Romanæ fortunæ detractis, rem ipsam perpendere, & nudam veritatem intueri licet, Augustus nullo modo est cum Cosmo comparandus. Nam ille nixus Romanâ potentiâ nihil aliud præstitit, quàm ut bonas artes Reipublicæ libertate florentes in Imperio conservaret; hic privatus, privatus, inquam, non opibus Orbis terrarum, sed suis, non conservavit, sed pe- H perit; non florentes accepit, sed reliquit; non aluit, sed ab Inferis litteras excitavit: illi sæculum sapientiæ luce clarissimum caliginem, quam solet altitudo fortunæ afferre, discussit; hic sæculo profundis inscitiæ tenebris involuto splendorem attulit sempiternum. Atque hunc verum dixeris Prometheum, qui divinâ providentiâ non ignem a Sole raptum artium administrum, sed e mente suâ promptum lumen artium laudatarum, lumen elegantiæ, I lumen sapientiæ excitarit, attuleritque Mortalibus. Quæ gloria quò major esset, proposuit summo viro magnum cum Barbaris fortuna certamen; nam quo tempore Italiam, atque adeo cunctam Europam a barbarie Cosmus vindicabat, Immanissimus Turcarum Tyrannus in Asiam universam, & Græciam barbararum gentium colluvionem invehebat; & omnes reliquias vetustatis, omnia sapientum monimenta excindere moliebatur; duo eversa Imperia, K duodecim capta Regna Christianorum, ducentæ urbes expugnatæ. Hac tantâ clade terrarum spes omnis, & fortuna Reipublicæ litterariæ occidisset, Græciâ omni, ubi scintillæ quædam sapientiæ, & ut ita dicam, semivivum lumen eloquentiæ supererant, in Barbarorum potestatem redactâ, nisi lucem Cosmus afflictis rebus attulisset. Ille vetustos codices barbaræ gentis injuriâ perituros Byzantio usque in Etruriam advectos publicavit: ille Grajos ad insti- L tuendam Græcis litteris Etruscam juventutem accersivit: ille doctis viris barbariem, quasi calamitosam quamdam nubem, sese Europæ superfundentem fugientibus & stabilem, certamque sedem præbuit, & acerbissimæ fugæ solatia non pænitenda. Nec sensit litteratorum Respublica amissæ Græciæ damnum, quum Athenæ Florentiam commigrassent; & fuit potentior Cosmus, qui pari jure cum ceteris civibus censebatur, in bonis artibus restituendis, M quàm innumerarum gentium succinctus copiis Barbarus in evertendis. Nam Barbarus non florentem studiis Græciam, sed rudem, & pæne omnis oblitam disciplinæ inductâ barbarie penitus efferavit; Cosmus non modò reliquias priscæ sapientiæ ab illo op-

lo oppressas conservavit, sed fovit, auxit,
A ornavit, & pristinam speciem recuperare,
nitoremque coëgit: Barbarus in exiguâ Eu-
ropæ parte interitum litteris prope jam se-
nio confectis, & vetustate labefactatis at-
tulit; Cosmus in Europam ferè univer-
sam reviviscentium suo munere nobilissi-
marum facultatum lumen diffudit. Vicit
ergo Cosmus privatus Tyrannum Asiæ,
Europæque victorem; & victoriæ fructus
est, quem non ad breve tempus Orbis ter-
rarum, sed multis jam sæculis percepit,
B porroque percipiet Italia, & ceteræ pro-
vinciæ omni humanitate perpolitæ. Huic
Posteri debent, quòd non in rerum maxi-
marum ignoratione versantur; debent do-
cti viri, quòd ceteris gloriâ, & ingenii do-
tibus præstantissimis antecellunt; debent
duces, quòd eorum res præclarè gestæ ma-
ximo verborum, & sententiarum splendo-
re celebrantur; debet Italia, aliæque pro-
vinciæ, quòd splendidissimis ædificiis exur-
gunt, pulcherrimis ornamentis nitent.
C Nam ab eo nobiles architecti, & sculpto-
res, & statuarii, pictoresque ad summam
artis præstantiam quærendam sunt præmiis
invitati; quem morem & Posteri ejus re-
tinentes, & Patriam pulcherrimam urbium
effecerunt, & Italiam universam, & Euro-
pam mirabiliter exornarunt. Sed cum om-
nes plurimùm debent, tum illi sapientiæ
principes, & eloquentiæ, quorum moni-
menta tenebris damnata sempiternis ab o-
blivione, & interitu vindicavit; qui im-
D mortalitatem, quam scriptis meruerant, e-
jus beneficio sunt assequuti. Atque uti-
nam illi reviviscerent eloquentium pro-
ceres, ut vindicem suum, ut parentem me-
ritis laudibus prædicarent! Eorum certè
eloquentiâ esses, Cosme, celebrandus, quo-
rum ingeniis æternam vitam, æternamque
gloriam peperisti; fortasse quum omnes
Græci, omnesque Latini ad tuas virtutes
canendas conspirassent, dignum aliquid di-
vinis tuis, & immortalibus meritis protu-
E lissent; nobis infirmum ingenium ad par-
tem aliquam tantarum laudum attingen-
dam. Nam qua dicendi facultate assequi
possumus tuam illam animi moderationem,
qua, quum esses non modò civium, sed &
omnium tuæ ætatis Mortalium omni vir-
tute princeps, non insolentiùs te effere-
bas, non prospero fortunæ flatu ferebaris;
sed pari jure cum civibus agebas, & altis-
simum fastigium tantæ virtutis legibus, &
Patriæ liberæ submittebas? Quo ore cele-
F bremus beneficentiam in cives, qua in-
genti opum vi profusâ omnes indigentes
opis, auxiliique tui sublevasti; regalem in
Patriam munificentiam, qua difficillimis
Reipublicæ temporibus tuæ civitati subve-
nisti, urbemque pulcherrimam magnifi-
centissimè extructis publicis ædificiis de-

corasti; pietatem in Deum, qua tot, ac
tam splendida templa construxisti; quæ G
non potuit Italiæ finibus contineri, ubi
tam clara ejus monumenta cernuntur; sed
Italiam quoque egressa in Asiam sese dif-
fudit, & in urbe Dei vestigiis consecratâ
recipiendis, alendisque iis, qui ad invi-
sendum, adorandumque Christi Liberato-
ris immortale monumentum proficisceren-
tur, extruxit domum, & latissimi agri pro-
ventibus locupletavit? Quis hoc umquam
non modò privatus, sed Rex potentissimus,
non dico, effecit, sed cogitavit ab occasu H
Solis ad ortum suæ pietatis, & liberalitatis
dexteram protendere, & in regione bar-
barâ, & inhospitali hospitalem munificen-
tiam exercere? satis illi commendantur,
quorum domus hospitibus liberaliter, &
perbenignè patet. Hac laude præstantem
Cimonem Atheniensem, hac Agrigenti-
num Gilliam Græci mirificè prædicarunt;
sed, ut in extremis terrarum oris humani-
ter omnes exciperentur, unius Cosmi li-
beralitate, quam Europa non capiebat, ef- I
fectum est; at quanto cum pietatis Chri-
stianæ bono! Antea quàm sacram illam, ac
venerabilem urbem venerari constituissent,
post tot exantlatos labores, post immensum
terrarum spatium peragratum, post exhau-
sta maris, ac terræ pericula locum, in quo
consisterent, non habebant, & alimenta
quomodo expedirent, inter osores nomi-
nis Christiani vix reperiebant; tunc bene-
ficio Cosmi tamquam in domo propriâ ver-
sari licuit, & afflictas longitudine viarum, K
& incommodo vires recreare, & in unam
curam animum expiandi, & ad divinum
convertendi Numen incumbere. Quàm
multos putatis exemplo tantæ pietatis in-
citatos, vel Cosmi liberalitate invitatos
iter illud salutare suscepisse; quum ere-
ptum quodammodo Barbaris Christi Sepul-
crum videretur; quando qui ipsum invise-
rent, tam humano hospitio, tam pio exci-
piebantur? Jam prudentiam tanti viri ve-
nerabundo potiùs, & attonito quodam si- L
lentio, quàm ullâ dicendi copiâ prosequen-
dam censeo; quam unam Cosmi virtutem
eâ tempestate admiratione defixisse Morta-
les puto. Quod enim tam certum oracu-
lum est umquam habitum, quàm in expli-
cando consilio Cosmi sapientia? cujus rei,
quum multa, atque præclara argumenta af-
ferre possimus; ne vos pluribus oneremus,
unum, quod est mirandum maximè, & sin-
gulare, proferemus. Animadvertunt rerum
gestarum periti, dissidentium, inter seque M
bellantium Principum ad quorum partes
sese Cosmus adjunxisset, quos consilio ju-
visset, quorum opes fovisset, eos prospe-
ros rerum eventus habuisse, & de hostibus
magnificè triumphasse; tantum fuit in
Cosmi prudentiâ momentum, ut opes,
exer-

exercitus, classes eâ præponderarentur. A Critolaus philosophus non ignobilis, ut quanti esset facienda virtus, & quàm immenso intervallo præstaret ceteris bonis, ostenderet, affirmavit; si in alterâ libræ lance ponatur, quidquid est aut in corpore, aut in fortunâ expetendum, in alterâ dumtaxat una virtus, eam maria, ac terras esse depressuram. Quod est de omni virtute a philosopho dictum, id de unâ Cosmi prudentiâ possumus affirmare; ad quamcumque se illa partem applicuisset, tantum B ponderis habuisse, ut omnia statim inclinaret, & imperia, dignitas, amplitudo, fortuna, bellica virtus, copiæ militares ab eâ traherentur. Et miramur hunc virum tantùm auctoritate valuisse, ut Reges ipsos famâ, & splendore quodam nominis privatus adæquaret? ego potiùs mirer non omnibus imperasse Mortalibus, quum tam claris documentis appareret ejus prudentiam tantopere his, quibus consuleret, profuturam. Quamquam, si verè a sapientissimis C viris dicitur tunc esse dumtaxat verum, justum, ac legitimum imperium, quum, qui imperat, sapientiâ ceteris præstat, & utilia sponte parentibus præcipit; quis neget Cosmum Regibus, nedum privatis, imperasse, quum ejus consilio principes civitatum, Regesque parerent? O dignum imperio virum, qui, quum suos cives liberos esse pateretur, tyrannis, & Regibus leges dabat, eosque obnoxios habebat suæ voluntati! Quam Cosmi virtutem reputanti D Cosmi potentiam, & facta quædam, quæ per se magna, & admirabilia viderentur, minùs mirari subit. Nam potentissimum Britanniæ Regem Edoardum ejectum Regno Cosmi opibus adjutum, devictis hostibus in avitum Regnum magnâ cum laude restitutum; Insubrum Ducem ab opulentissimâ Venetorum Republicâ, & Neapolitano Rege atrocissimo bello oppugnatum, jamjam nutantem, & ruinâ suâ tracturum Italiæ libertatem, Cosmi auxilio sustentatum, & E imperium adeptum, & formidabiles hostium conatus mirâ felicitate repressisse, cui non esse mirandum videatur? sed cogitanti Cosmi prudentiam solam tantùm valuisse, ut, qui ejus consilio regerentur, adversos fortunæ casus non pertimescerent, causa admirandi non erit, si quos non solùm consilio, sed etiam opibus juvisset, extra omnem aleam periculorum essent quodammodo collocati. O dominam rerum virtutem, quæ fortunam haberet in suâ F potestate! o divinum consilium, quod in maximis rebus decipi numquam est deprehensum! Sed quid ego tamdiu in unius viri commemorandâ virtute versor? quasi verò non alii Mediceæ gentis heroës dicendi supersint; quibus neque immatura mors impedimento fuit, quominus memoriam sui nominis immortalem relinquerent; G neque adversitas fortunæ, quominus ad summam virtutis gloriam efflorescerent; neque imbecillitas virium, quominus mentis invicto robore immanes adversariorum impetus retunderent. Sed, quum undique sese mihi offerant Mediceæ gentis lumina, quæ mentis aciem perstringunt, & ad suas laudes celebrandas invitant, animum ad se se præcipuè rapit Laurentius ille magnus, ille Regibus venerandus, & Superis acceptissimus, divini Numinis munere Mortalibus datus; quò reviviscentes Cosmi H beneficio litteras, & nobiles facultates ad absolutam præstantiam, perfectionemque proveheret, & in altissimo laudis, & dignitatis gradu collocaret. Nec mirum tantum doctrinæ splendorem attulisse; quum ipse, qui prudentiâ, magnitudine animi, liberalitate, fortunâ, auctoritate, clementiâ Italiæ splendor esset, doctissimus haberetur. Exemplo scilicet non minùs, quàm præmiis ingeniosos homines incitabat; quum viderent ipsum in tantâ rerum mole, quum I Reipublicæ administrandæ, & librandæ Italorum Principum potentiæ, & concordiæ tuendæ, & ab Italiâ exteros hostes arcendi curis ingentibus distineretur, multum operæ, multum temporis in studiis consumere. Huc accessit acerrimum judicium, quo aptissimum quemque seligeret, & ad colenda artium præclararum studia liberalitate planè regiâ invitaret. Itaque adnotatum est ex magno agmine eorum, qui sub Laurentis umbrâ in spem K præstantissimæ laudis alti fuerant, & educati, neminem extitisse, qui non ad excellentissimam artis gloriam pervenerit. His autem quum sese adjungeret & regalis munificentia, & prolixus in doctos homines, artificesque præclaros favor, & honores habiti litteris, & studium vetustos codices comparandi, & antiquitatis reliquias, & ut ita dicam, pretiosa naufragia colligendi, & undique claros doctrinâ viros accersendi, in omni laudabili facultate tam multi, & L tam præstanti scientiâ floruerunt; ut sæculo illi nihil ad summam eruditionis, & elegantiæ laudem deesse videretur. Cujus rei tu mihi testis, Florentia urbium elegantissima; semper tu quidem fuisti felicium ingeniorum proventu beatissima, numquam tamen, quàm Laurentii auspiciis beatior. Quot enim viros, & quàm excellenti in studiis gloriâ procreasti? quot aluisti? quot ad te, velut ad præclarissimum ingenuarum artium seminarium, & sapientiæ Regiam M venientes excepisti? Sed illud tibi maximè optandum, & gloriosum contigit, quòd in tuo sinu vidisti Platonis divinam sapientiam renascentem. Nam, quòd Cosmus inchoarat, Laurentii virtute perfectum est, ut admirabilis ille splendor philosopho-

rum,

rum, ejusque sectatores e tenebris eruti
A cæcas, & cœlestium inanes hominum men-
tes illustrarent; & sacer ille ex Academiâ
Cycnus, quum e gremio Laurentii evo-
lasset, Orbem terrarum suavissimâ, & im-
mortali voce compleret. Debuit nimirum
divinus Plato divini viri beneficio quo-
dammodo reviviscere, & nostræ immorta-
litatis assertor ab eo, qui maximè omnium
immortalitatem spectabat, hac vitâ dona-
ri, qua in memoriâ vivimus Posterorum.
Nec verò Platonem Laurentius in lucem
B protulit, sed non & moribus, & vitâ præ-
cepta Platonis, & sapientiam expressit; im-
mo verò certiùs nemo principis philoso-
phi dicta affirmavit, quum, qui Reipubli-
cæ summâ eum gloriâ præesset, legitimè
philosopharetur. Nam in eo tanta elemen-
tia, ut in beneficii loco poneret sibi occa-
sionem dari ignoscendi, & iis gratias age-
ret, quibus monentibus, acerbissimis ini-
micis pepercisset. Quamquam nec moni-
torum, nec hortatorum Laurentii mansue-
C tudo indigebat; sua sponte miseris occur-
rebat. Quoties illum scimus in patris vi-
ctoriâ patris iræ moderatum veniam victis
impetrasse? quoties in suâ nobilissimos ci-
ves ab eo conservatos, & acerrimos ini-
micos in Patriam restitutos? Jam pietas,
& religio a teneris unguiculis culta, quo-
minus illustris esset apud Posteros nec præ-
senti invidiâ, nec malevolorum scriptis
mordacissimis potuit obscurari. Jam con-
tinentiam in tantâ potestate, in ingenii
D summâ celeritate consilii maturitatem, in
tam multiplici varietate fortunæ magnitu-
dinem animi semper inconcussam, sapien-
tiam non fortunæ rationem submittentem,
sed fortunam ratione moderantem, comi-
tatem gravitati non officientem, sed gra-
vitatis temperamento jucundiorem, mo-
destiam in magnâ potentiâ Patriæ liberæ
semper, & magistratibus obsequentem;
magnificentiam non in luxu, & opibus
profundendis, sed in hominibus demeren-
E dis eminentem quis dignè laudibus possit
efferre, aut tacitâ veneratione satis admi-
rari? Certè his virtutibus Laurentius ad-
mirationem non modò civium, sed & ex-
terorum, & totius Orbis terrarum excita-
vit; neminem umquam in liberâ civitate
tam acceptum fuisse plebi, tam gratum Pa-
tribus, tam nobilitati, quæ modò rectè de
Republicâ sentiret, probatum ferunt; ne-
minem summis juxta, atque infimis æquè
amabilem, venerabilemque sese præstitisse.
F Qui consensus amoris in eum, qui in li-
berâ civitate rerum potiretur, cui non ad-
mirabilis, & ab excellentissimâ virtute pro-
fectus videatur? Sed si quis reputet homi-
nem, qui hostili odio imbutus ad res no-
vas in Etruriâ moliendas ab hostibus missus
Legati specie venerat, adeo Laurentii co-
mitate, & virtutibus in uno congressu de-
linitum, ut inimicum animum deponeret, G
& a patrandâ Laurentii cæde abhorreret,
minùs mirabitur cives in eo amando, su-
spiciendoque tantâ conspiratione volunta-
tum consensisse; exteri verò admiratione
tantarum virtutum stupefacti quo longiùs
aberant ab invidiâ, eo vehementiùs in ejus
amorem, cultumque ferebantur. Et quid
de populis Italiæ dicam, qui Laurentium
Imperio Orbis terrarum dignum uno ore
prædicabant? ipsi Barbari, quibus ignota
species veræ magnitudinis, magnitudine H
viri movebantur. Ægyptiorum ergo po-
tentissimum Regem misisse cum splendi-
dissimis donis oratores ad Laurentium ejus
gloriâ commotum, in ejus amicitiâ ma-
gnum putantem Regno suo præsidium con-
stitutum scriptores inprimis graves memo-
riæ prodiderunt; quod nemini privato de-
cus arbitror contigisse. Vix Barbarorum
superbia pari fastigio Reges, aut etiam al-
tiore colendos donis, & legatis ambiendos
existimat, nedum homini privato fasces I
quodammodo submittere non dedignetur;
quod obsequium quum Rex barbarus, qui
florentissimo Regno, ac tot provinciis im-
perabat, Laurentio præstiterit, nonne vi-
detur Laurentium virtus supra homines,
supraque Reges extulisse? Verumtamen il-
le quamvis Barbarus, quamvis ingenti sub-
nixus potentiâ, non tamen insensus cla-
rissimo viro hostili in ipsum odio fereba-
tur. Ferdinandum verò Neapolitanum Re-
gem, qui incensus irâ ad evertendas Lau- K
rentii opes cum Summo Pontifice conspi-
rarat, nonne ejus congressu delinitum, e-
loquentiâ permulsum, rationibus victum
iram, & belli consilia posuisse accepimus?
quod iter ad inimicum Regem summus il-
le vir sponte suscepit, ut suo periculo Pa-
triam maximis circumventam periculis li-
beraret. In quo quid priùs mirer? pieta-
temne inimico homini, & externæ fidei,
ut Patriæ laboranti subveniret, sponte se
committentis? an animi magnitudinem om- L
nia suæ civitatis, & sui præsidia in se, &
prudentiâ suâ collocantis? an conficiendi
negotii dexteritatem, qua Regem suis re-
bus infestum, & ingentem irarum molem
animo volventem placavit, & a societate
Pontificis alienavit, & ad suam causam tra-
duxit? Itaque tantum fuit in Laurentii vir-
tute momentum, ut is aptior esset ora-
tor ad Regis animum leniendum, cui Rex
irascebatur, quàm alii omnes, quibuscum
aut amicitia, aut nullæ simultatis causæ Re- M
gi intercedebant. Sedatam Xenophontis
oratione militum seditionem ad diripien-
dum, excindendumque Byzantium inflam-
matam, & jam ruentem miramur; sed vul-
gus levi momento huc illuc impellitur, &
sæpe gravis pietate viri aspectu ipso a sce-
lere

lere deterretur; quanto magis admirandus A Laurentius, cui Rex inimicus e constanti sententiâ dimovendus; & a bello, quod non impetu animi, sed ratione susceperat, erat deterrendus, avertendusque a societate maximi Principis, quem Regibus ipsis venerandum cum humana, tum divina jura faciebant; ille denique erat auctoritate privati civis commovendus, qui propter fortunam regiam, & opinionem quamdam sapientiæ omnes homines infra se positos arbitrabatur? Africanum superiorem B celebrant, quòd Syphacis Numidarum opulentissimi Regis animum, quum ad eum venisset, & hospitio regali esset exceptus, adeo sibi devinxerit, ut ad feriendum cum Romanis fœdus impelleret; sed ille ad Regem nec sibi, nec Romanis iratum veniebat; veniebat adversus Carthaginienses antiquos Regis hostes, novos socios, numquam fidos, quorum felicitati Syphax maximè invidebat; Laurentius ad eum, qui non suæ modò civitati, verùm etiam sibi magnopere C succensebat; qui nihil habebat causæ, cur a societate Pontificis descisceret, & novam Florentini populi gratiam amicitiæ veteri Maximi Principis præoptaret; quum autem in tantâ difficultate rerum Laurentius idem, quod Scipio, fuerit consequutus, quis neget Laurentium Scipioni hoc quidem nomine anteponendum? Sed mirabilior fuit Laurentii virtus in referendâ Regi gratiâ, quàm in hoste placando; quum enim Ferdinandus amisso exerci- D tu, Regni Principibus rebellantibus, popularibus ad defectionem concitatis, victricibus hostium copiis urgentibus, & extremam ruinam, excidiumque afflicto Regi minantibus, Regnum amissurus videretur, unius ope Laurentii accisæ opes Ferdinandi sunt restitutæ. Quid hîc ego prædicem, quàm sagaci consilio Pontificem a belli consiliis deterritum ad studium pacis revocarit; quantâ solertiâ Ferdinandi hostes ad ejus partes traduxerit; quantis au- E xiliis labantem Regis fortunam sustentarit; & quod maximum est, quum Pontificis hostem tueretur, & ab eo socios Regulos abalienaret, his ipsis, quæ adversùs ejus dignitatem facta videbantur, arctissimo fœdere amicitiæ Pontificis voluntatem sibi devinxerit; ut in beneficii loco haberet, quòd a Laurentio prohibitus esset magnificam de hoste victoriam reportare? O divinum ingenium, o prudentiam singularem, o verè arbitrum Regum Laurentium; F qui & quibus consulebat, & quibus obsistebat, habebat obnoxios, & pari beneficio affecisse videbatur! Nec pœnituit summum Sacerdotem tanti viri consiliis obtemperasse; nam quum Auximum a Pontifice rebellasset, & ejus exemplum civitatis esset tracturum ceteras civitates, defectionis auctorem, sceleratum hominem, ac nefarium, & impietate quadam immani, & G inauditâ, qui ad Barbaros in Italiam accersendos, dedendamque Turcis urbem legatos miserat, quem nec æquata Superis Pontificis potestas, nec nostræ religionis respectus, nec divini Numinis metus, nec execrandi sceleris horror, nec excidium, & vastitas Italiæ imminens moverat, Laurentii movit auctoritas; ut Patriam ad obsequium erga Pontificem redire pateretur, & exilium imperio suæ civitatis præoptaret. Conservata est igitur om- H nium salus Laurentii beneficio, Italiæ tranquilla pax reddita, & quies, quanta vix umquam contigerat. Ut corpus animantium, quod ex tam diversis, inter seque pugnantibus constat elementis, donec animâ, quasi vinculo, continetur, non dissolvitur, & dissidentes naturæ mirabili quadam concordiâ colligantur; ubi verò extincta est, aut e corpore evolavit vis illa cœlestis, animantis conservatrix, in pristinam discordiam redeunt elementa, & eorum dissidio I labefactatum corpus dissolvitur; sic Italia ex tam discordibus conflata membris, tot complexa Principum, & Rerumpublicarum diversa ingenia, & inter se dissidentes voluntates donec Laurentii virtute, quasi animâ regebatur, mirâ consensione ad tuendam publicam quietem conspirabat; florebat pax, florebant studia, florebant opes Italorum, vigebant Principum vires exteris formidandæ; extincto Laurentio concordia omnis dissoluta est, extincta gloria K principis terrarum provinciæ; ad lacerandum Italiæ cadaver, quasi famelicæ canes, aut avidi vultures, barbaræ gentes convolarunt, & reginam Orbis terrarum suam prædam putaverunt. In exilium acti nobilissimi Reges, in carcerem conjecti opulentissimi olim Principes, eversæ urbes præclaræ, servire coactæ sunt liberæ civitates; quas clades, quas direptiones, excidia, ruinas, vastitates vidit Italia! quoties Italo, quoties exterorum sanguine re- L dundavit! Ut Alexandro Magno defuncto, quasi ejus funus celebratura commisit fortuna Reges, & cruento nimium ludo tanti bellatoris exequias honoravit; sic extincto Laurentio non Italiæ solùm, sed totius Orbis Christiani sanguine parentatum est. Sed quæ consequuta sunt viri mortem, facilius deplorari possunt, quàm recenseri; quæ verò calamitates miseræ, & perditæ Italiæ, & Europæ afflictæ post obitum Laurentii acciderunt. quæ, incolumi eo, pa- M ce tranquillâ, & felicitate summâ fruebantur, omnium salutem in eo positam, & felicitatem fuisse declarant; nec a veritate aberratorum, si quis dixerit; Cosmum Patriæ, Laurentium Europæ, & præcipuè Italiæ patrem posse meritò nuncupari, quo illæ

illæ

illæ orbæ in tanto, & tam diuturno sunt A luctu, & mærore versatæ. Atque hi duo viri, si nullum aliud Mediceæ gentis decus extitisset, clarissimum genus tam insigne reddidissent, ut nulli secundum haberetur. Nam si Hercules ille tantum Heraclidarum generi peperit dignitatis, ut ejus Posteri exules Peloponeso imperarent; si Furiæ genti Camillus, & ipsius filius tantum splendoris attulerunt, ut licèt Posteri a laude bellicâ longissimè abfuerint, Romæ clarissima Furiurum domus putaretur; B si Cæsar, & Augustus in tantâ nequitiâ, & malefactis Posterorum sui nominis gloriâ Juliam gentem in Cœlum extulerunt; non deesset Mediceo nomini decus ingens, decus eximium, & singulare, & sempiternum, si Cosmi, & Laurentii dumtaxat laudibus niteretur; sed quot præterea decora in unam domum conjunxerunt? Mitto congestos honores, infulas, imperia, sceptra, coronas, opes: non dico tot sacris Principibus Romani Senatus effulsisse: non u- C nius fere sæculi intervallo toties tenuisse altissimum inter homines gradum dignitatis, & Deo proximam potestatem: non commemoro affinitates cum Regibus, & Principibus potentissimis etiam in privatâ fortunâ contractas; quæ tam latè patent, ut nulla ferè sit, aut longo intervallo fuerit domus in Europâ dominatrix, cujus affinitate Etrusca domus non attingatur. Hæc, quæ sola plerumque solent clarissimas gentes illustrare, commemorandis vi- D rorum virtutibus occupatus prætermitto. Sed doleo, Auditores, vehementer doleo, quòd, quum de multis Mediceæ gentis heroibus, qui ante magnum illum Cosmum, vel ejus ætate, vel magni Laurentii incredibili virtute, & rerum gestarum gloriâ floruerunt, nihil angustiis temporis impeditus dixerim, multo plures adhuc cogar præterire; neque enim possunt omnium virtutes oratione comprehendi; tam ferax fuit heroicæ laudis Medicûm domus, E ut nullam copiam dicendi non sit exhaustura. Sed, quoniam de duobus viris verba feci, quorum togæ omnium paludamenta, & palmatas obscuravit, non possum mihi temperare, quominus illud columen bellicæ laudis, illud militiæ lumen, illud belli fulmen Joannem Medicem, si exornare non possum, certè commemorem. Nec ab eo Gallos, Hispanos, Rhætos, Germanos profligatos prædicabo, quæ solæ in aliis ducibus laudari solent; quia earum si- F bi fortuna vindicat partem, res prospere gestas omittam; singularem verò scientiam rei militaris, qua omnium judicio cum clarissimis omnis ævi ducibus erat comparandus, quis non esse celebrandam arbitretur? Nemo illo vel ad amorem militum, venerationemque sibi conciliandam, vel ad socios in fide continendos aptior, vel ad hostem fallendum sagacior, vel in insi- G diis vitandis cautior, vel acrior in urbibus oppugnandis, manu promptior, consilio tectior, iis, quæ secunda suis, adversa hosti eligendis, explorandis, prævidendis acutior. Quibus artibus adeo semper obsequentem fortunam sibi concinnavit, ut Invicti cognomen multorum consensu mereretur; tantumque viro superfuit bellicæ solertiæ, ut animadverterint eruditi neminem fuisse, qui ejus fieri disciplinâ doctior potuisset, quin ad summam artis imperato- H riæ gloriam pervenerit. Atque utinam Mars, qui fortissimum quemque ex acie pignerari solet, tantum virum florentibus annis non extinxisset! Italiam gentium immanium, & exterarum oppressam armis in libertatem vindicasset. Et erat sanè consentaneum eam provinciam, quæ tamdiu impendentem externorum bellorum tempestatem, & servitutem Laurentii magni prudentiâ vitaverat, Joannis Invicti bellicâ vir- I tute liberari; sed invidit fortuna Italiæ felicitati;

...... nimiùm vobis Romana propago
Visa potens, Superi, propria hæc si dona fuissent.

Jam Leonem hujus nominis Decimum Principem sacrorum præterire sine piaculo non possum; quo regnante Romæ Augusti sæculum restitutum videbatur; qui gravissimos bellorum tumultus compressit, Italiam pace donavit, Urbem splendidissimis ædificiis augustiorem, pulchrioremque reddidit, Christianos Principes ad bel- K lum adversùs Barbaros numquam destitit concitare; cui viro lætam gravitatem, & sine tristitiâ virtutem contigisse verè possumus affirmare, nec ullius Romam fuisse beatiorem, lætioremque principatu. Non illo quisquam liberalius litteras fovit, amantiùs complexus est artes liberales, largiùs divitiis, & honoribus auxit homines litteratos; quorum incredibilis multitudo, quum Leonis liberalitati, & exemplo, quo L ipse liberalissimis doctrinis cultus inprimis alios accendebat ad capessenda studia, debeatur, veterem opinionem affirmavit; Reipublicæ litterariæ bono Medicûm gentem esse natam, nec eâ incolumi interire, nec florente non florere litteras posse. Jam viros, & feminas vitæ sanctitate præclaros, quos in numerum Cœlestium Christiana pietas referendos putavit, nec ornare dignâ meritis oratione valemus, & de his omnino tacere nefas arbitramur; quos M quum paucissimis ætatibus in Mediceâ domo tres extitisse cogitamus, nullum genus esse excellentissimæ virtutis, quod in eâ, tamquam in seminario quodam heroum, uberrimè non provenerit, omnibus exploratum, compertumque esse censemus. Jam quum

quum dicendo fessum ad sese rapiant Hip-
A polytus ille bellicosus, ille Julianus, qui ob
heroicum vitæ splendorem ab Italiâ cunctâ
Magnificus est appellatus, in eorum laudibus
immorari majorum rerum curæ non patiun-
tur. Nam principatu constituto Medicûm
virtus velut patentiorem nacta campum ad
inauditum decus, & dignitatem, splendo-
remque contendit. Nec libet in hoc loco
omnes Etruriæ Principes laudare, & eorum
facta singillatim, virtutesque divinas, &
immortales recensere, quum uni celebran-
B do non mea, quæ nulla est, sed cujuslibet
oratoris eloquentia suffectura non esse vi-
deatur. Est hoc in laudibus Principum E-
truscorum, quòd eorum laudes a nemine
satis possont prædicari; & quòd, quantom-
vis eximiè de illis, & præclarè sentias, om-
nem cogitationem superat earum magni-
tudo; quæ tamen si non omnino percipi,
aliquo tamen modo concipi potest; si co-
gitemus, quum Cosmus ille magnus, quo
meliùs nemo fertur omnes artes regnandi
C tenuisse, Patrum auctoritate delatum sibi
Regnum fundaverit, & Rempublicam di-
scordiis civilibus agitatam constituerit, ad
illud unicum exemplar imperandi omnes
Etruriæ Principes respexisse, & eodem
Rempublicam tenore administrasse; ut quot
rerum in Etruriâ potiti sunt, tot Cosmî
fuisse videantur. Hinc Etruscorum felici-
tas attigit Cœlum; his enim regnantibus
extincta semina, & evulsæ penitus radices
discordiarum, bellorumque civilium, quæ
D miseram provinciam tot sæculis acerbissi-
mè, crudelissimeque vexarant; imperii fi-
nes latissimè propagati; ejecta Cosmi au-
spiciis Turcarum immanissima natio, quæ
Etruriæ portus insederat, & nostris cervi-
cibus immioebat; magnificentissimis ædi-
ficiis cum publicis, tum privatis, urbes e-
xornatæ; in Ilvâ insulâ condita urbs fir-
missimum Etruriæ propugnaculum, & a
conditoris nomine appellata; portus,
quem quidam Labronem vocant, tantis
E operibus munitus, extructa urbs, quæ stra-
tis viarum, & nitore, ædificiorum elegan-
tiâ, incolarum frequeotiâ, divitiis, mer-
cium copiâ, navium appulsu non in ulti-
mis Italiæ numeranda est; Pisanæ urbis no-
bilissimæ, vetustissimæque pulchritudini,
frequentiæ, salubritatique consultum; tot
firmissimis munimentis Etruriæ vallata se-
curitas; obviam itum pestilentiæ grassanti,
& superata natura morbi providentiâ, con-
silio, curâ, periculo Principum Etrusco-
rum, & quasi de morte trophæum consti-
F tutum est; prospectum Italiæ paci; iisdem
arbitris discordiæ Principum opulentissi-
morum mirâ felicitate sedatæ; adjuti opi-
bus potentissimi Reges; adversùs injuriam
validiorum imbecilliores defensi Principes;
diffusa latè majestas, & splendor Etrusci
nominis, & ad colendos missis legatis E-
truriæ Principes extremi Orbis Reges bar- G
bari excitati. Hæc sunt opera Medicûm ob-
tinentium principatum; quæ si velim exag-
gerare verbis, aut pro dignitate rerum sa-
tis ornatè explicare, quis orationis modus,
quæ dicendi finis inveniretur? sed longè
maximum est opus tutela pacis tot ætati-
bus in Etruriâ conservatæ. Miris laudibus
antiqui scriptores Numam Pompilium præ-
dicant, quòd annos quadraginta populum
bellicosum in diuturnâ pace rexerit; Etru-
riæ pax annos centum quinquaginta vix H
ullo belli tumultu est interpellata; sex ha-
buimus Numas Pompilios Romanorum san-
ctissimo regi pietate, justitiâ pares, aut e-
tiam superiores. Gloriari licet nulli popu-
lo diuturnius otium, aut majori cum digni-
tate, ac tam mirificam pacem contigisse;
arsit Orbis terrarum, arsit Europa, arsit Ita-
lia bello, arserunt finitimæ civitates, Etru-
ria sola proximo, & communi incendio
numquam conflagravit. Vidimus pæne un-
dantem sanguine Italiam, devastatos agros, I
incensas villas, direptas urbes; audivimus
armorum fragorem, tonitrumque horren-
dum bellicorum tormentorum, & altissi-
mum sonitum Italiæ ruinarum; & fuimus
expertes malorum, quæ tot ætates vide-
runt, nec afflati fumus ullo turbine atro-
cissimæ tempestatis. Ut Elysios campos, &
sedes beatorum poetæ ferunt nec imbribus
perfundi, nec grandine verberari, nec ni-
vibus operiri, nec ventis infestari, sed tran-
quillitate perpetuâ frui, & lumine purissi- K
mo, & sempiterno: ut facer est, nec ullâ
perturbatione Æther attingitur sequioris
elementi, subjectique sunt illi cœlesti, al-
tissimæque naturæ venti, procellæ, typho-
nes, turbines, imbres, tempestates, nubes,
& fulmina,

.. ... *& humanas motura tonitrua mentes*;

sic Etruria, quæ cœlesti mente Regum
Etruscorum regebatur, sacra exteris gen-
tibus fuit, nec ullâ bellorum tempestate
concussa est; nec fuit id fortunæ donum, L
fuit divinæ prudentiæ, fuit altissimi con-
silii, quo præditi sunt Etrusci Principes,
beneficium, fuit excellentissimæ virtutis
admiranda felicitas. Non illos finium i-
njustè proferendorum, non inanis gloriæ
præceps, & temeraria cupiditas, non in-
vidia livens, & inquies bonis vicinorum,
non justitiæ contemptus in præcipitem
martis aleam, ancipitesque fortunæ casus
impulit; sed certa ratio, stabilisque sen-
tentia rexit, semperque moderata est; &
quum omne Christianum nomen in partes M
distraheretur, & duos inter se dissidentes
opulentissimos Reges ferme sequeretur,
non descendit in partes Etruscorum Prin-
cipum prudentia; & quod difficillimum est
in studiis tam discordibus, quum præcipuè
neu-

neutrum amplectetur, & foveret, neutrum offendit, & utrique fuit gratiosa, & inprimis veneranda; & inter Scyllam, & Carybdim, quum Reipublicæ gubernacula rexerit; tutissima, medium tenuit cursum, & ad portum pacis, & tranquillitatis enavigavit. Itaque, quod mirari numquam desinent sapientes; illa ipsa provincia, quæ tam levibus momentis in partes trahebatur, cujus non modò urbes inter se collidebantur, sed a se urbes, & parva oppida hostili odio dissidebant, nunc rectorum prudentiâ singulari egregiè concors, & tranquilla tamdiu mansit, & in totius Orbis terrarum motu semper immota conquievit. Jam verò pacem cum omni Christiano nomine persanctè colere, ejusque Proceres miro studio, & fraterno amore complecti, nec deponere consilia belli adversus Barbaros quantæ pietatis fuit, quantæque religionis; & quam ea laus propria Principum Etruscorum? Quid hic ego dicam, quum Summus Pontifex, & Rex Hispaniarum, Venetique contra Barbaros victoriis jam insolescentes, & Europæ extremæ minitantes conspirassent, Cosmum illum magnum ornatissimam, instructissimamque misisse classem, quæ ad victoriam de hoste pariendam magno Christianis fuerit adjumento; quid in Cretam auxilia toties missa Venetis? quid nunc a maximo, & religiosissimo Principe tantis opibus adjutum nomen Christianum prædicem; quid invictas triremes, classemque, & non contemnendam militum fortissimorum manum in visceribus Imperii Barbarorum cum tanto successu, & tantâ hostium clade versari; quid nullam prætermissam occasionem, quoties Christiani Principes a Barbaris bello peterentur, publicam causam tuendi, & communem hostem coërcendi? Perpetuum bellum cum Turcis gessimus, numquam Etrusca classis conquievit, tot urbes eorum quoque florente fortunâ occupatæ, tot captæ, depressæque naves, tantum prædarum abactum, tantum congestum spoliorum est, tantum Græciæ, Libyæque terroris allatum; quod beatissimum est, pacis fructus percepimus, & justissimi belli gloriam sumus consequuti. Nec interea pacis artes, quum altissimo otio frueremur, non præcipuè floruerunt; non oblita est Mediceûm virtus in tantâ rerum mole, tantaque altitudine, & splendore fortunæ, tantæque gloriâ veteris instituti; patuit semper Etrusca aula doctis hominibus, & ingeniis artificum præclarorum, & in eâ, tamquam in suâ Regiâ, sedem Musæ collocarunt. Et quidni ex universo Orbe terrarum bellis, quæ ex aliis alia oriebantur, expulsæ eò confugerent mitissimæ disciplinæ, ubi nullum atrox, ac violentum factum virorum Principum, nullæ cædes innocentium cernebantur; ubi justitia, & fides, & mansuetudo, & pax alta regnabant; ubi regium patrocinium, & liberalitas nobiles disciplinas ab invidiâ, & inopiâ tæterrimis pestibus litterarum tuebatur; ubi tot exempla præclara cernebant propensæ in doctos homines Principum voluntatis? Cujus rei testis erant locupletes officinæ Arabicis Auctoribus imprimendis institutæ, hæc gymnasia regalibus impensis instaurata, doctissimi homines magnis præmiis propositis ad erudiendos juvenes accersiti, studiosæ juventutis Collegia constituta, doctorum virorum conventus, quos Academias vocant, congregati, Bibliotheca vetustis codicibus refertissima, & ornata luculenter, & studiosorum bono publico dedicata, in ipsâ aulâ philosophiæ studia culta vehementius, & ad solertius indagandam rerum naturam ingenia excitata. Hinc tot inventa præclarè, patefacta Priscis ignota arcana tam multa sapientiæ illustratæ vetustæ sapientum sententiæ, ingeniis inscitiæ discussa caligo, & aliata scientiæ lux Orbi terrarum Cœlum ipsum cœlestibus auspiciis nostrorum Principum maximi Philosophi ingenio admotum oculis Mortalium, & illustratum est. Quæ beneficia quum a Mediceis Heroibus litteræ accepissent, regali munificentiæ non vulgarem gratiam retulerunt. Nam, præterquam quod Mediceûm res gestas rerum conditores certatim memoriæ prodiderunt, poëtæ carminibus celebrarunt, rhetores oratione solutâ numeris ornatissimè persecuti sunt, Sapientes virtutes eorum monimentis illustribus mandaverunt, nec ullum ferè per Orbem terrarum doctissimorum hominum scriptis nomen celebratius; clarissimus nostri ævi Philosophus Mediceam gentem, quantum homini licuit, intulit Cœlo, & astris inclytum nomen inscripsit; quum sidera, quæ circa Jovem feruntur, a se primum animadversa, & ostensa Mortalibus Medicea nuncupavit, & quum Orbem terrarum Mediceûm famâ plenum videret, etiam Cœlum eorum gloriæ patefecit. O divinum inventum, quo cœlestibus viris Cœlum referatum est! Hæc decuit Jovem ambientium siderum coronâ Mediceum genus coronari, cujus munificentia, & splendor naturam Jovis imitatur; non enim civica, non triumphalis, non regia corona satis tantorum Principum digna virtutibus, nisi e stellis contextum immortale sertum accessisset. Quâ coronâ, Beatrix Augusta, nuptias tuas illustrabit; non tu solum gemmis cincta lucidissimis effulgebis, verùm etiam stellis ardentibus exornaberis; & quemadmodum poëtæ ferunt Ariadnæ Cretensium Regis filiæ Bacchum Orientis domitorem coronam e stellis clarissimis constantem, conjugale

gale donum, nuptiarum illustre monimentum A consecrasse; sic tibi hoc gentile siderum decus, quasi nuptiale munus, egregiâ formâ juvenis, egregio ingenio, egregiis Majoribus dedicat Ferdinandus. O fortunata inprimis virgo, & omnis ævi nuptarum beatissima, quæ ab etruscâ domo tantum splendorem accipis, tantumque ipsi es allatura! Tu vetustissimam generis claritatem, tu Majorum triumphos, tu sceptra, fasces, coronas, tu nobilissimorum ducum gloriam, tu Romanorum Imperatorum au- B gustissimam majestatem, tu heroicarum virtutum decus ad pristinas Mediceæ gentis laudes es additura; in tuo conjugio duas domos conjunctas videmus, in quarum alterâ Pontificum sanctitatem, in alterâ Cæsarum majestatem veneramur; nec tu solùm vetustâ Majorum gloriâ, verùm etiam Maximiliani Fratris tui Ducis invicti recentibus factis, eximiis, & immortalitate dignissimis multo præclarius Etruriæ affers ornamentum. Hic enim est Adolescens il- C le fortissimus cuilibet veteri duci rebus gestis conferendus, pietate anteponendus; qui sextum jam annum bellum cum Barbaris gerit, & tantâ cum gloriâ gerit, ut illius virtuti magnam partem victoriarum, quas Christiani pepererunt, acceptam referre debeamus. Non ille sui Regni fines proferendi, non augendæ potentiæ, non suos hostes ulciscendi, sed Imperii Christianorum defendendi, religionis propagandæ, pietatis in libertatem asserendæ causâ mi- D litavit. Induit pæne puero arma divini Numinis reverentia, studium virtutis, justitia, sanctitas, desiderium triumphi, non caduci, sed illius immortalis, quo pii duces in Cœlum victores invehuntur. At quo ardore, qua prudentiâ, quo successu pro Christiani nominis gloriâ, pro libertate German æ, pro omnium securitate sumpta arma tractavit? Imperii clarissimum caput innumeris cinctum Barbarorum copiis arctâ obsidione liberatum, toties hostes pro- E fligati, contecti cædibus campi, Barbarorum sanguine Pannoniæ redundantes, tot urbes captæ, tot arces expugnatæ monimenta tantæ virtutis erunt sempiterna. In obsidendâ verò, expugnandaque urbe Pannoniæ principe quis illo acrior, quis terribilior Barbaris, quis nostris admirabilior? Ejus exemplo caput objicientis quotidie periculis accensæ legiones ejus invictæ sustineri non potuerunt; scandentem ruinas murorum, per altam cæsorum stragem ruentem, suos hortantem, hostes dejicien- F tem sequutæ nostris urbem patefecerunt, quæ nullâ vi posse capi videbatur. Nuper autem tanti imperatoris ductu urbem Taurunum expugnavimus; revulsa Pannoniæ sunt claustra, immo imperii Barbarorum, quibus occupatis tot urbes, tot provinciæ in nostrorum ditionem, potestatemque venerunt; hostes jugum accepere, Byzantio G jam imminemus, nec alia res ulla ruinam formidabilis olim Imperii, quàm locorum intervalla remoratur. Hanc verò tantam victoriam non solùm consilio, ductuque invicti Juvenis, verùm etiam virtute, fortique operâ adepti sumus; quem haud minùs acerrimi bellatoris, quàm egregii ducis munia obeuntem neque objecta fossæ altitudo, neque conferti hostes murorum stragem insidentes, neque ulla pericula terruerunt; per æqua, per iniqua vadentem H secutus ardor militum intravit, & cepit urbem, qua Barbarorum duces antequam potirentur, pæne cum sui nominis exitio toties pugnarunt, toties ingenti cum clade repulsi fuerunt; ut Duci non modò triumphalis, sed muralis quoque corona debeatur. Sed, ut Maximilianus viris omnibus, ita tu, Beatrix Augusta, feminis antecellis; cujus eximia corporis pulchritudo animi pulchritudinem ostendit, non æquat; cujus acerbam ætatem matura virtus adornat; I qua dote Felix, & Ferdinandum virum pari præstantiâ, & tuis moribus consentaneâ virtute præditum, & Etruriam universam beabis; quæ te, quum adveneris, colet, quasi præsentem Deam, & nunc expectatione tui tota commota est; &, ut obviam tibi prodeat, suis e sedibus exilire gestit, nec ferre potest adventus tui dilationem. Ex te enim prolem sperat in lucem prodituram, quæ referat paternum, referat maternum genus, & virtute præstantissimâ, K & immortali Majorum claritatem vel æquet, vel si fieri potest, vincat. Nec frustra sperat; quum enim utrique genti tam propria, tam insita, perpetuaque fuerit virtus eximia, & singularis, cur futuram in Posteris non arbitretur? Sed cum omnes incredibili gaudio propter nuptias tuas afficiuntur, tum qui litteris dediti sumus, penitus triumphamus. Nam Medicûm genti prorsus insitum in bonas artes amorem tuam prolem relaturam confidimus; nec qua arte Majores tantam sunt apud omnes gentes gloriam consequuti, eâ se carere Posteros æquo animo laturos esse censemus.



ORA-

ORATIO XIII.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1689.

In solemni instauratione Studiorum.



Litteratis hominibus omnem terram Patriam esse.

A Quum ad bonas artes lectissimus hic Adolescentium cœtus doctrinæ cupidorum sit adhortandus, excellentissimi Patres, Auditores humanissimi, & quidquid ad hanc rem pertinere videbatur, non exiguo volumine hactenus collegerim, decretum mihi est hodie navos, & industrios agricolas imitari, qui messe facta spicas quoque relictas incuria messorum accurate legendas arbitrantur. Quapropter uberiore laudum segete, quam adhuc non attigi, prætermissa, quibus affluunt studia litte-

B rarum, placet hic insistere, & diligenter animadvertere, an pleraque persequutus, quæ ad animos amore sapientiæ inflammandos pertinent, aliquid tamquam spicam ex magna messe reliquerim, quod a me lectum, Juvenes, vobis fructuosum esse possit. Atque illud inprimis occurrit artium præclararum decus eximium, & prædicandum, quod earum studiis homines deditos non in Patria solum tuentur, augent, illustrant, sed ubique gentium omni honoris genere

C promovent, & ad gloriam, & splendorem, dignitatemque producunt; ut ceteris quidem solum, in quo quisque natus est, Sapientibus autem Orbis terrarum universus Patria esse videatur. Sapientia nimirum peregrinantibus est amplum, ac splendidum viaticum, nullis obnoxium fortunæ injuriis, exulum patrimonium, dux fidissima, comesque assidua, & dulcis errantibus. Habet id quidem commune sapientia cum ceteris artibus, quas in omni terra artifi-

D ces alere Græco proverbio admonemur. Quo circa Nero Claudius Cæsar, quum ob Chaldæorum prædictiones, ac multo etiam magis ob animos Romanorum ipsius crudelitate jam exacerbatos, & tumentes fortunæ suæ diffideret, citharœdicæ arti studuisse impensius dicitur, quod eam subsidium calamitatis, comitem fugæ sibi compararet. Tantum est in quavis arte præsidium artificibus constitutum, ut ille Dominus rerum non opibus Imperii, quas habebat in potestate, non armis legionum, quæ pro salute ejus excubabant; sed arti,

eique levissimæ fideret, cujus auxilium sibi, quum cetera defecissent, non defuturum existimabat. Sed quanto artibus universis excellentior est sapientia, tanto majora affert Patria pulsis, aut egressis ornamenta. Hæc sola efficit, ut sapientem sibi natum omnes Mortales arbitrentur: hæc ita commendat exteris claros viros, ut eorum plurimi, qui exilii causa solum verterunt, Themistoclis dictum usurpare potuerint: perieramus, nisi periissemus: hæc suos cultores non una civitate, sed omnibus donat; nec sine causa ille Mortalium sapientissimus non unius civitatis civem, sed Mundi se esse prædicabat. Quare videte quantis ex angustiis vos eductura sit Oratio mea, qui sapientiam omnibus rebus prætermissis consectandam esse censuistis. Vobis natura dedit patrium solum, quod urbis alicujus, oppidive mœnibus, aut regionis finibus circumscribitur; ego terram universam, ego hanc immensitatem Mundi vestrum municipium esse demonstrabo; quocumque vos voluntas, quocumque casus tulerit, sapientiam effecturam, ut ibi non minus commode agatis, quam in Patria, nec minore in pretio esse possitis, ostendam. E F G

Ac ne generis claritatem, aut insignes divitias idem præstare posse censeatis, permultos licet nominare, qui claris Majoribus orti, & fortunæ bonis in Patria abundantes, quum ad exteras gentes venissent, non solum honoribus, quibus antea augebantur, caruerunt, sed despecti, ignotique in tenebris obscurissimæ vitæ jacuerunt. Tarquinius Demarati Corinthii filius, quamvis oriundus e Bacchiadum gente clarissima divitiis afflueret, quum Tarquiniis consedisset, indignus honoribus habebatur; & ejus despecta novitas erat Tarquiniensi populo, qui cum quovis Italorum splendore sanguinis, & generis antiquitate poterat comparari. Polynices ortus e Rege Thebano se multas ærumnas in exilio pertulisse queritur apud Euripidem in Phœnissis, nec sibi quidquam regium genus, non ad honores modo tantæ nobilitati debitos consequendos, verum etiam ad alimenta quærenda profuisse. Quid autem exitus Tyrannorum, Regumque recentium, quibus nec splendor fortunæ pristinus, nec exaggeratæ opes, nec regale fastigium in externo solo degentibus opitulata sunt? Quid Dionysium dicam exurum opulentissimo Regno Corinthi inopia summa laborasse? quid Tarquinium Superbum, spoliatum regia fortuna, extorrem Patria apud Aristodemum Tyrannum in extrema calamitate, & miseria consenuisse? quid Artabanum Regem Parthorum in Scythiæ solitudines pulsum alimenta coactum arcu expedire? Exemplis abuti plu- H I K

pluribus in re clarâ supersedeo; quis enim
A ignorat nobilitatem inane quiddam esse,
nihil habere solidi, nihil expressi, nec pos-
se homines ad sui cultum suâ specie com-
movere? quid ergo mirum, si ea in alie-
no solo contemnitur, quum in Patriâ ipsâ
opibus, & splendore fortunæ destituta con-
temnatur? neque enim apud omnes gen-
tes eadem generis claritas habetur: Scy-
thæ, qui se Mortalium vetustissimos, ob
eamque causam nobilissimos prædicabant,
Athenis, & in Græciâ ignobiles putaban-
B tur; ideo Anacharsin, quum in Græciâ
versaretur, non regium genus, a quo du-
cebat originem, sed virtus, & sapientia a
contemptu vindicavit. Thraces apud Græ-
cos despiciebantur; idcirco Antisthenes,
quòd e Threissâ matre natus esset, ab invi-
dis mordebatur, quibus ille respondebat,
& Matrem Deorum esse Phrygiam. Num
putamus in Thraciâ non multos nobilita-
te præstitisse? Judæorum gens, cui non
erat antiquorum despactui, quum tamen
C & vetustate, & divini Numinis cultu cun-
ctis Mortalibus antecelleret? Æthiopes i-
gnobilissimos Græcia existimavit; et hi
suorum multos non modò nobiles, verùm
etiam Deos opinabantur. Quid Romæ?
Ægyptiorum, Arabum, Cappadocum, My-
sorum, Phrygum nobilitatem in pretio fuisse
censemus, quos Romani contemptissimos
Mortalium judicabant? Et ne pluribus vos
morer, quum in unaquaque civitate alii aliis
nobiliores non naturâ, sed legibus habean-
D tur, ubi leges illæ nullam vim habent, nullam
vim esse nobilitatis necesse est; quæ, quum
antiquâ generis claritate definiatur, in qua
quisque civitate novus homo est, consen-
taneum rationi est eum ignobilem existi-
mari. Opes verò, quas latè potentes Pin-
darus appellat, quid in externâ regione
versari coactis possunt afferre splendoris,
quum plerumque Patriâ pulsis auferantur?
ac si maneant, minùs tamen apud exteros,
quàm in Patriâ valent, ubi non amicitiæ,
E non clientelæ, non Majorum in Rempu-
blicam merita, non honores gesti, non ma-
gistratus divitibus adjumento esse possunt.
At verò sapientia, et artes præclaræ soli-
dum quiddam sunt, non adumbratum, ne-
que suam claritatem angustis Patriæ termi-
nis definiunt; & naturâ, non legibus vi-
gent, neque possunt adimi, neque alienis
opibus explendescunt. Non igitur in Pa-
triâ magis nitent, quàm ubi sunt peregri-
næ; & quemadmodum fluvii, quo longiùs
F a fontibus recedunt, eo sunt ampliores,
majoremque vim aquarum vehunt; ita
splendor artium optimarum, quo a Patriâ,
tanquam a fonte, longiùs profluit, eo la-
tiùs patet, & majori luce illustratur; ut
quædam nubes iis, qui versantur in ipsis,
obscuræ videntur, ex intervallo spectatæ
lucidæ conspiciuntur. Est quidem sapien-
tia ubique præclara, ubique Mortalium G
mentes pulchritudine suâ, & splendore
commovet, & incredibilem excitat amo-
rem sui; sed in natali solo, ubi alta est,
ubi aucta, nescio quo pacto minùs lucu-
lenter effulget; est obnoxia invidiæ, ob-
noxia malevolentiæ, quæ crescentem tabi-
bifico quodam turbine, pestilentique per-
cellunt, & quasi nubes quædam caliginosæ
longè radios porrigere, lucemque non pa-
tiuntur. Sed maximè Virorum sapientum
in Patriâ degentium gloriæ est impedimen- H
to genus hominum, quod stultissimum,
ineptissimumque Pindarus vocat, quod,
quum suspiciat, & admiretur externa, pro-
ximam virtutem aut despicit, aut non cer-
nit. Hinc illud effatum Scriptoris Mimo-
rum e tripode, cortinaque prolatum vi-
detur.

Aliena nobis, nostra plus aliis placent.

An verò non hæc querela est omnium fe-
rè Sapientum? Theognis ille Megarensis I
non poëta magis gravis, quàm morum Do-
ctor luculentus, quum apud omnes homi-
nes jactet se famâ celebrari, quibusdam ci-
vibus queritur displicere. Quid Hesiodum
putamus tam contumeliosè Patriam fuisse
appellaturum, si debita sapientiæ, debita
ingenio a suis civibus præmia accepisset?
Democritus Abderitanis insanire videbatur,
cujus altissimum animum, sapientiamque
præstantem gentes omnes, populique sunt
admirati. Athenienses Cyttieum Zenonem K
magnum quidem virum, sed haudqua-
quam Socrati comparandum aureâ coronâ
donaverunt; Socratem Atheniensem phi-
losophiæ parentem veneno sustulerunt, &
eo se parricidio impiarunt, quod omnes
ætates, omnia scriptorum monumenta sunt
execrata. Pythagoras autem Samius, quum
in Patriam revertisset, & si omni honoris
genere affectus est a suis, nemini tamen
Samiorum potuit præcepta tradere sapien-
tiæ excepto Pythagora, quem sibi cogno- L
minem, quum inopiâ premeretur, allexit
ad se audiendum mercede; & solus in
scholâ relictus est a suis civibus princeps
ille sapientum, ad quem ex ultimis terris
ingens doctorum hominum multitudo sa-
pientiæ cupida confluebat; nec licuit sum-
mo Viro urbem, quæ ipsum genuerat, a-
luerat, educarat, doctrinæ quasi præbitis
alimentis remunerari. Quæ exempla quum
reputo non extorres Patriâ esse jubeo Sa-
pientes, nec ut a complexu amicorum a- M
vellantur, æqualium cœtum relinquant,
suadeo; non hanc suis cultoribus irro-
gat pœnam sapientia, ut qui ejus artes appe-
tiverunt, in exilium abire cogantur; mul-
ti, & magni viri in suâ civitate, & exi-
miis honoribus, & benevolentiâ civium,
&

& gloriâ floruerunt; sed auctor sum om-
A nibus, qui studia litterarum colunt, ne se
tanquam plantas infixos natali solo putent,
quæ tamen ipsæ in humum peregrinem
translatæ interdum lætiùs adolescunt; sed
illud præcipuum decus artium optima-
rum, quòd Patriam, quâ nihil dulcius, ni-
hil amabilius est hominum generi a natu-
râ tributum, ubique nobis restituunt, &
repræsentant, esse contendo. Hujus au-
tem rei testem habeo omnem antiquita-
tem, testes clarissimos viros, quorum ple-
B rique Patriâ relictâ majore cum gloriâ apud
exteros, quàm apud suos ætatem exege-
runt. Nec in hoc loco utar exemplis Ar-
chelai, qui, quum Milesius esset, Athenis
magnâ est cum laude philosophatus; nec
Xenocratis, qui Chalcedone natus eadem
in urbe tantam est auctoritatem assequutus,
ut Judices testem productum jurare vetue-
rint, injuratum arbitrantes, quàm alios ju-
ratos, fide digniorem; quem invictum ab
auro Philippi, Alexandri, Antipatri Athe-
C nienses legatum de maximis rebus mise-
runt; nec Aristotelis, nec Theophrasti,
quorum alter Stagirites, alter Ephesius A-
thenas eloquentiâ suâ, & doctrinâ exorna-
runt, nec ab ipsis minora laudis, & famæ,
& honoris ornamenta acceperunt; nec
Phædonis Eliensis, nec Triasii Cratetis,
nec Solensis Crantoris, nec Arcesilai Pi-
tanæi, nec Bionis Boristenitæ, nec Car-
neadis Cyrenæi, nec Tarsensis Chrysippi,
nec aliorum innumerabilium libet exem-
D pla commemorare, qui, quum urbem Græ-
ciæ principem Patriæ prætulissent, in illo
sapientiæ theatro beatissimè, tranquillissi-
meque ævum cum insigni laude transege-
runt. Fuerit id fatum Athenarum, ut es-
set ea urbs ingeniorum altrix, philosophiæ
Regia, ingenuarum artium clarissimum pry-
taneum. Nec Romæ quidem summos vi-
ros egressos Patriâ jucundissimè vixisse, &
auctos opibus, & honoribus prædicabo;
non Arpinatem Ciceronem eloquentiæ
E beneficio principem in Republicâ locum
occupasse; non Virgilium rure Mantuano
profectum amplissimis opibus, & Augusti
familiaritate floruisse; non Hispanum Se-
necam invidiosas divitias ter millies ses-
tertiûm Neronis liberalitate congessisse;
non Dionem Chrysostomum Prusiensem,
quem Trajani Cæsaris amicitia tam altè ex-
tulit, ut eodem cum Cæsare curru vehere-
tur; non Apollonium Chalcedonium, cu-
jus domum Antoninus Philosophus fre-
quentabat, ut audiret Philosophum de mo-
F ribus, & rerum naturâ disserentem. Mi-
nùs mirum est Romæ, quæ omnium Pa-
tria communis habebatur, litteratos homi-
nes libenter, & magnâ cum gloriâ esse ver-
satos, & digna suis ingeniis præstantissimis,
& virtutibus præmia consequutos. Quam
autem urbem, quam regionem possumus
nominare, ubi Sapientum felix non fue- G
rit hospitium, & peregrinatio? quando
Lacedæmon ipsa, quæ studio rei militaris
accensa nullam artem, nisi bellicam hono-
rabat, Alcmanem poetam civem ascivit,
Xenophontem philosophum est admiratæ
Thebæ, quæ robustos magis luctatores,
quàm doctos viros coluerunt, Lysidem Py-
thagoreum Epaminondæ, & Philippi Re-
gis Doctorem habuere. Quid hìc ego di-
cam Simonidem, & Pindarum Syracusis a-
pud Hieronem Regem. Anacreontem a- H
pud Sami Tyrannum Polycratem gratiâ
plurimum potuisse; Euripidem Archelai
Macedoniæ Regis animum benevolentiâ
sibi devinxisse; Aristippum, & Æschinem
Dionysii junioris amicitiâ floruisse; Xeno-
phanem Colophonium Catanenses, Zan-
cleosque suspexisse; Diodorum, qui Cro-
nos est appellatus, Alexandriæ consenuis-
se; nullam certam sedem habuisse Home-
rum, Democritum, Gorgiam Leontinum,
Protagoram Abderitanum, Hippiam Eleum I
plurimarum urbium civem omnium ali-
quando inquilinum, quos peregrinantes
omne ferè tempus vitæ accepimus con-
sumpsisse? Dies me deficiet, Auditores, si
præstantes doctrinâ viros velim recensere,
qui, quum sedem mutassent, excepti sunt
ab alienigenis tantâ benignitate, tantis præ-
miis affecti, tantis opibus, tantis laudibus
cumulati, ut terra, quæ ipsos genuerat,
noverca, quæ exceperat, mater esse vide-
retur. Habet nimirum sapientia quiddam K
splendidum, quod sicut oculos civium a-
liquando perstringit; sic exteros allicit, ne-
que solùm gentes omni humanitate perpo-
litas, verum etiam barbaras capit. Hæc
Apollonium ad Indos, & Asiæ extrema
tendentem, & Æthiopiam peragrantem
inter populos efferatos, & inhospitales re-
giones defendit, & venerabilem Barbaris
fecit: hæc Heraclitum tanto splendore
gloriæ circumfudit, ut a magno Rege Per-
sarum ingentibus præmiis propositis accer-
sireur: hæc Hippocratem adeo populis L
universis commendavit, ut ejus famâ Ec-
batana perlatâ ab Artaxerxe potentissimo
Rege Persarum acciretur: hæc Democe-
dem Crotoniensem abductum in servitu-
tem vinculis liberavit, & tantâ apud Per-
sas gloriâ honestavit, ut Darii Regis con-
siliis intimus ejus mensæ conviva quoti-
dianus accumberet: hæc Pythagoræ phi-
losophorum principis famam tam longè,
lateque diffudit, ut Italiâ, & Græciâ, &
Ægypto, & Oriente toto peragrato etiam M
Scythiam penetrarit, ut Scythis Pythago-
ras Apollo Hyperboreus esse videretur. O
felices ætates, quæ tanti fecerunt sapien-
tiam! o Barbaros non barbaros, qui litte-
rarum tantum esse numen putaverunt! U-
tinam

tinam hac tempestate populi, qui a sapien-
A tiæ studiis creduntur non abhorrere, tan-
tum doctis hominibus honorem deferrent,
quantum eo tempore barbaræ gentes, at-
que immanes detulerunt! Sed nunc, ut om-
nis disciplina morum, omnisque splendor
virtutis obsolevit, ita colendi litteras, &
ornandi sapientes viros mos inveteravit,
& in nobilissimarum facultatum locum lu-
dicræ, & contemnendæ pervenerunt; nec
iis, qui rerum potiuntur, cura est littera-
tos homines conciliandi sibi; quia, quum
B laudanda facere desierint, rectè factorum
præcones minimè desiderant; & quum à
sapientiæ præceptis desciverint, sapien-
tiam esse non putant expetendam. Neque
tamen diffidendum satis magnam laudem,
& splendorem, dignitatemque nobis affer-
re litteras posse. Nam quemadmodum So-
lis in occasum præcipitis, & si non tantus
est splendor, quantus est, quum altissimus
fertur, tamen adeo clara lux oculis obver-
satur, ut omnium siderum lumen occul-
C tet; ita sapientiæ prope jam culpâ homi-
num occidentis amplissima dignitas alia-
rum rerum splendori, & gloriæ antecellit.
Quantumlibet inscitia ætatis litteris tene-
bras conetur afferre; quantumlibet invidia
sæviat, ignavia mentes occupet, stultitia
dominetur, ubicumque aliqua significatio
sapientiæ elucebit, homines ad sui cultum
excitabit. Ne quis igitur, quòd temporum
mutata sit ratio, conetur infirmare, & con-
vellere orationem meam, & exempla, quæ
D protulimus, antiquorum ad rem minimè
putet pertinere. Etsi enim ætas nostra mi-
nùs gloriæ studet, minùs amplectitur bo-
nas artes, quàm vetusta; non idcirco nulla
est dignitas litterarum, quam si quibusdam
in Patriâ summam & hisce temporibus
cernimus contigisse, quin procul à Patriâ
longè major contingat, non dubitamus;
neque enim hominum immutata natura
est, nec si antiquitus gratior, & honoratior
in advenâ, quàm in cive, sapientia habe-
E batur, non idem mos nunc viget, immo
eo amplius, quòd nos inanibus magis,
quàm Antiqui commovemur. Atque ad id
ostendendum recentium exemplorum co-
pia non defuisset, sed nos priscis, utpote
illustrioribus, delectati sumus; nec verò o-
pus est exemplis, quum idem certa, & per-
spicua ratio declaret. Nonne videmus nos
peregrinis omnibus magis affici, & com-
moveri, quàm nostris? hine Arabiæ, In-
diæque merces, & novi Orbis magno e-
F mimus, & vitæ discrimine petimus, quum
iis, quæ fert Italia omnium, quæ ad hu-
manos usus pertinent, feracissima, conten-
ti esse possimus, quibuscum illa, quæ ad-
miramur, quibus attoniti inhiamus, quo-
rum causâ divitias miserè concupiscimus,
& quærimus, nec utilitate, nec præstantiâ
possint ullo modo comparari. Quum igitur
omnia peregrina in honore esse videamus, G
& nostratibus anteponi, & sapientiam pere-
grinam, atque advenam indigenæ præferri
necesse est. Quapropter nostris hominibus,
qui non expertes artium laudatarum sunt,
patere Orbem terrarum videmus, & ubique
sapientiam eorum tantis affici præmiis, &
honoribus, ut, qui Patriâ fruimur, cum
ipsis collati exules esse videamur. O exi-
miam vim litterarum! o præclarum Sapien-
tiæ munus! o artium optimarum præstan-
tiam singularem! Hercules interrogatus H
Argivus esset, an Thebanus, respondisse
fertur: mihi verò Patria est Græcia uni-
versa; magnificè dixisse creditur, qui non
unam civitatem, sed nobilissimam Provin-
ciam suam esse Patriam cogitavit; quanto
magnificentiùs, qui ingenuas artes profi-
tentur, non unam Provinciam, sed Or-
bem terrarum universum Patriam sibi esse
verè possunt prædicare? Athenienses ve-
teres Demosthenes tanti suæ civitatis jus
fecisse testatur, ut Alexandro Macedoniæ I
Regi pro magnis in Rempublicam meritis
non civitatem, sed hospitium decreverint:
Corinthios ferunt nemini externo, nisi
Herculi Thebano, & Alexandro Magno
civitatem esse largitos. Si tam præclarum
munus a sapientissimis populis est judica-
tum adsciscere exteros in unam civita-
tem, quanto præclarius est sapientiæ do-
num, quod non unius urbis, sed omnium
nos efficit cives? An verò non id ita se
habere censendum est? quid est aliud K
consequi civitatem, nisi in eâ posse hono-
res adipisci? qua re, quæso, advena, &
inquilinus a cive differunt, nisi quod illi
deteriore sunt loco, & conditione, carent
clientelis, carent amicitiis, carent Repu-
blicâ; hic autem his omnibus fruitur, inter-
dumque Rempublicam administrat. Quum
autem Sapientes in quamcumque urbem
devenerint, summis honoribus afficiantur,
abundent amicitiis, abundent clientelis,
Reipublicæ administratio sæpe ipsis deman- L
detur, omnes eos populi non tamquam a-
lienos, sed tamquam suos complectantur;
quis ipsos hospites, non cives omnium
civitatum esse arbitretur? Hoc autem quid
aliud est, quàm habere fortunam in pote-
state? Nam cujus opes uno loco conti-
nentur, facilè his omnibus exui potest;
cujus verò fortunæ tam latè patent, ut Or-
bis terrarum finibus terminentur, cur ul-
los fortunæ impetus pertimescat? Sed
quid ego in his angustiis orationis tamdiu M
sum immoratus? quid Orbem terrarum lo-
quor? quin ex hoc quasi gurgustio edu-
ctum in possessione veræ Patriæ Sapien-
tem colloco? Illa Mundi immensa moles,
ille aëri circumfusus Æther, pulcherrimis
ornatus, distinctusque signis, illi orbes
cœle-

cœlestes vastissimi, admirabiles, & sempiter-
A ni, qui tam incredibili celeritate convol-
vuntur, tam purâ, tam jucundâ luce col-
lucent, Patria sunt Sapienti. Nec aliò spe-
ctare dixerim, quod doctissimi viri prodi-
derunt, cum Mundum Deorum, atque ho-
minum civitatem appellarunt; non me-
hercule illorum hominum, qui proni in
terram, & cœlestium inanes nihil altum
suspiciunt, nihil splendidum concupiscunt;
sed illorum, qui hanc altitudinem siderum,
hunc admirabilem Mundi ornatum, hunc
B immensum, immortalemque splendorem ad
se putant pertinere. Nam stulti in hac pul-
cherrimâ Universi civitate semper hospi-
tes versantur, & peregrini; non discunt,
quibus legibus omnia temperentur; non
sese altiùs tollunt, & voluptatum quasi qui-
busdam clavis corpori affiguntur, & in in-
fimam sedem detrusi in eâ hærent, ejus
aspectu, & amore capiuntur; externa sunt
ipsis ea omnia, quibus hic Mundus orna-
tissimus, admirandusque censetur; terram
C spectant, terrestribus pascuntur, & dele-
ctantur, terrestribus opibus inhiant; has ex-
petunt, has admirantur, in his felicitatem
suam collocatam esse censent. At Sapientes
tamquam boni cives primùm sibi leges Uni-
versi putant cognoscendas, his obtempe-
rant, his dulcissimâ cum animi voluptate
perfruuntur; quæ sit rerum materia, quæ
coagmentatio tam stabilis, quæ causa fuerit
Conditori tam præclara moliendi, quibus
elementa numeris colligarit, quo spiritu
D alat hanc molem pæne infinitam, atque a-
gitet, & nectat, inquirunt; tum anima-
lium, lapidum, plantarumque naturam con-
templantur; humani corporis admirabilem,
divinamque fabricam, usum partium, a-
nimi vim, facultatesque rimantur; quæ-
que sublimia aspiciuntur, & implent ad-
miratione Mortales, quibus causis orian-
tur, & in qua regione versentur, investi-
gant; denique nullius naturæ partis ha-
bentur expertes. Sed maximè cœlestium
E avidi Cœli contemplatione pascuntur, il-
lam siderum pulchritudinem, illum ordi-
nem, illam in tantâ Mundi vertigine con-
stantiam admirantur; eorum magnitudines
metiuntur, latitudines intervalla, longitu-
dines, ortus, occasusque scrutantur; quæ
causa eorum motus acceleret, quæ retar-
det, quæ remoretur, ut interdum insiste-
re videantur, quæ regredi cogat, quæ oc-
cultet; cur in immensam altitudinem su-
beant, cur aliquando deprimantur, explo-
F rant, in Cœlo habitant, in Cœlo versantur;
nec impedit eos corpus terrenum, & ca-
ducum, quominus divini Numinis con-
siliis quodammodo intersint, & in con-
sortium veniant Deorum, interpretes na-
turæ, conscii divinitatis, æternarum men-
tium assecla, comites Numinum, testes
magnitudinis, & sapientiæ sui Conditoris.
Quare quum soli Mortalium Sapientes hac G
maximâ, præstantissimaque civitate per-
fruantur; soli ejus leges ad se pertinere
censeant, contemptaque terrâ soli ani-
mos in Cœlum subducant, in eoque habi-
tent, & commorentur, solos Mundi cives
verè esse constat; quo quid præclarius di-
ci potest? Romanam civitatem qui fuerat
consequutus, in ultimis quoque terris sa-
cer, & venerabilis habebatur; nec ullam
fuisse barbariam tam efferatam, quæ Civi
Romano inferre auderet injuriam, lucu- H
lentissimus Auctor Cicero memoriæ pro-
didit, Testatur Scriptor non omnino con-
temnendus, qui Brachmanum mores lit-
teris consignavit, in insulâ Taprobanâ,
quæ Indico Oceano cingitur, Regulum
quemdam a maximo Rege ejus Insulæ im-
mani supplicii genere jussum interfici pel-
le detractâ, quòd Civem Romanum in car-
cerem, & vincla conjecisset. Si tanta fuit
vel in extremâ, sævaque Barbariâ Civium
Romanorum veneratio, quanta esse debet I
Sapientum, qui Mundi Cives esse perhiben-
tur, eum quo comparata Instar est puncti
terra, cujus partem Imperio Romani ob-
tinebant? Enimvero glorientur, magnifi-
ceque se circumspiciant Reges, quòd latè
sui Regni fines propagarint, jactent scep-
tra, jactent coronas, jactent opes, habeant
sibi terram vel universam, pro cujus parti-
culâ cum exitio generis humani inter se
concurrunt; ego præclarius dixerim Mun-
di esse civem, quàm non uni modò, sed K
cunctis gentibus imperare. Vos autem,
Adolescentes humanissimi, cogitate quan-
tum vobis decus, quàm amplum præmium
sapientia meâ voce promittat, & ad susci-
piendos ejus causâ labores vestros animos
excitate. Hannibal Carthaginiensis cum e-
xercitu Romano signis collatis dimicatu-
rus, ut Afros ad prœlium accenderet, pol-
licitus est eos re bene gestâ in suam se ci-
vitatem adscripturum; eo præmio proposi-
to milites immemores periculorum, im- L
memores vulnerum, immemores mortis
conflixerunt, victamque aciem Romano-
rum, Italumque robur profligarunt Ego
vos non hortor, ut cæci in exitium rua-
tis, ut insuperabilem bello gentem laces-
satis, sed ut modicum, nec vobis inju-
cundum laborem gloriæ causâ subeatis;
hujus autem præmium vobis propono non
Carthaginiensem Civitatem, quæ quantum-
libet magna, tamen & erat peritura, & ab
hominibus fuerat constituta; sed hanc im-
mortalem a Deo conditam, a Deo semper M
administratam, omnium præterea civita-
tum, quascumque Sol aspicit, jus quodam-
modo polliceor vobis. Orbem terrarum Sa-
pientiam patefacturam esse confirmo; &
in hanc non toto pectore incumbetis, non
abji-

abjicietis ignaviam, non ad laudem magno
A impetu connitemini? Vobis quidem in Patriâ sub tali Principe, cui patrium est litteras tueri, copias, honores non arbitror Sapientiæ beneficio defuturos; verumtamen si vel voluntas, vel fortuna in alias urbes tulerit, magnum est habere quiddam, quod auferri non possit; quo exteris commendari potentium familiaritates, nominis claritatem, divitias honestâ ratione partas compararetis, Patriamque amissam, vel relictam a vobis non sentiatis; ut quod aliis initium solet esse maximarum calamitatum carere natali solo, vobis incrementum gloriæ, principium felicitatis esse videatur.

ORATIO XIV.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1690.

In solemni instauratione Studiorum.



Gloriosos esse, qui Sapientes colunt; ignominiosos, qui despiciunt.

B ET splendor litterarum tantus est, excellentissimi Patres, Auditores humanissimi, ut perstringat oculos mentis quantumlibet perspicacis, & abundantiâ quadam clarissimæ lucis victos obtundat, hebetet, defatiget; & ingenii mei acies infirmior, quàm ut frequentiùs ferre possit tantam luminis claritatem. Quapropter, nisi me fallit opinio, nemo prudens rerum æstimator consilium improbabit, quo sum aliquoties usus, quum, quò reficeretur animus varietate laboris, & acutiùs deinde posset
C lucem illam immensam dignitatis, & gloriæ, qua Sapientia circumfunditur, perspicere, a laudibus litterarum, atque amplitudine contemplandâ sum tempestivè digressus ad alia, quæ mihi se fortè fortunâ offerebant, nec ab instituto meo, & munere abhorrere videbantur. Sed tamen, quum hac ratione imbecillitatem meam sublevare conatus sim, imparem me fuisse video perspiciendo in ipso fonte splendori Sapientiæ, nec animo, & cogitatione
D tantam majestatem attingere hactenus potuisse. Quare statui in præsentiâ aliam ingredi viam, aliam rationem inire spectandæ tam eximiæ claritatis; & ut illi, qui Solis radios propter exuperantem luminis copiam aspicere non possunt, & tamen cupiunt contemplari, aciem oculorum aliò
convertunt, ubi illi reflectuntur, & vel in E
aquâ, vel in alio quopiam liquore splendidissimi formam Sideris contuentur; sic ego, quum aspiciendo Sapientiæ fulgore caliget victa mens, constitui aliò flectere obtutum animi tam augustam speciem videre cupientis, & non in ipsâ luce litterarum, sed in iis, quæ a litteris illustrantur, & enitent, earum quasi reflexâ, & repercussâ luce defigere. Nam hodierno die demonstrabo, quanta in laude versentur, &
quam immortalem sui nominis memoriam F
consequantur, qui sapientes viros colunt, diligunt, amplectuntur; & quantis in tenebris, & obscuritate jaceant, quamque contemni soleant, qui litteras odere, contemnunt, gloriæ luce spoliatas cupiunt; postremosque Mortalium semper habitos, qui præsenti potentiâ freti sese volunt Sapientibus anteponi. Quod quum fuero consequutus, vobis, ut opinor, satis litterarum splendor apparebit, & digna Sapien-
tiæ præstantiâ species vestris animis obver- G
sabitur. Nam quemadmodum qui cogitat tot sidera, tam vastæ magnitudinis, tanto intervallo remota ab uno Sole tam purâ, tam clarâ, tam splendidâ luce compleri; qui immensam Universi molem ejus radiis collustrari; & densissimis tenebris, & altissimâ caligine obsideri, quidquid est expers omnino radiorum, qui ab illo inexhausto lucis fonte promanant; tantam concipit animo splendoris eximii magnitudinem,
quantam oculis non perciperet, si in illud H
luminis principium aciem intenderet; ita qui tot Reges, tot clarissimos Duces, tantâ imperii magnitudine, tantis rebus gestis, tanto intervallo temporis ab ætate nostrâ disjunctos tam præclarum, tam immortale a litteris gloriæ lumen accepisse reputat; qui omnes homines, omnes nationes, omnesque virtutes animadvertit profundâ caligine oblivionis, æternaque nocte sepeliri, si caruerint hac luce litterarum, vel splendorem
Sapientiæ despexerint; veram speciem I
tantæ claritatis animo complectatur, necesse est, Sapientiamque esse arbitretur quoddam beneficum, & salutare sidus; quod eos, quos benigno lumine aspexerit ex alto suæ felicitatis vertice, fortunet, illustret, augeat, ad Deos immortales quodammodo vehat; quibus verò depressum adsit, aut omnino non adsit, ii miseri, atque ignobili vitæ perpetuis tenebris, & quasi Cimmeriâ nocte obruantur.

Atque ego dum aggredior, Auditores, ad K
ostendendum honores, quibus Viri sapientes afficiuntur, & contemptum, & contumelias, quibus eorum gloriam obscurare conatur inscitia, in auctores contumeliosissimè redundare, non vereor, ne mihi desit ad faciendam fidem argumentorum copia; sed ve-

vereor, ne quod per se lucet, Orationis meæ tenui, & incertâ luce velle ineptissimè videar illustrare. Quid enim clarius, quid apertius, quid vel imperitissimis notius, quàm augustum quiddam, & venerandum, & divinum, & immortale esse in homine rationem; eam dumtaxat imperio natam, non obnoxiam fortunæ, omnium rerum humanarum principem, moderatricemque esse, & divinarum interpretem, & contemplatricem? Quis verò non videt, si hæc divinitas, & præstantia rationi omnium concessu tribuatur, sapientiæ multo magis esse tribuendam? est enim sapientia, rerumque scientia perfectio quædam rationis; perfectio autem cujusque eo ipso præstantior, & divinior habetur. Nisi verò perfectionem minùs perfectam eo, quod perficit, arbitramur; qoo quid absurdius? eadem quippe ratione, & quod illuminat, obscurius, quàm res illuminata; & qui calefacit ignis, minùs calidus, quàm corpus, quod igne concalescit; & qui humectat humor, minùs humidus, quàm illa, quæ humore aspersa perfunduntur; quæ si a veritate immane quantum abhorrent, & sapientiam, quæ rationi addit cumulum quemdam præstantiæ, præstantiorem esse, diviniorenique ipsâ ratione cogimur confiteri. Quod poëtæ veteres commento non ineleganti docuerunt, qui Minervam sapientiæ Deam e Jovis capite ferunt extitisse. Quid enim aliud Juppiter, nisi divina ratio? ex eo igitur non alio Deo, Deave nata sapientia, & nata non ex aliâ nisi præstantissimâ parte, maximeque divinâ dicitur; ut intelligamus mentis esse præstantissimæ fetum sapientiam, & quasi florem quemdam, excellentiamque divinæ, immortalisque naturæ. Ergo meritò sacri, venerabilesque censentur litterarum studiis imbuti homines, liberalissimisque doctrinis; in quibus elucent, & sese efferunt scintillæ quædam luminis illius immensi, quo superæ mentes illustrantur; nec sine causa pleræque gentes eosdem & Deorum immortalium religionibus operari, & colere litterarum sacra voluerunt. Sic apud Ægyptios iidem & Sapientes habebantur, & Sacerdotes: sic apud Persas Magi & sapientiæ gloriâ, & divini Numinis cultu excellere putabantur: sic apud Gallos Druydæ, & rerum scientiæ dabant operam, & divinas res procurabant. Nam quum simile amicum simili, eoque maximè delectari crederent, non aliorum precibus, & sacris magis gaudere Deos arbitrabantur, qoàm Sapientum, in quibus tantam, quanta homini potest contingere, divinitatem inesse judicabant; mentemque lustratam litterarum sacris, & sapientiæ mysteriis initiatam solam conjungi cum mentibus illis divinis posse censebant, quibus inest naturâ, non extrinsecùs accedit sapientia; cujus cultores tanqoam inter homines, Deosque gratissimos, utrisque internuncios, & salutares genios intuebantur. Nec alia fuit opinio ceterorum; neque enim tanta approbatione omnium princeps poëtarum sapientissimam Deam justo, & sapienti Viro gravisam esse dixisset; aut Romanus ille Philosophus litterarum studia doctis hominibus esse pro infulis affirmasset; nisi omnes lætari Deos hominum sapientiâ, & liberalibus disciplinis eruditos quoddam gerere non Pontificum suffragio, sed auctoritate naturæ delatum sacerdotium credidissent. Quum autem sapientia quiddam excelsum, & augustum, & divinum sit, & ipsâ rerum moderatrice ratione præstantiùs; & litterarum studiis homines dediti sacri, & veneratione dignissimi, acceptissimique Superis haberi debeant; quis non intelligit omni laude cumulandos, plausu excipiendos, honoribos, gloriâ, litteris, monumentisque decorandos, qui doctrinæ studiis favent, qui sapientiam honorant, venerantur, ornamentis, quibus possunt, doctos viros augent, & insigni benevolentiâ complectuntur? Est enim ita naturâ comparatum, ut qui res veneratione, & laude dignas colunt, atque suspiciunt, magni, & præclari viri habeantur; qui verò humiles, & abjectas, & sordidas admirantur, & putant expetendas non modò laude careant, sed etiam omnium maledictis, & probris, & irrisione digni, & his ipsis rebus, qoas cupiunt, viliores, contemptioresque esse existimentur. Quis enim Xerxem laudat, aot potiùs quis non reprehendit, qoi non contentus deliciis, quas illi cuncta Asia largiter suppeditabat, amplissimum præmium proposuit iis, qui novam aliquam voluptatem invenissent, quasi in eo Persarum salus verteretur? quis Crassum non odit, non calamitate, qua afflictus est, dignum putat, qui, quum ditissimos esset Romanorum, adeo divitias appetivit, ut, quò Parthorum auro potiretur, maximum exercitum coëgerit, expeditionem pararit, qua & sese pessumdedit, & Rempublicam in magnum discrimen adduxit? quis non Apicium contemnit, qui in Africam dicitur navigasse, quò locustis, quas in Libyco Mari capi maximas audiverat, vesceretur? quis Heliogabalum non execratur, qui saltatores, aurigas, muliones, aliosque sordidissimos artifices, & sibi turpissimâ voluptate commendatos homines amplissimis honoribus, & magistratibus affecit, ornavit? Cur ita? quia hi res, & homines honorarunt, & magno conatu appetiverunt, quos haudquaquam tanti facere, aut omnino contemnere oportebat. At verò Tiberium laudamus, qui majestatem suam Romano Se-

nomi submittebat: Hadrianum probamus, qui Orbem terrarum peragravit, ut ea, quæ de natura locorum scriptores prodiderunt, præsens recognosceret: Atoninum admiramur, qui Claudio Pompejano Equitis Romani filio virtute præstanti, sed generis claritate destituto filiam in matrimonium collocavit; ejusque gravitatem, integritatemque morum, innocentiam vitæ, justitiam, fidem, prudentiam aliorum imaginibus divitiis honoribus gestis anteponendam putavit. Sed cum omnes, qui vel expetunt, vel colunt studio res dignas, & præclaras, in laude ponimus, tum maximè eos, qui rationem omnibus anteponunt, jure miramur; neque enim virtus ulla constare, aut prorsus intelligi ratione contemptâ potest, quum aliud nihil, quàm rationi parere virtutem esse dicamus. Qui enim fortes appellantur, nisi qui in terribilibus rationi, non timori obtemperant? qui temperantes, nisi, qui in jucundis rationis imperio obsequuntur? qui justi, nisi qui in hominum societate tuendâ eandem sequuntur ducem? qui liberales, nisi qui eandem pecuniæ, & opibus anteponunt? qui prudentes, nisi qui fugiunt ea, quæ ratio fugienda præcipit, eaque appetunt, quæ appetenda præscribit? Atqui si rationi parentes homines, eamque aliis omnibus antiquiorem ducentes laudibus in Cœlum vehimus; non minore gloriâ dignos putare debemus eos, qui obsequuntur, fascesque submittunt sapientiæ, quæ apex est quidam perfectæ, & omnibus numeris absolutæ rationis. Quod si homines quanto sunt ad divina colenda propensiores, tanto ceteris antecellere, & esse Deo similiores arbitramur; certè laudibus ferre, & admirari decet eos, qui excellenti doctrinâ homines venerantur; quum in his colendis honor Sapientiæ, qua nihil est divinius, habeatur An verò nos ignoramus, quod gravissimorum hominum scriptis est celebratum; bonas artes, & philosophiam esse divini Numinis excellentissimum donum Mortalibus datum, quò mentes a vitiis vindicarent, & ad altitudinem cœlestis originis tollerent? hoc esse verum palladium æternæ Sapientiæ delapsum Cœlo simulacrum, fatale pignus imperii, quo Sapientes rudibus ingeniis moderantur; quod conservat urbes, quod fidem facit divinæ erga humanum genus benevolentiæ; quod a profanis aspici, colique magis est nefas, quàm illud, quod in secretâ Vestæ Æde antiquitus asservabatur. Hoc qui nihili pendunt, qui abjiciunt, conculcant, obterunt, nonne impii, nonne sacrilegi, nonne omni diritate, atque immanitate teterrimi? qui verò colunt, extollunt, ornant, adorant, nonne munerum divinorum memores, virtutis amatores, publico bono nati, cultoresque pietatis meritò judicentur? Clemens Alexandrinus Auctor cum paucis comparandus, & sacrarum scientiâ litterarum, & eruditione, sapientiaque præclarus doctrinam gentibus, quæ legem a Deo non accepissent, quasi alteram legem concessam arbitratur. Hanc ergo qui contemnit, divinam legem contemnit, contemnit lucem ab ipso lucis æternæ fonte manantem, contemnit egregium mentis humanæ decus, & animi sui turpitudine, atque obscuritate lætatur; qui verò suspicit auctorem tanti boni suspicit, gaudet ejus inventis, divinâ munificentiâ delectatur. O præclaram laudem doctrinæ studiis faventium, admirantiumque sapientiam; nosse cœlestis doni magnitudinem, venerari legem sui Conditoris, introspicere latentem in mentibus pulchritudinem, habere cognitam, atque perspectam paucissimis notam excellentissimæ virtutis præstantiam; neque his, quorum splendore vulgus obstupescit, commoveri, sed verâ, solidaque laude duci, & divitiis bonis inhiare! Et sunt adhuc quædam animæ pronæ in terram, & cœlestium inanes, quæ detractum de suâ dignitate putant, quidquid honori doctorum hominum concesserint, quæ extinctum volunt omne lumen ingenii, depressam omnem excelsitatem sapientiæ; nec intelligunt miseræ obsequium, cultumque, qui litteris præstatur, in ejus, qui præstat, decus verti, suamque se famam obscurare, dum obscuratum eunt doctrinæ claritatem? Quæ si non perspiciunt argumentis, quantum sapientiæ tribuendum sit, quia sunt hebetiores ad perspicientiam veri; cur exemplis, quæ stultos etiam solent erudire, non commoventur; quæ docent præstantissimos quosque Mortalium favisse gloriæ litterarum? Quis enim non audivit Philippum Regem, quicum animi magnitudine, & bellicis laudibus, & omni regiâ virtute pauci sunt comparandi; Atheniensibus victis, quibus acerbissimis hostibus fuerat semper usus, civitati pepercisse, quòd ea viros in omni doctrinæ genere eminentes extulisset; & quum amici suaderent, ut in Athenienses exempla ederet, Urbemque Macedonum nomini infestissimam excinderet; absurdum esse dixisse sese gloriæ studio cuncta facientem gloriæ Theatrum evertere; eumdem Aristotelem tanti fecisse, ut Alexandro filio sibi nato non tam gaudere se, quòd filium heredem Regni suscepisset, quàm quòd eo tempore suscepisset, quo Aristotelem præceptorem esset habiturus, præseferret? Quis Alexandrum belli fulmen, & Regum lumen ignorat nulli hominum generi benigniorem fuisse, quàm doctis viris; qui Aristoteli, quò animalium historiam conscriberet, octingenta talenta sit elargitus, &

vel

vel Chœrilum poëtam non admodum præ-
A stantem regiâ liberalitate ditaverit? Anti-
gonum Demetrii filium insignem pietate
Regem, qui patre ab hostibus capto relicto
regno sese in hostium tradidit potestatem,
quò parentem assereret in libertatem; cum
Sapientes omnes, tum præcipuè Zenonem
Cyttieum incredibili semper benevolentiâ
prosequutum; nec dubitasse deposito re-
gali fastu Philosophi domum frequentissi-
mè celebrare, & ingentibus donis Virum,
& beneficiis affecisse; eoque defuncto do-
B lentiùs ingemuisse, questumque sese ma-
gnum theatrum gloriæ amisisse? Non sin-
gulos recensebo Græciæ, aliarumque na-
tionum clarissimos Reges, qui ceteris lau-
dibus hanc etiam colendi, ornandique lit-
teratos homines laudem adjecerunt; ad
Romanos festinat oratio Sed quis erit di-
cendi modus, si omnes velim enumerare
illius maximæ Civitatis Proceres, qui, quum
ad altissimum virtutis apicem pervenissent,
hac etiam gloriâ sese altiùs extulerunt? Nam
C mihi se quasi catervatim offerunt, Scipiones,
Marcelli, Fulvii, Metelli, Catuli, Marii, Lu-
culli, Lælii, Pompeji, Bruti, totus ille cho-
rus fortissimorum ducum: occurrunt animo
Martis manubiæ Musis consecratæ, statua En-
nii Scipionum imposita monumento, tem-
plorum aditus Attii carminibus exornati,
submissi Posidonii doctissimi viri januæ vi-
ctores Orbis terrarum fasces laureati, ser-
vari jussus in direptione Syracusarum edi-
cto Marcelli solus Archimedes, qui solus
D plura, quàm alii omnes damna Romanis
intulerat, florens Lælii, & Scipionis fa-
miliaritate Terentius, cultus ab omni no-
bilitate Romanâ Carneades, Theophanes
Mitylenæus in concione militum civitate
donatus, Fulvio comes Ennius expeditio-
nis Ætolicæ, Panætius, & Polybius parti-
cipes, & socii gloriæ Africani: occurrunt
quotquot unquam Romani Principes im-
perio digni extiterunt: occurrit Cæsar,
occurrit Augustus Jani templo clauso, Mu-
sarum penetralibus reseratis clarissimus: oc-
E currit Vespasianus in doctos viros insigni
liberalitate celebratus, deliciæ generis hu-
mani Titus eloquentiâ, ingenioque præ-
cellens, Trajanus, quo imperante non
magis Romana Respublica, quàm litteræ
pristinam dignitatem receperunt, Anto-
ninus Pius, qui per omnes provincias phi-
losophos, & rhetores honoribus extulit,
pecuniâ locupletavit, Antoninus Philoso-
phus, quem omnes, & præcipuè litterati
F indulgentissimum parentem agnovere, A-
lexander Severus, qui nihil nisi ex docto-
rum hominum sententiâ gessit. Nec de-
sunt etiam sæculis recentioribus Reges, &
Principes laudatissimi, & invictissimi Im-
peratores, qui suæ majestatis fastigium do-
ctrinæ submiserunt, qui doctorum homi-

num amplitudinem suam gloriam sunt ar-
bitrati. Sed quis omnes persequatur? vo- G
biscum ipsi præstantium virorum memo-
riam recolatis, adeo omnes reperietis hac
laude præstitisse, ut angusto esse, & abje-
cto, & vitiis inquinato animo, quicumque
litteris non favet, sitis existimaturi. Quo
major est habenda gloria amplitudini sa-
pientiæ studentium, majusque dedecus con-
temnentium nobiles disciplinas, quòd al-
teri dum student, non hac solùm virtute,
sed aliis præditos esse, alteri dum contem-
nunt, non hoc tantum vitio, sed pleris- H
que sese laborare, nequissimosque Morta-
lium esse declarant. Quem enim fugit ma-
lis odio esse litterarum gloriâ florentes ho-
mines, quorum eloquentiâ posse vident
infamiam sui nominis, nequitiæ, stupris,
turditatis memoriam propagari; magno in-
genio, & excellenti virtute viros iisdem
delectari, quia sperant eorum se beneficio
immortalem gloriam consequuturos. Et
quid ni sperent? quum videant eos quo-
que, qui nihil magnopere laudandum gef- I
serunt, doctorum hominum amicitiâ Po-
steris commendatos? Quid enim dignum
laude fecit Mæcenas voluptatibus diffluens,
& vitâ otiosâ, molli, & delicatâ, & a vir-
tute, cujus est luxuria pestis, alienâ? ni-
hilo tamen secius, quia Musarum cultores
coluit, fovit ingenia, amplexus est bonas
artes, tantum adeptus est claritatis, ut vi-
vat adhuc in scriptis excellentium poëta-
rum, ejusque memoriam nulla sit unquam
obscuratura oblivio Posterorum; nomen- K
que Mæcenatis, quasi quoddam doctorum
hominum propitium numen habeatur. Qui
verò factis nominis æternitatem meruerunt,
litterarum beneficio, & Sapientum præco-
nio ad eam, qua digni fuerant, gloriam per-
venerunt. Tolle Herodoti Musas, tolle hi-
storiam Thucydidis, non tantus erit Mil-
tiades, non tantus Themistocles; Alcibia-
dis res gestæ non prædicabuntur: si Xeno-
phontis eloquentia omni Attico lepore con-
spersa, & suavitate condita siluisset, silere- L
tur Agesilaus, Epaminondæ famam, cum
quo Thebarum gloria floruit, & extincta
est, extinxisset oblivio; nec Cyrus ille su-
perior in tantâ laude versaretur; nec po-
sterior suarum virtutum præmium æternam
esset gloriam consequutus. Quid Cincin-
natos, Curios, Camillos, Fabricios, Ma-
ximos, Africanos, Marcellos, Æmylios,
Flaminios, Lucullos, Pompejos, Metellos,
Cæsares, alios innumerabiles viros? non-
ne sempiternum silentium obruisset, nisi M
Livii, & aliorum scriptorum, & poëtarum
ingenia eorum famam ab interitu vindicas-
sent? Contra verò quibus Musæ bellum in-
dixerunt, ii quantâ dedecoris, & infamiæ
labe sunt aspersi, quàm jacent, quàm con-
temnuntur! Thersiten Libanius non con-

temnendis argumentis docet fuisse virum
A gravem, & publici boni studiosum, & im-
pigrum bello, & osorem vitiorum, quæ so-
lent omnia in laude poni; sed, quia Ho-
mero visum est hominem probrosis carmi-
nibus notare, Thersitæ nomen in igno-
miniâ summâ, contemptuque versatur: Me-
deam tanquam veneficiis insamem, & im-
piâ filiorum cæde commaculatam, licèt in-
nocentem, omnes execrantur; hanc autem
tragici poetæ notis infamiæ sempiternis
inusserunt, Corynthiis interfectoribus pue-
B rorum morem gerentes, qui tanti criminis
invidiam in insontem matrem transtule-
runt. Nollem injuriam factam a Musis Di-
doni Reginæ pudicissimæ; sed tamen ejus
calamitas ostendit, quanta sit vis eloquen-
tiæ, quum ea, quæ vitam profundere,
quàm castitatis jacturam facere præoptavit,
omnium consensu arguatur impatientiâ a-
moris impudici sibi necem conscivisse;
nollem justissimum Regem, & Legumlato-
rem sapientissimum Minoem tanquam om-
C nis humani juris expertem Tyrannum re-
prehendi, sed ille suum nomen eâ labe
conspersit, quum bellum Atheniensibus in-
tulit; qui quòd ingenio excellebant, ab eo
affecti damno non diuturno sempiternum
ipsi damnum attulerunt. Idcirco præcla-
rè Plato summopere præcipit omnibus,
quibus cordi est sui nominis claritudo,
ne præstantibus ingeniis facere conen-
tur injuriam; ea quibus irascuntur non
in præsens modò, sed in æternum obsue-
D runt. Sed quid dico his iratis uti esse fu-
giendum? fugiendum est etiam uti minus
faventibus; quando etiam silendo clarissi-
mis, & immortalibus factis sempiternas te-
nebras offuderunt. Miseret me ejus ætatis,
qua nondum erat institutum memoriam
clarorum virorum, atque magnorum litte-
ris consignare; quot præstantissimi duces,
quot fortissimi bellatores, quot pacis arti-
bus insignes viri, quot rerum utilium re-
pertores præmio laudis, & nominis im-
E mortalitate caruerunt? & ut apud Inferos
memorant inter opulentum, atque ino-
pem, formosum, atque deformem, obscu-
rum, illustremque nullum esse discrimen;
sic in illâ temporum caligine, &, ut ita di-
cam, Erebo æternæ oblivionis justi ab in-
justis, fortes a timidis, sapientes a stultis,
mites a sævissimis non discernuntur. Sed
non me miseret eorum, qui, quum sibi
possent doctos viros beneficiis devincire,
quum habendo litteris honore possent æ-
F ternam sibi laudem comparare, his con-
temnendis contemptum sibi, & infamiam
quærere maluerunt: execror Dionysium
juniorem, qui, quum expertus esset, quan-
tum gloriæ fructum percepisset, quum vit-
tatam navem Platoni obviam misit, deinde
mutatâ voluntate injuriosè tractavit Virum,

quem ab omni Græciâ propè Deorum im-
mortalium honoribus affectum esse cerne- G
bat; quæ res ipsi & infamiam attulit sem-
piternam, & causa fuit, ut Regno, & om-
nibus vitæ commodis exueretur: delen-
dum ex hominum memoriâ Caligulæ no-
men puto, qui Homeri carmina abolere,
Livii scripta, Virgiliique, & imagines ex
omnibus bibliothecis amovere conatus est;
ut Mortalium teterrimus clarissima omnium
ingenia obscuraret: vexandum omni con-
tumeliâ Neronem censeo, qui, quum vi-
deret, quanto honori fuisset Agrippinæ ma- H
tri Senecam ab exilio revocasse, & Luca-
num, & Senecam; & tot doctissimos viros
de medio sustulit, ipsamque virtutem Thra-
sea interfecto excindendam putavit: Do-
mitianum detestor, qui, quum sapientiam
omnem e pectore exterminasset, philoso-
phos ejecit ex Urbe, ut esset eadem in Civi-
tate Romanâ, quæ in ejus animo erat, inopia
Sapientiæ. Vos quidem scelestissimi Morta-
lium contemptæ doctrinæ pœnam pertuli-
stis; vel quòd ita vixistis, ut mors vitæ tam I
turpiter actæ sit anteponenda, vel quòd sce-
lerum vestrorum furiis immanibus estis agi-
tati, vel quòd vos omnes acerbissimo odio,
& execratione sunt insectati, vel quòd
mortem inquinatissimâ vitâ dignissimam
oppetistis, vel quòd doctorum hominum
scriptis infamia vestri nominis ad æter-
num tempus propagata est; miror tamen
& fuisse, & esse nonnullos, qui vos in con-
temptione hominum litteratorum imitari,
quàm optimos quosque Mortalium, & ma- K
luerint, & malint; qui ab insectatione Sa-
pientum exemplo vestro non deterreantur,
velintque crescere ex contumeliâ littera-
rum, nec honorem studiis honestissimis ha-
bitum, sed aliquid cupiant de eorum di-
gnitate detractum; qui non animadvertunt,
quantam suo nomini faciant injuriam,
quàm malè consulant famæ, quantam in-
ferant labem existimationi suæ: Etenim si
a nobis tot allatis exemplis verissimè pro-
batum est eos, qui nominis claritate ceteris L
præstitere, benevolentiâ, qua Sapientes
complexi sunt, tantam sibi famam colle-
gisse; eos verò, qui iisdem inimicis, infe-
stisque sunt usi, quamvis virtute laudem
meruissent, tamen infamiâ, & contemptu
apud Posteros laborasse; qui verò his æta-
tibus extiterunt, quibus nondum præclari
viri scriptis illustrabantur, vel nondum
studia litterarum florebant, eos nullam sui
nominis famam reliquisse; pessimos verò
Mortalium, qui Sapientes odere, omnium M
odio, omnium maledictis, omnium insecta-
tione fuisse dignissimos; nonne consequens
est a litteris omnem gloriam proficisci, præ-
sertim eam, quæ in memoriâ vivit Postero-
rum; in doctorum hominum manu positum,
quantum quisque famæ, quantum laudis
con-

consequatur? Quemadmodum ergo si esset
A aliquis, cui Superi concessissent, ut omnes
opes, omnesque divitias haberet in potesta-
te, qualis a poëtis fingitur Plutus; qui ei
honorem haberent, qui obsequio, cultu-
que, & omni ratione sibi eum conjunge-
rent, eos consentaneum rationi est omni-
bus copiis abundaturos; qui verò contu-
meliis lacesserent, contemnerent, parum
colerent, eo amico non uterentur, in sum-
mâ inopiâ, atque egestate vitam traducturos;
ita quum in Sapientum manu siti sint
B omnes gloriæ thesauri, quis non videt eos,
qui Sapientes omni officio, beneficiis, ho-
noribus, benevolentiâ sibi devinciunt,
fore gloriæ compotes, quam solæ litteræ
impertiuntur; qui verò negligunt eorum
gratiam, qui habent despicatos Viros, qui
injuriâ, damno affecerunt, futuros esse in-
glorios, & inhonoratos, & in præsens, &
in futurum omni laudis luce cárituros? Ex
quo efficitur id, quod initio dicebamus,
honorem, qui Sapientiæ habetur, ejus ip-
C sius, qui habet, esse decus, & amplitudi-
nem; injurias, quæ sapientiæ inferuntur,
in inferentium dedecus, probrum, igno-
miniam redundare. Et quisquam non co-
lit sapientiam, & quisquam doctis viris vult
anteponi; quum quanto cum his ambitio-
sius contenderit, tanto sibi majus dedecus
sit quæsiturus; quum obsequi, non adver-
sari sapientiæ in laude ponatur? Nec ve-
rò quisquam est tantis opibus præditus,
aut in tam alto dignitatis gradu collocatus,
D qui sibi concedendum excellentibus in-
geniis, artibusque præclaris jure indigne-
tur. Alexander Macedo, qui Magni co-
gnomen rebus gestis, potentiâ, virtute,
gloriâ adæquavit, quum intellexisset A-
pellem puellam, quam ipse diligebat, de-
perire, suos amores egregio Pictori dono
dedit; ingenio præstantis artificis cede-
re pulchrum putavit ille, cui cesserat Or-
bis terrarum; qui Reges omnes priùs ge-
nitos, futurosque postea cunctis laudibus
E anteceffit. Qui mutam artem tanto ho-
nore impertivit, quid hic fecisset Sapien-
tiæ, quid Oratori, aut Poëtæ, aut Histori-
co eloquenti? Quum verò ingenia, præcla-
rasque facultates magnitudini suæ præpo-
suerit Alexander, quis est tam illustris,
tam opulentus, tam fortunæ muneribus
potens, ut sibi turpe ducat, quod Alexan-
dro perhonorificum fuit? Et verò si rerum
naturam contemplari velimus, nihil est
tam magnum, nihil tam excelsum, nihil
tam eximium, quod non ingenio jure tri-
F buatur; neque enim fortuna, neque ex-
cellentes opes, neque ulla dignitas, aut
amplitudo cum ingenio possunt ullo mo-
do comparari. Nam ea omnia, quibus im-
periti elati fastu intumescunt, externa sunt,
nec habent quidquam veri, quidquam inte-
rioris boni; ingenium verò intimum est ani-
mi, & præstantissimum bonum, cui cuncta G
humana cedunt, quod nos cum Deorum im-
mortalium præstantiâ, naturaque conjun-
git; id proprium est hominis bonum, pro-
pria dos, propria virtus, qua mutis animan-
tibus antecellimus. Ut Leo, & Equus il-
le est præstantissimus, qui propria Leonis,
& Equi virtute ceteris est anteponendus;
ita homo præstantissimus ille est, qui inge-
nio propriâ hominis virtute præcellit. Fre-
mant omnes licèt, dicam quod sentio, mi-
hi videntur nobilitas, opes, dignitates, H
principatus infinitis partibus ab ingenii
dignitate superari; quibus qui gloriantur,
non intelligunt hæc ipsa, quæ magna pu-
tant, quæ admirantur, quibusque sese ef-
ferunt, & jactant, si ingenio omnino care-
rent, quo hæc animadvertunt, sibi non ma-
gis profutura, quàm Caligulæ equo marmo-
reum equile, & eburneum præsepe, & fa-
milia, & supellex pretiosa, & consulatus
destinatus profuerunt. Sed sunt nonnulli
angusti animi, demissi, opinionibus vulgi I
obcæcati, ingenio utuntur exiguo, & im-
becillo; ideo non perspiciunt ingenii di-
gnitatem, non cernunt latentem in men-
tibus lucem divinam, non capiunt ampli-
tudinem Sapientiæ, ad contemplationem
veritatis, quasi claudi ad cursum non exci-
tantur; quos ut aliquando missos faciamus,
& ad vos, Adolescentes, convertatur ora-
tio, reputate vobiscum, quanta sit docto-
rum hominum dignitas, & amplitudo. Re-
gibus ipsis, qui sunt in altissimo humana- K
rum dignitatum fastigio collocati, amplum,
& gloriosum fuit litterarum gloriâ floren-
tes venerari, omni obsequio demereri. Si
tantus est splendor, tanta excelsitas, tanta
majestas eorum, qui obsequuntur, quanta
erit eorum, qui obsequio, cultuque di-
gnissimi judicantur? si tanti cultores ha-
bentur, quàm ampli erunt docti viri, qui
coluntur? Nihil Antiqui majus ad maje-
statem Deorum declarandam excogitare
potuerunt, quàm ut Reges juberent ea, L
quæ ad Numinis cultum pertinent, admi-
nistrare; ego quod majus afferre possum
argumentum doctorum hominum dignita-
tis, quàm quo sum usus, quum ostendi Re-
ges Regum præstantissimos eorum cultores
haberi voluisse, & hac ratione immortale
sibi decus, & gloriam paravisse? Hoc quum
cogitaveritis, & quum vobis quoque pate-
re ad tantam altitudinem viam cognoveri-
tis, non dubito, quin omnem laborem sitis
perlaturi, omnes molestias, omnes acerbi- M
tates, si quæ sunt subeundæ, æquo animo
devoraturi, quò tandem omnibus difficul-
tatibus, angustiisque superatis, Sapientiæ
compotes, & gloriæ, quæ ex eâ profici-
scitur, evadatis.

ORATIO XV.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1691.

In solemni instauratione Studiorum.



Sapientia Fortunæ victrix.

Quum decimusquartus hic annus, excellentissimi Patres, Auditores ornatissimi, ad litterarum laudes celebrandas me vocet, quanto longiùs progredior in dicendo, tanto certioribus argumentis intelligo nullum esse lumen ingenii, nullum flumen eloquentiæ tantum, tantamque copiam, quæ non modò Sapientiæ pulchritudinem, majestatem, amplitudinem exornare, sed multitudinem ornamentorum, quibus ea illustratur, & splendet, possit recensere. Nam quum jam toties verba fecerim ex hoc loco de præstantiâ litterarum; tamen adhuc tam multa, ac tam va-
B ria, tamque splendida se se offerunt orationis argumenta, ut non invenire quid dicam, sed eligere quid potissimum dicendum sit, mihi difficile inprimis esse videatur; sed in tantâ rerum copiâ, quæ animum dubium, & hæsitantem in varias, diversasque partes trahit, unum occurrit Sapientiæ decus ceteris præferendum, quod vereor, ne tot annis pæne turpiter prætermiserim. Nam hactenus, Auditores, perinde possim reprehendi, atque ille, qui Han-
C nibalis, vel alterius alicujus Imperatoris laudandi susceptâ provinciâ, solertiam ducis, animi magnitudinem, studium rei militaris, audaciam, prudentiam laudibus ferat; quæ ille gessit adversùs hostes, quæ trophæa constituit, quas victorias est consequutus, non exequatur: non dicat Saguntum expugnatam, pacatas Hispanias, patefactum per Alpes iter nulli Mortalium antea pervium: non commemoret Italiam belli terrore concussam, & horribili pro-
D cellâ percolsam, & labefactatam: non prædicet Ticinum, Trebiam, Thrasymenum, Cannas Romanis cladibus nobilitatos: non tot urbes captas, aut in deditionem acceptas, non admotum obsidionis terrorem, & periculum servitutis Urbi gentium Reginæ dicendo persequatur. Ego quippe Sapientiam vitæ ducem ornandi laudibus obire munus coactus, moltas ejus, præclarasque dotes percensui multas utilitates ab eâ partas humano generi, constitutasque numeravi, multa ornamenta, quibus ejus munere honestatur hominum vita, collegi; maximum opus, Auditores, maximum, præstantissimumque prætermisi; bellum, E
quod adversùs infestissimam hostem Fortunam ingenti cum gloriâ gerit, triumphos, quos de cæcâ, & temerariâ Deâ splendidissimè ducit, enarrare supersedi. Fortuna, quam omnipotentem quidam appellarunt, quæ Regna subvertit, quæ potentissimos Reges e summo fastigio dejectos in ludum litterarium compulit; quæ fortissimos duces insignes trophæis gentium devictarum, spoliatos donis, quæ ipsa con-
gesserat, affectos atroci calamitate coëgit o- F
stiatim stipem mendicare; quæ opulentissimas urbes momento temporis hausit, prostravit, obruit, suis ruinis consepultas; quæ denique Orbem terrarum arbitratu suo miscet, & summis ima commutat, semper incerta, semper instabilis, fautrix improborum, virtutis hostis, rectè factorum adversatrix, fidentium sibi pernicies, atque labes, regnum quoque Sapientiæ tranquillum, felix, excelsum, inconcussum perturba-
re conator, & quum blanditur, & quum sæ- G
vit, æquè metuenda ejus firmitatem nititur convellere, & labefactare; id difficillimum certamen sapientiæ proponitur; cetera eoim omnia Sapientiæ parent, & obsequuntur; Fortuna dumtaxat adversatur, & reflat; & hujus temeritas cum illius prudentiâ, inconstantia cum stabilitate, cum moderatione libido, levitas cum gravitate confligit. Cum hac hoste congredi, hanc omnia vincentem superare, hanc Regibus illudentem irridere, hujus insidias vitare, H
blanditias aspernari, pervicaciam contundere Sapientiæ præclarissimam esse laudem statuerim. Quæ ne temere a me, quum alia multa ejus decora collegerim, omittatur, hodierno die mihi proposui demonstrandum Sapientiæ beneficio id assequi excellenti doctrinâ viros, ut tam adversam, quàm prosperam fortunam moderatè ferre possint.

Atque ego non vereor, Auditores, ne
quis vestrûm, quum videat res Mortalium I
universas fortunæ quasi tyranni cujusdam immanis, & impotentis imperio subjectas in hoc regno, ubi temeritas tanta, casusque versatur, hospitem, & peregrinam sapientiam servitii communis expertem, & lege, qua tenentur cetera, solutam esse diffidat. Nam licèt in hunc Orbem, in quo fortona dominatur, delapsa Cœlo Sapientia ad tyrannum se contulisse, & servire cum ceteris quodammodo videatur, quum Sophocles verissimè dixerit: K

Quicumque verò se ad tyrannum contulit,
Servus tyranni est, liber etsi venerit;

tamen ea est natura Sapientiæ, ut & in tenebris luceat, & libera sit in servitute, & regnet in tyrannide; & quemadmodum lux in

in lutulentum locum demissa non inquinatur; A ita Sapientiæ claritas, quamvis in servitutis quasi quibusdam sordibus versetur, non obsolescit. Declarant id exempla Sapientum, quorum in Patriâ serviente non est labefactata libertas: declarat Solon, qui Pisistrato injustè Regnum Athenis occupante suis civibus documenta dedit & animi magnitudinis, & libertatis: declarat Socrates, quem triginta Virorum tyrannide constitutâ non vultus, aut minæ tot instantium tyrannorum perpulerunt, ut con- B tra jus, fasque eorum decreta comprobaret: declarat Cato, qui Cæsaris armis oppressâ Republicâ vitam priùs amisit, quàm libertatem: declarat Thraseas, qui Neronis imperio sævo, & detestabili fractâ jam virtute pristinâ Romanorum, nihil indignum homine libero, nihil alienum Sapientis gravitate, & constantiâ dicitur admisisse. Et sanè quis est, cui servire Sapientia jure non indignetur? quæ filia mentis æternæ super altitudinem Cœli, side- C rumque, ante ævi, temporumque ortum genita cunctas complexa partes Universi in Sole domicilium suum collocavit; & quum altissima quæque, splendidissimaque maximè perlustret, & cohonestet, hanc infimam sedem non aspernatur; sed permeat, & illustrat omnia, & præcipuè mentes humanas; quas, ubi suæ claritatis invenit capaces, mirificè diligit, ad seque convertit, & asserit in libertatem similes Deo quodammodo factas, amore summi boni de- D flagrantes, operum divinorum indagatrices, memores præstantiæ suæ, & dignitatis, cœlestium cupidas, rerum humanarum contemptrices. Fortunæ verò minimè Sapientia ancillatur, Fortunæ, inquam, quæ fetus est quidam cæcus, & temerarius materiæ fluctuantis, & a ratione desciscentis, & artificem fingentem propter impotentiam frustrantis, & regi nescientis; quæ in Orbe terrarum tanquam in gurgustio quodam versatur, nec attingit cœlestia, nec E miscetur immortalibus, & exiguam partem sibi vindicat rerum caducarum. Hanc inconsultis motibus agitatam, modò huc, modò illuc volitantem, & volubili globo, & fallente vestigium insistentem, nec veris instructam viribus, sed inani specie, larvisque terrentem, illudentemque Mortales, nec animos veris præmiis allicientem, sed imagine boni fictâ, simulataque mentes improvidas inescantem, illecebris falsarum voluptatum, falsæ magnitudinis, F falsæ potentiæ, falsæ felicitatis omnibus imponentem Sapientia contemptrix inanium, & falli nescia diligat, admiretur, aut pertimescat? huic serviat, ab hac pendeat, huic se tradat constringendam? Bardesanes ille Syrus Auctor insignis ex eorum numero, qui fatum in siderum positu, motuque consistere, eoque omnia putant evenire, cuncta quidem, quæ sub orbe Lunæ G continentur, fati legem sequi, & ejus inenodabili nexu vinciri asseverat; animorum putat esse vim tantam, tantamque dignitatem, ut fato non alligentur: Stoici, qui ex altioribus causis pendere fatum, eoque omnia fieri arbitrantur; tamen aliquid loci libertati relinquunt animorum. Si tantam illi, qui fati quadam catenâ revinciunt universa, volunt animorum esse præstantiam, ut fato non famulentur; ego arbitrer famulari fortunæ, quæ quasi quædam H famula fati a philosophis inducitur? Atqui si ullâ arte possunt animi in libertatem se vindicare, & excutere fortunæ jugum, sapientiâ certè possunt; quæ fortuita contemnere, nec secundis rebus efferri, nec adversis deprimi, & perturbari docet. Atque utinam minùs homines externis ducerentur, nec se, quum libertate omnes natura donaverit, sponte, dum vel opes, vel voluptates, vel honores consectantur, fortunæ, cujus hæc in manu videntur es- I se, sese turpiter addictos manciparent, omnes impotentis dominæ servitio vacaremus; nec animus ille excelsus, & immortalis pulcherrimum simulacrum sui Conditoris in tantâ turpitudine versaretur, ut arbitrio fortunæ levissimæ rei, vel mærore, luctuque tabesceret, & mutis animantibus invideret, vel lætitiâ gestiente efferretur, & immodicè exultaret. Sed quoniam corporis commoda nimium homines amplectuntur, & specie quadam ina- K ni terribilium commoventur; sequantur sanè fortunam ducem imperiti, suæ libertatis immemores durissimum jugum accipiant; vincula, quibus astringuntur, exosculentur; sit illa stultitia generis humani præpotens, & præclara, Deorum immortalium honoribus, cultuque mactetur; ducat quasi in triumpho captivos Reges, ducat Imperatores; circumfundatur spoliis gentium, quas in Cœlum evectas ipsa, quæ sustulerat, impulit, dejecit, deturbavit, af- L flixit; innumerabili hominum turbâ partim ejulantium, partim gestientium, partim admirantium, partim plaudentium, partim muneribus ejus, & missilibus inhiantium triumphalis cæcæ Deæ pompa celebretur. Ab hoc tamen cœtu liceat abesse illi sacro, & venerabili choro Sapientum, qui non fortunam, sed Minervam colunt, qui non in corpore, sed in animo felicitatem collocarunt. Nam quàm absurdum, Deus immortalis, & quàm turpe M spectaculum videretur! si Crœsus ille, qui se, quia purpurâ, auroque fulgeret, ingentesque thesauros congessisset, Mortalium beatissimum existimabat, eadem catenâ, qua Antisthenes, qui attritâ laceraque veste, & paupertate gloriabatur, vinctus tra-

here-

heretur: si mancipium turpissimarum volu-
A ptatum Sardanapalus, qui ventre, & obscenis cupiditatibus explendis felicitatem metiebatur, cum Xenocrate victore libidinis, opum contemptore, de rebus humanis triumphantis fortunæ currum sequeretur: si Epicurus, qui hortuli proventu contentus Regum opes non requirebat, si Crates, qui luculentissimum patrimonium suis civibus est elargitus, quò sapientiam magis liber, expeditusque sequeretur, cum Crasso, qui, quum amplissimis divitiis non
B acquiesceret, totum Parthorum aurum concupivit, cum Apicio, qui quum ferè millies sestertiûm profundâ ingluvie absumpsisset, centies sestertiûm, quod supererat, voluntariâ morte, quasi egestatem summam effugit, jungerentur: si denique Polycrates Tyrannus infelix in secundâ fortunâ, in adversâ miserrimus, & Pythagoras tranquillitate vitæ cum Superis, ut ita dicam, comparandus, si Xerxes insanus, & sapiens Democritus, si teterrimus Dionysius, &
C divinus Plato, si Cleon improbus, & excellenti Pericles probitate, Hyperbolus nequam, & Demosthenes præstantissimus, Catilina Reipublicæ pernicies, & Cicero Patriæ pater eodem jugo premerentur; & in eadem turbâ fortunam in Cœlum ferentium, fortunam adorantium, fortunam exhorrescentium optimi, deterrimique Mortalium conspicerentur. Veruntamen multo aliter se res habet; non tam malè agitur cum rebus humanis, ut nihil cognitio
D rerum imprudentiæ, doctrina inscientiæ, sapientia stultitiæ antecellat. Nam primùm omnium docti, & sapientes viri sævientis fortunæ faciliùs tela vitant, pauciores plagas accipiunt, quàm imperiti; ut enim Plato præclarè dixit, aureis sapientiæ armis cum fortunâ præliantur, multa, quæ sunt casura, prævident, ea, si declinari possunt ullâ arte, declinant; sin verò non possunt, animo paratiore, ob eamque causam æquiore, quum prævident, patiuntur. Et que-
E madmodum excellenti scientiâ rei militaris Imperatores in rebus asperis constituti minore cum clade periculis defunguntur, & sæpenumero bene consulendo adversa corrigunt, & emendant; nec tam de hostibus, quàm de malignitate fortunæ magnificè solent interdum triumphare, ita Sapientes in rebus turbidis minùs læduntur, multo minoribus damnis afficiuntur, & artificio quodam vitæ regendæ, fortunæ ferociter insultantis impetus eludunt, eaque
F invitâ rerum prosperos exitus consequuntur. Deinde quamvis interdum ita sæviat fortunâ, ut ejus impetus nullâ ratione provideri, nullo consilio vitari, nullâ arte, nullaque vi comprimi possint, & retardari; multo leviùs tamen Sapientum animi, quàm stultorum percelluntur, quod ad fortunæ

fluctus, tempestesque sustinendas a doctrinâ sunt firmiores. Et sicut turbido Cœ- G
lo, ac minaci, ingruentibus nimbis, furentibus ventis, mari tumente, fluctibus, ac procellis, turbinibusque agitato, & sæviente, navis carie putris, infirmis laterum compagibus, armamentis, & bono gubernatore destituta hauritur undis, aut dehiscit, aut impingitur scopulis, aut vadis illiditur; contra validum navigium periti rectoris industriâ moderante, nauticis armis instructum probè minùs periclitatur, H
& maris, Cœlique sævitie contemptâ salvum in portu collocatur; ita in hoc vitæ salo difficili, & scopuloso, multorumque naufragiis infami, aliquo adversæ fortunæ turbine excitato animi imperitorum, quum sint infirmiores, & a ratione quasi perito gubernatore non regantur, careant autem rerum scientiâ, careant bonis artibus tanquam armamentis, calamitatum fluctibus obruuntur; animi verò doctorum his omnibus instructi ad portum veræ tranquillitatis enavigant. Etsi enim demersi sunt in I
hoc corpore, quod est fortunæ obnoxium, & fortuitis patet; doctrinæ tamen beneficio segregant se a corpore, & contemplatione rerum assurgunt in altitudinem suæ naturæ, quæ non potest a fortunâ vulnerari. Multa præterea docti viri petunt a tractatione pulcherrimarum artium solatia, quarum jucunditate doloris omnis amaritudo, acerbitasque lenitur; nec sine causâ Epicurus prædicavit se in acerbissimis corporis cruciatibus memoriâ inventorum suorum sublevasse. Multa suppeditant litteræ K
exempla fortitudinis, quibus ad asperrima quæque perferenda mirum in modum animus confirmatur. Jam defixa mens in perspiciendâ veritate quantum a sensu malorum avertitur? quàm longè a cogitatione tristium avocatur? Protogenem ferunt, quum in Rhodi suburbiis Jalysum pingeret, oppugnante urbem Demetrio tantâ dulcedine captum suæ facultatis, ac tam intentum operi fuisse; ut quum omnis cir- L
cum belli incendio arderent, quum vastarentur agri, fumarent villæ, mare classe infesta, terra peditum, equitumque discursu personaret, inter hostium tela, inter clamorem inconditum præliantium, cædesque, & vulnera, quum trepidæ urbi machinæ admoverentur, quum muros aries hostilis quassaret, magnitudinem præsentis periculi non expaverit, & pulcherrimum ingenii monumentum in medio Martis tumultu elaborarit. Quod operis artifex fragilis, & caduci est consequutus, id Sa- M
piens non consequetur, quum opus non fluxum, & interiturum, sed immortale molitur, ut abducat animum a turbâ circumstantium malorum, & circumfusos fortunæ terrores, strepitusque, & minas asper-

per-

perhetur? Sed cur ego parva confector?
A cur colligo remedia adversæ fortunæ, tanquam ea possit nocere Sapienti? cur non
fortiùs ago? non dico fortunam inanes larvas circumferentem; vanas præ se
agentem formidines, imperitos, tanquam
pueros in tenebris trepidantes, quibusdam
spectris, umbrisque terrirare, & terribiles
illas formas egestatis, & laboris, & mortis
non suapte naturâ, sed, ut ait Poëta, visu
esse metuendas, quæ, ubi Sapientiæ lux
affulsit animis, detractâ specie falsi mali,
B discussaque erroris caligine minimè pertimescendæ esse videantur? Neque enim ea,
quibus adversa fortuna intoleranda nobis
apparet, suâ vi mentes commovent, &
metum, terroremque incutiunt Mortalibus. Nam si mors, exilium, paupertas, amissio Liberorum, ceteraque Fortunæ vulnera suâ naturâ non sunt ferenda; cur Epaminondas in acie lætus moritur? Canius
ludens, illudensque Tyranno ad supplicium proficiscitur? cur in exilio jucundissimè vivit Rutilius? cur se in acerbissimis
C doloribus beatissimum prædicat Epicurus?
cur Anaxarchus in mortarium conjectus, &
ferreis pilis côtusus insultat tyranno, cruciatusque sævos, intolerandosque deridet? cur
Diogenes in summâ paupertate tam sibi placet, & beatus videtur, ut se magno Regi
Persarum comparet? cur Demosthenes extinctâ filiâ domestico luctu antiquius ducens
publicum gaudium ex Philippi morte perceptum prodit in publicum coronatus? alii
D autem in levioribus malis constituti ejulant, conflictantur, tristitiâ, luctuque contabescunt, jacent in sordibus, & squallore, ut ille apud Homerum Priamus lugens
in fimo volutatur; incusant homines, Deosque, & se gravia pati, infanda, insolita,
non ferenda conqueruntur? Non rerum
diversitas discrimen facit, sed animorum;
animi ubi se sapientiæ præceptis tanquam
vulcaniis armis muniverunt, fortunæ telis
eorum levitate perspectâ non sauciantur;
E quia ea non valent naturâ, sed opinione,
& nocere desinunt, quum timeri desierunt.
Non igitur inimicam fortunam sapientiæ
studiis homines dediti magnopere pertimescunt, non franguntur adversis, non abjiciuntur ad luctum, quum sciant ejus ictus ad animum non pervenire; eo autem
salvo, & incolumi levem corporis, & ad
corpus pertinentium rerum jacturam arbitrentur. Est enim ita naturâ comparatum,
ut qui acerrimo studio alicujus rei sunt accensi, rerum aliarum damnis haudquaquam
F moveantur; dum eo, quod diligunt, quod
amplectuntur, quod primum putant, non
spolientur. Spartana mulier ex acie hospitem redeuntem percontata est, quo res loco verterentur; quum responsum accepisset quinque ejus filios prœliantes vulneribus confectos occidisse; non id, inquit, interrogo, sed quæ fortuna sit Patriæ; quum C
vicisse Patriam cognovisset, æquo animo se
ferre dixit mortem filiorum, præsertim cum
tantâ laude conjunctam. Quod maximè omnium Patriam diligebat Spartana, ea victoriam consequuta carissimorum pignorum necem nihil ad se putavit pertinere; eodem
modo Sapientes, qoum animi curam præcipuam gerant, quum in eo excolendo sint occupati, minùs molestè ferunt rerum externarum jacturam, minùs anguntur corporis damnis, quæ a Fortunâ invehuntur; quum eam H
sciant nihil habere juris in animo, nec posse
tanto apparatu terribilium, tanto agmine calamitatum ad mœnia arcem inexpugnabilem,
invictam, inaccessam occupandam, nisi nobis
annuentibus, aspirare; eâ salvâ, salva omnia esse arbitrantur, & ut olim Palladio servato non posse expugnari Ilium videbatur;
sic incolumi sapientiâ homines in servitutem redigi non posse intelligunt. Ergo doctrinæ studiis excellentes viri in quolibet
Fortunæ turbine, & procellâ inconcussi I
manent, manent imperterriti; & quum, ut
ait Poëta Lyricus, virtute suâ se involvant,
fortuitis non patent, contemnunt Fortunæ minas, non animum timore demittunt,
non ad miseras preces descendunt, non
immodicè mærent, aut perturbantur; &
in quantumvis humilem detrusi locum suæ
magnitudinis meminerunt, quæ non rebus externis, non pompâ magnæ fortunæ, non sanguinis claritate, non dignitatis gradu; sed rerum scientiâ, sed ingenii K
bonis, sed virtutis excellentiâ metienda
est. An verò non exempla Sapientum declarant hanc adversùs omnem Fortunæ conatum, omnemque rerum asperarum incursum Sapientiæ fuisse firmitatem? Non
hîc ego commemorabo Platonis constantiam, qui non elatior fuisse dicitur, quum
a Dionysio regali pompâ exciperetur, &
quum ab eodem exutus omni dignitate
indignè servituti addiceretur: non Diogenis animi magnitudinem, qui quum servus L
esset, adeo non est a Fortunâ dejectus, ut
censeret æqoum se liberis, & dominis imperare: non Polemonis animi firmitatem,
qui numquam in tristibus rebus vultum dicitur contraxisse: non Epicteti magnanimitatem, qui quum conditione servili esset, & corpore mutilo, & summâ inopiâ
premeretur, tanto animo adversa pertulit,
ut nihil unquam, nisi excelsum cogitaret,
& Sapientem solum esse Regem, esse felicem, & divitem exemplo confirmaret. Nolo philosophorum in adversitate fortunæ M
virtute laudandâ conciliare fidem orationi
meæ; id enim esset infinitum; duorum
ego oratorum, quos minùs fortes fuisse
nonnulli existimant, utar exemplis. Demosthenes fractâ jam Macedonum armis

Athenienfibus potentiâ, quum in exilium
A pulsus in Neptoni templum confugisset;
tantâ mentis tranquillitate, tantâ constan-
tiâ necessitatem ultimam tulit; ut, quum
sibi necem inferre constituisset, inclusum-
que calamo venenum ori admoveret, non
vultus mutatione, non vocis, non ullo
trepidationis indicio animum proderet mo-
ri obstinatum; & Archiam ab Antipatro
missum falleret, tamquam calamum sume-
ret scripturus ad suos, non sibi mortem con-
sciturus. Tantum illi studia litterarum fir-
B mitatis addiderunt, ut qui naturâ mollior
habebatur, ob eamque causam malè audi-
verat, mortem, quod extremum, quod fa-
vissimum, quod maximè violentum, & for-
midolosum intorquet Fortuna telum, con-
tempserit. Quid Cicero, quàm præsenti
mente, quàm constanti Antonii gladio cer-
vicem præbuit? ipsos inimicos animi ma-
gnitudo, quam in morte prætulit, ad
exitum vitæ tam præclari viri laudibus fe-
rendum incitavit; & qui ejus eloquentiæ,
C rebusque gestis invidebant, morti laudem
invidere non potuerunt. Quod si Cice-
ro, quem ad perferendas Fortunæ inju-
rias animo parum firmo fuisse nonnulli
putaverunt, non leve aliquod a Fortunâ
vulnus inflictum, sed ipsam mortem for-
tissimè pertulit; quid utar exemplorum
copiâ? quid fortissimos viros Sapientiæ
præsidio munitos humanæ vitæ casus a-
troces, horribilesque non reformidasse
prædicem? Ac ne quidem, ut probem
D Fortunæ blandientis illecebris non capi,
non inescari, non deliniri, non possunda-
ri Sapientes, mihi video laborandum. An
verò ego verear, ne quis vestrûm existi-
met, quum Sapientiam constet in turbido,
& procelloso mari tutissimè navigare, non
posse in tranquillo secundâ aurâ leniter a-
spirante prosperè velificari, & ad portum
incolumem pervenire? ille verò ludum
putat, quum Fortunæ impetus refutarit,
insidias declinare; quum tela retuderit,
E blanditias aspernari; quum sævitiam despe-
xerit, delinimenta contemnere; & ne a
stultâ, & cæcâ doce sui cultores capiantur,
cavere; cujus fraudes nemo Sapiens non
vidit, non deprehendit, non irrisit. Vos
appello testes, clarissimi viri, sapientum pro-
ceres, qui Fortunæ laqueis non estis irre-
titi, nec insidiis decepti, nec dolis circum-
venti; vos Pythagoricæ disciplinæ doctissi-
mi sectatores, testes cito; qui quum in o-
pulentissimâ Italiæ parte principes essetis
F vestrarum civitatum, nec prosperè fluenti-
bus Patriæ rebus, nec vestris delinici a se-
veritate morum, quam ab illo philosophiæ
principe acceperatis, descivistis; tantum-
que abfuit, ut Fortunæ donis ipsi corrum-
peremini, ut vestros etiam cives regionum,
Cœlique naturâ ad luxum, superbiamque
pronos, quamdiu Rebuspublicis præfuistis,
in eadem disciplinæ severitate contineretis; vos quum universos possim habere A
sententiæ meæ testes, quid singulis com-
memorandis immorer? quid Platonem di-
cam Siculis deliciis, & Dionysii benevo-
lentiâ nihil esse mutatum? Quid Zenonem
tantis honoribus populi Athenienfis affe-
ctum, quum apud Macedonum Regem
excellentissimâ gratiâ floreret, nihil ex vir-
tute pristinâ remisisse? quid Diogenem, A-
lexandro Magno magna offerente, Regis,
& Fortunæ dona aspernatum? quid Sene- B
cam in tantis opibus, & potentiâ tantâ
continentiâ egisse prædicem, ut se spon-
te fortunâ suâ abdicaret, victumque te-
nuem, & frugalem, humilemque vestem,
& parabilem divitum mensis, & cenchy-
liis anteponeret? Non est necesse recense-
re singulos, quum constet omnes ferè, qui
litterarum, & sapientiæ amore vehemen-
tiùs exarserunt, indulgentiâ Fortunæ non
actos esse transversos, & elegantiâ vitæ ce-
teris præstitisse? Unum tamen Antoninum C
Philosophum præterire sine piaculo non
possum; qui quum in fastigio, cui nullum
par unquam fuit, esset a Fortunâ colloca-
tus, quum rebus adversùs Barbaros gestis
Principum superiorum gloriam adæquasset,
fortunam summam cum summâ modestiæ
laude conjunxit. Non virum egregium
Imperii magnitudo, non bellicæ laudes,
non potestas, quæ proximè ad Deorum
immortalium numen accedere putabatur,
inflarunt; non abundantes voluptates, quæ D
undique circumfusæ Cæsarum domum ob-
sidebant, mollirerunt; non opes immen-
sæ a severitate pristinâ vitæ ad luxum, i-
gnaviamque deflexerunt; qui dignitate par
Superis videbatur, moderatione vitæ par
infimis fuit; qui potentiâ omnes anteibat,
licentiæ sibi minimum inter omnes permi-
sit; qui Mortalibus universis imperabat, sa-
pientiæ præceptis semper obtemperavit in-
teger, castus, incorruptus, excelsus, ju-
stissimus, idemque clementissimus, non se- E
veritate puniendi, sed mansuetudine im-
perandi, & caritate erga cives, omnes ad
obsequium sui, virtutisque compellens;
omnium libertatis assertor, non servitutis
exactor; omnium custos, non imperator;
omnium pater, non Princeps. Atque hæc
tanta virtus, tanta in altissimâ fortunâ mo-
deratio totum fuit, o philosophia, donum
vestrûm, litteræ, beneficium; nihil ille,
nisi ex vestrâ disciplinâ, præceptisque ve-
stris egit; quum vestro munere contigisset, F
ut qui suæ ætatis doctissimus haberetur, es-
set idem sanctissimus, & in summâ pote-
state, fortunaque modestissimus. Nec in
hoc solo doctrina quid posset, ostendit,
sed in omnibus Romanæ Reipublicæ re-
ctoribus; quorum studiosissimi quique lit-
tera-

terarum modestissimè magnitudinem For-
A tunæ tulerunt. Nec id mirum videri rerum naturam contemplantibus debet; nam quibus de causis beneficio litterarum docemur adversam Fortunam ferre moderatè, iisdem & secundæ moderari consuescimus; & sicut in rebus asperis ea, quæ videntur formidolosa, contemnimus, quum specie magis esse terribilia, quàm re, detractaque inani larvâ facilè posse tolerari a philosophiâ didicerimus; ita in prosperis, atque prolixis non insolescimus, quum ea,
B per quæ nobis Fortuna blanditur, quorum splendor oculos Mortalium perstringit, futilia esse, nec habere quidquam solidi, aut perpetui boni eadem magistrâ cognoverimus. Jam animus in spectandâ pulchritudine virtutis occupatus minùs capitur splendore Fortunæ, minùs liquescit voluptate pulcherrimis disciplinis exercitus: jam ipse labor, qui suscipitur in colendâ sapientiâ, nonne contrahit, & adstringit animum rebus lætis nimium diffluentem? jam in-
C tenta mens veris bonis contemplandis nonne oblatâ falsorum specie minùs moveatur, minùs gestiat, efferaturque possessione falsæ felicitatis, necesse est? Multum præterea prosunt exempla moderationis, quæ ubique occurrunt studiosis litterarum; multum præcepta Sapientiæ, rationes philosophorum, poëtarum voces, rhetorum sententiæ; quibus eruditi, quàm parum fidendum sit rebus humanis, quanta sit in fortunâ levitas, quàm flagitiosum sit credere
D fallacissimæ rei, quàm pulchrum spem suam in stabilitate Sapientiæ collocare, cognoscimus; his rebus efficitur, ut secundas res faciliùs regamus, quàm adversis reluctemur. Est igitur Sapientia victrix utriusque Fortunæ, qua laude nulla præclarior inveniri potest. Nam quum in rebus humanis omnia Fortuna moderetur, qui animus fortunam domat, eum humanis casibus altiorem, cœlestemque, ac pæne divinum esse fateamur, necesse est; sicut enim
E in Cœlo non habere fortuita locum sapientissimi viri tradiderunt; sic in eo nihil Fortuna potest, sed omnia sapientiæ nutu gubernantur. Quo fit, ut omni temeritate, casuque remoto rationis imperio dumtaxat obsequamur; & quod ultimum bonorum esse clarissimi Auctores affirmarunt, Deum ducem consequamur.



ORATIO XVI.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1692.

In solemni instauratione Studiorum.

De Otio litterato.

NOvam, & inauditam Sapientiæ laudem videor hodierno die tri- F
buturus, amplissimi Patres, Auditores humanissimi, quum pervulgatâ laudationis viâ relictâ, & ceteris ornamentis, quibus abundant litterarum studia, prætermissis, otium Sapientis, & quasi feriatam virtutem exornandam, celebrandamque susceperim. Atque ego non dubito, quin, ut Ulysses Homericus Demodocum præstantissimum vatem monuit, quum Phæacum otiosis auribus accommodatum carmen cecinisset, ut tam G
futile argumentum gravi commutaret, & excidium, occasumque Trojæ, & celeberrimum Græcorum facinus versibus complecteretur; ita me plerique vestrûm putent admonendum, ut abjiciam consilium, nihil agentem, oscitantemque Sapientiam prædicandi, eamque potiùs actuosam, potiùs in maximis rebus gerendis occupatam mihi laudibus ferendam esse præscribant. Quis enim non irrideat oratorem, qui Achillis laudandi susceptâ provinciâ, non ipsius res H
gestas, non virtutem, non audaciam singularem, non ipso arma resumente conversum in hostes belli terrorem, non Trojæ campos immensâ Barbarorum strage cumulatos, non Scamandrum cæsorum corporum acervis compresso cursu retro agentem undas, & intumescentem, non Iliensium animos, & illi muros Herois terribili virtute tremefactos, & Hectoris morte eversam funditus, & extinctam spem Trojanorum; sed amoris intemperantiam ob I
ereptam puellam ingemiscentis, sed imbelle otium in tentorio desidentis, & citharâ curas componentis admiretur? quis non reprehendat eum, qui exilium Scipionis malit celebrare, quàm Hispanias quadriennio subactas, quàm tot exercitus Pœnorum, Hispanorumque deletos, quàm sedatam admirabili prudentiâ, & auctoritate militum seditionem, quàm bis castris exutum, spoliatumque Regno, & captum Syphacem, omnes Carthaginiensium duces pulsos, Italiam diuturno bello liberatam, retractum in Africam Hannibalem, & magnâ pugnâ superatum, & parere coactam Carthaginem Romæ? quis laude dignum putet Lu-

Luculli laudatorem, qui Cyzici solutam
A obsidionem, qui trecenta Barbarorum
millia fame, ferroque deleta, qui præclaram pugnam navalem, qui Mithridatem toties bellum instaurantem, toties Pontum, & Scythiæ efferas nationes, & ultimum Septemtrionem in Romanos cientem fractum, & abjectum, qui Tigranem potentissimum Regem cum infinitis copiis auxilium ferentem Mithridati parvâ manu profligatum, expugnata Cabira, Sinopen, Nisibim, Tigranocerta, Asiamque totam
B liberrimis legibus, & institutis temperatam, illatum Parthis Romani exercitus terrorem prætermittat; cenas in Apolline, amœnos hortos, insanas substructiones, perfossos montes; quibus vir ille maximus malè audivit, & Xerxes togatus est appellatus, ornanda laudibus, & prædicatione, & gloriâ arbitretur? In hanc reprehensionem nonnullis videbor incurrisse, qui silentio præteream hodierno die tot opera Sapientiæ, tantam opportunita-
C tem in bello, tantam in pace rei privatæ, publicæque administrandæ laudem; in otio quiescentia extollendo verser, & ex latissimo campo gloriam Sapientis in angulum angustissimum, recessumque abditum, obscurumque compellam. Ego verò summum decus hoc esse duco Sapientiæ, quod non sicut ceteræ virtutes in negotio, & rebus asperis enitescit, in otio, & rerum tranquillitate languet, & quasi consenescit; sed alitur quiete, sumitque vires, & ado-
D lescit; & quum videtur otium sequi, maximè actuosa est, & quum tenebras vitæ consectatur, maximè splendet, & inclarescit; & quum se a Republicâ abdicavit, tum verò uberrimos Reipublicæ fructus producit. Ac si præclarissimè a Catone dictum accepimus, magnorum virorum, atque clarorum non solum negotii, sed etiam otii extare rationem oportere; hanc laudem propriam Sapientis esse contendo, qui, ut de se dicere superior Africanus solebat, num-
E quam minus otiosus est, quàm quum otiosus videtur. Quare mihi dabitis hanc, Auditores, veniam, ut de laudibus otii litterati dicam; & in ipsâ quiete Sapientis celebrandâ post tot labores ex laudatione Sapientiæ susceptos hodierno die quodammodo acquiescam.

Atque hic ego non dicam maximas virtutes, quæ in contemplatione cernuntur, otio Sapientis contineri: non dicam in otio, tanquam in Cœlo sereno, & puro Solem, clariùs mentibus lumen affulgere
F veritatis: non dicam quantò se se altius efferat solutus animus curis rerum externarum, quæ spectacula videat, quantâ veri perspiciendi voluptate perfundatur: non dicam otium esse portum, in quem quum se receperint Sapientes, fortunæ fluctus, tempestatesque non pertimescant, esse altissimam arcem, unde Mortalium res miseras, casusque despiciant, esse tutissimum receptum, ubi studiosi litterarum cum imperitâ multitudine non misceantur, non hæreant in turbâ, non consuescentur, non fortunæ ludibriis attingantur, esse denique verum libertatem. Neque enim assentior Laconis dicto, qui cujusvis otium putavit esse libertatem; qui quum Athenis audisset quemdam otii judicio damnatum, sibi hominem jussit ostendi, qui libertatis pœnam susferret; nam imperiti, etsi in otio multis curis liberantur, se se tamen tradunt ignaviæ constringendos, nihil animo libero dignum, nihil excelsum moliuntur. Innumeram laudum segetem, quibus otium litteratorum possit efferri non decerpam, non delibabo, non attingam; illud tantummodo dicam, quum ceteri homines Rempublicam administrantes, quotidie caput objicientes periculis, fortunæ fluctus, procellasque subeuntes consequuntur, litteratos otio fruentes, & in maximâ vitæ tranquillitate positos adipisci; & quemadmodum cetera metalla rubiginem, squaloremque ducunt, nisi usu frequenter atterantur, aurum dumtaxat nullis sordibus inquinatur; ita aliorum splendorem obsolescere, nisi niteat usu rerum maximarum; doctorum hominum gloriam semper augeri, semper explendescere etiam agendi opportunitate destitutam. Quid enim essent illi, quorum res gestæ famâ celebrantur, nisi fortuna summos viros difficillimis Reipublicæ temporibus, bellis, periculis, laboribus exercuisset? quid immortali laude Miltiadem decoravit, nisi trepidæ res Atheniensium, & Darii innumerabiles copiæ, quasi diluvio quodam armorum Atticam opperturæ? quid Themistoclem in tanto gloriæ lumine collocavit, nisi Xerxes ad Græciæ vires obterendas Persarum cladibus excitatus? quid Agesilaum, nisi Lacedæmoniorum cupiditas Asiæ subigendæ, & civitates Græciæ rebellantes? quid Alcibiadem, nisi perniciali bello Græcia implicata, & Athenienses Græcorum simul, Barbarorumque Imperium affectantes? Tolle Carthaginem quamvis victam Romanis victoribus pertimescendam; tolle Numantinos terrores, quid erit Africanus? tolle Jugurtam, & Cimbrorum, & Teutonum, & Ambronum minas tot cæsis Romanorum millibus Italiæ imminentium, jam Marii virtus jacebit, & in summâ obscuritate versabitur: tolle Italiæ tumultus, Africæ bella, Sertorii concitantis M
Hispaniam formidabiles motus: tolle piratas, Mithridatem, Tigranem; Pompeji Magni laudem, & gloriam tolles: tolle Catilinæ furorem, & seditiosos tribunos legis agrariæ spe imperitam multitudinem ine-

nescentes; jam Tullii bene gestæ, servatæque Reipublicæ laudes obmutescent. Quid enim bellica virtus, aut regendæ scientia civitatis prodest otiosa? nonne videmus præstantissimos viros, quamdiu in otio, & rerum tranquillitate vixerunt, omni gloriæ luce caruisse? Epaminondas illud clarissimum Græciæ lumen, donec Thebæ Lacedæmoni servientes nullam homini materiem ostendendæ virtutis præbuerunt, quadraginta annos ignotus exegit: Cimon antequam ad Rempublicam accederet, etiam adversâ famâ fuit: idem accidit Themistocli, quem otio languentem, & longæ desidiæ indormientem Miltiadis trophæum excitavit. Cur ita? quia otium, & quies ut sunt animis voluptati, ita plerisque virtutibus perniciem afferunt, & interitum; & quemadmodum Chalybs, ut vulnus, & cædem inferat, asperrimâ cote est atterendus; ita fortium virorum ingenia ad bellicas virtutes negotio, & rebus asperis acuuntur. Idcirco Alexander Macedo, quum ex ephebis nondum excessisset, Philippi patris victoriis indoluisse fertur, & cum æqualibus queri solitus, quòd pater omnia vincendo, nihil sibi, in quo magnus esse posset, relinqueret; tantum detractum gloriæ suæ ratus, quantum esset detractum negotii; & quum Oriente toto jam debellato sese paucis annis reliquum Orbem terrarum subacturum esse confideret, angebatur animo, quòd nihil, quod vinceret, esset superfuturum, & otium, tanquam sui nominis labem, atque pestem exhorrescebat. At otium Sapientis ipsius claritati non affert obscuritatem; nec, quod de se Themistocles ille magnus dicebat, Sapiens verè dixerit, se se quercubus esse persimilem; ad quas homines in turbidâ tempestate confugiunt, ut ramis earum ab injuriâ Cœli defendantur; imbre autem depulso, & aëris arridente serenitate eas vellicant, corticemque detrahunt, ramosque defringunt. Nam in otio, tranquillisque rebus collocatos non ita Mortales contemnunt Sapientes; immo eorum quies a Rebuspublicis venerabilis, eorum otium omnibus negotiis anteponendum est; & quemadmodum sepositas aras, & a tumultu, turbaque templa remota magis veneramur, ipsoque silentio augetur Numinis cultus, & veneratio; sic a strepitu rerum, & perturbatione semotam Sapientiam, nec se se miscentem vulgo, & muneribus publicis abstinentem magis admiramur. Testor ego illos Musarum, & sapientiæ sacros, inviolatosque recessus, illa nemora poëtarum, illa adyta liberalissimarum facultatum, illos amœnissimos hortos philosophorum, ubi clarissimi viri otio abundantes non minore gloriâ, & auctoritate floruerunt, quàm illi, qui iisdem doctrinæ præsidiis instructi sese totos Reipublicæ dedidissent. Num enim obscurior fuit Milesius Thales, num minùs acceptus suis, qui vix unquam attigit gubernacula civitatis, & in altissimo otio consenuit, quàm aut Periander Corinthius, aut Solon Atheniensis, qui semper in Republicâ administrandâ versati sunt? ille verò clarior, certè gratior omnibus vixit. Nam ut de Periandro nihil dicam, quem quum tyrannum appellarint populares, constat improbasse; Solon, quum ut ære alieno demersam plebem sublevaret, tabulas novas proferret, animos nobilitatis offendit; quum leges agrarias a plebe expectatas, exoptatasque non tulisset, animos a se plebis alienavit. Num Pythagoras minorem laudem est consequutus, quum in contemplatione rerum versaretur, quàm quum Rempublicam tractaret; cujus otiosam sapientiam adeo populi suspexerunt, ut Pythagoram Deorum vocem appellarent; & illi se felices, & magnum aliquid existimarent adeptos, quibus ejus aspectu frui contigisset; fundantem verò legibus urbes, mores corrigentem, popularem licentiam frenantem tantopere sunt adversati, ut virum excellenti, ac pæne divinâ sapientiâ ad mortem compellerent, ejus auditores incensis ædibus, in quibus inclusi de Republicâ consultabant, scelerata conjuratio extinxerit? Num Thucydides major, quum duxit exercitum, quum bella gessit, quum hostium conatus elusit, quàm quum abjectâ Reipublicæ curâ se se ad scribendas res gestas contulit; quem imperatorem in exilium ejecerunt Athenienses, rerum scriptorem ab exilio revocarunt? Quæ reputanti mihi cum in ceteris, tum in hac re potissimùm videtur sapientia esse quædam Dei similitudo. Nam, ut Deus non erat minor, quum Universum nondum condidisset, nondum conditum gubernaret, &, ut ita dicam, otio illo beatissimo, & æterno frueretur, quàm quum rerum naturâ constitutâ, Immortalibus, & Mortalibus procreatis omnia administrat, omnibus consulit, omnium salutem, vitamque conservat; ita Sapiens non est major quum urbes constituit, legibus temperat, moribus instituit, bellum gerit, pacem tuetur, quàm quum administratione rerum valere jussâ in otium se abdidit, fruiturque ingenii bonis, & in altissimâ rerum contemplatione versatur. Atque, ut perspicere possitis, quàm sit otium litteratorum præclarum, quàm sacrum, quàm venerandum; ad illud hominum doctorum genus mihi convertenda est oratio, quod maximè abhorret a coris, maximè secessu gaudet, & otio, maximè tractationem Reipublicæ reformidat; ad poëtas, inquam, mihi convertenda est oratio. Quam putatis laudem, quam venerationem populorum consequutos

tos homines alienos a bello, alienos a eu-
A riâ, alienos a foro, ubi viros effici præ-
claros Homerus affirmat, sibi solis vacan-
tes, & Musis? Quem splendorem, quam
dignitatem Pindari fuisse censetis, qui, dum
vixit, a Regibus appetitus, a Diis immor-
talibus dilectus esse fertur, & post mortem
hominum opinione prope consecratus;
quandoquidem Alexander quum Thebas
everter, a Pindari domo ferrum, ignemque
milites jussit abstinere; & illæ faces, quæ
Deorum immortalium templis fortasse non
B pepercerunt, Pindari vatis ædibus peper-
cerunt. Hunc honorem non habuit ille
Pelopidæ, non Epaminondæ fortissimorum
ducum, clarissimorumque virorum memo-
riæ, quorum domus cum ceteris conflagra-
runt; ut constaret & summum Bellatorem
otium poëtarum imperatorum rebus gestis
anteponendum censuisse. Quid Sophoclem
quanto in pretio, & honore viventem,
& theatra, quasi quodam carminum mel-
le mulcentem, & detinentem fuisse arbi-
C tramur; cujus etiam mortui Cœlestes fu-
nus procurasse dicuntur, & sepulturæ cu-
ram habuisse? O poëtarum otium glorio-
sum! o sacras curas, quæ Diis quoque
cordi fuisse narrantur! o Musarum reces-
sus, qui quanto estis a vulgo remotiores,
tanto propiùs vestros cultores divinis ho-
noribus admovetis! Vos quum in tantâ
gloriâ videam collocatos, tantâ famæ cla-
ritate circumfusos, jam non vereor, ne cui-
quam generi litterarum otium afferre pos-
D sit obscuritatem. Nam & si nulla sapien-
tiæ pars non utilis est habenda; tamen poë-
tarum studia quum voluptatem dumtaxat
plerisque spectare videantur, minùs putan-
tur esse Reipublicæ fructuosa; quo nomi-
ne otium reprehendendum, & ignobile
existimatur. Nam quum, ut Sapientibus pla-
cet, non solis nobis nati sumus, sed ortus
nostri partem sibi vindicet Patria, partem
amici, partem ceteri Mortales; qui otium
consectatur, sibi soli vacat, suæ voluptati
E servit, aliorum utilitatem relinquit. A qua
reprehensione longissimè abest otium Sa-
pientis; in quo illud maximè mirum, &
laudandum, & præferendum est, quod
non minùs Reipublicæ prodest otiosus,
quàm occupatus; ab otio quippe Sapien-
tis, tanquam a tranquillissimo fonte, pro-
fluunt, & derivantur tot saluberrima do-
cumenta, tot præcepta morum, tot præ-
clara consilia; quibus utuntur civitatum
Rectores ad communem salutem, & pu-
blicam felicitatem; Sapiens unus, & quum
F agit nihil, agit negotium publicum: Sa-
pientis doctrinâ, tanquàm boni guberna-
toris arte, qui sedens in puppi,

Clavoque affixus, & hærens

plus tamen confert ad navis prosperum
cursum, quàm aliorum trepidatio, & sedu-
litas, & labor vel impellentium remos, G
vel pedem facientium, vel vela subducen-
tium, vel in malum ascendentium; Rei-
publicæ navis inter fluctus, & procellas,
& restantes ventos dirigitur, & guberna-
tur, & in portu salva collocatur. Atque
in eo quidem Deum, quem solum habet
auctorem, & magistrum, & rerum agenda-
rum pulcherrimum exemplar, imitatur;
ut enim ille immotus, & quietus omnibus
motum, & salutem impertitur; ita Sapiens
otiosus Rerumpublicarum moderatores mo- H
vet, excitat, regit, & ad rem salutariter
gerendam impellit. An verò quisquam est
tam imperitus rerum existimator, qui id
audeat negare? onde igitur emanavit ea
facultas, quæ civilis appellatur, & habetur
scientia civitatum regendarum; quos ha-
bet fontes, ex quibus præceptis conflata
est? nonne constat omnis e Sapientum di-
ctis, qui otium suum ad communem vi-
tam illustrandam, erudiendamque contu-
lerunt? Historicorum libris, philosopho- I
rum quasi quibusdam oraculis, rhetorum
sententiis, poëtarum dictis omnis ea facul-
tas continetur; qua si omnes utuntur ad
Rempublicam administrandam duce, fa-
teamur, necesse est omnem Reipublicæ ad-
ministrationem rectam Sapientum esse mu-
nus, qui in suis cogitatis posteritati tra-
dendis otium consumpserunt. Quid ars
vitæ tanta, ac tam latè patens, quos au-
ctores habet? quid ceteræ facultates, qui-
bus hominum vita instruitur, ornatur, ex- K
colitur; quorum hominum beneficio sunt
inventæ, auctæ, perfectæ, perpolitæ, nisi
Sapientum, qui otio abundantes aliorum
laboribus, & industriæ lucem attulerunt?
Quid quòd Sapientes, etsi abstinent a Re-
publicâ, tamen sæpe mittunt ad Rempu-
blicam viros, quos ad omnem laudem suis
præceptis informarunt? Non accessit ad
Rempublicam Socrates, sed innumeri ex
ejus sinu quum prodiissent excellenti in-
genio viri, belli, pacisque artibus præsti- L
terunt: non accessit Plato; sed quàm mul-
ti Platonis auditores utilitatem suis Rebus-
publicis, aut salutem, & libertatem attu-
lerunt? non accessit Isocrates; misit ta-
men ad Rempublicam discipulos, qui ejus
otium non esse infructuosum civitati re-
bus gestis ostenderent: non accessit Ari-
stoteles; sed plus humano generi profuit,
quàm si accessisset; quanto enim ejus præ-
ceptis mitiorem, quanto temperantiorem
factum putamus Alexandrum; qui si fuis- M
set immitior, si paulo cupidior, si pronus
in avaritiam, si magis in iram præceps,
quis non videt ejus vim, quæ plerasque
gentes, & Regna perdomuit, funestissimas
fuisse clades Orbi terrarum allaturam? non
accesserunt Xenocrates, Zeno, Theophra-
stus;

stus; nihilo secius eorum sapientiâ beatio-
A res fuerunt Græciæ civitates, quum eb ipsis omni laude præstantissimos Reipublicæ moderatores, ducesque fortissimos accepissent; multum scilicet disciplina prodest, multum præcepta sapientiæ; multum exempla virtutis etiam otiosæ; unum consilium sapiens multorum manua utilitate Reipublicæ superavit. Expers erat Reipublicæ Polybius, quum Scipionem sequeretur; ejus temen consiliis tantam laudem consequutus dicitur Africanus. Arius, &
B Athenodorus Greci senes, & otiosi rectorem Orbis terrarum Augustum regebant; eorum consilio Principum ille maximus ea gerebat, quorum admiratione Reges Indorum, & quidquid Romanis non parebat, sponte fasces Cæsari submittebant. Contigit ergo felicitas Orbi terrarum beneficio Sapientiæ, quæ otiosa Principi in humani generis tutelâ occupato facem prætulit, & otii jucunditatem cum bene gestæ Reipublicæ utilitate conjunxit. Quam
C ego Sapientiæ laudem statuo summam, quòd, ut lumen quo minus agitatur, & est immotius, eo clariùs, & certiùs lucet, hominumque labores, & opera moderatur; ita Sapientia, quo magis abundat otio, & est tranquillior, consilia certiùs dirigit, atque acta gubernat hominum occupatorum O miram vim Sapientiæ, o virtutem inauditam, o felicitatis effectricem quietem! Otium omnes homines concupiscunt, otii causâ bella suscipiuntur,
D propter otium dolores hauriuntur, labores exantlantur, capiuntur molestiæ; otio student etiam illi, qui in turbulentissimâ vitæ ratione versantur:

Otium Divos rogat in patenti
Prensus Ægeo, simul atra nubes
Condidit Lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis:
Otium bello furiosa Thrace,
Otium Medi pharetrâ decori,

E In otio positam felicitatem videri Aristoteles affirmavit, qui vitam beatam in actione secundùm virtutem non impeditâ collocavit; qui inimicissimi videntur otio, laborant, ut in otio tandem esse possint. Ideo Thraces eos, qui otium amplectuntur, honestissimos arbitrabantur; & Livius Drusus, qui a teneris, ut Græci ajunt, unguiculis id egisse videbatur, ut sibi, ceterisque civibus molestiam crearet; quum tranquillitatis, & quietis bona admiraretur,
F questus est sibi ne puero quidem ferias contigisse; scilicet hominem tædebat laborum, quos ad eam diem intolerabiles, infinitosque susceperat, & quietis, & tranquillitatis portum quasi ex magnâ jactatione appetebat. Sed habet otium ceterorum suas calamitates; nam & corrumpit animos,
qui a naturâ sunt ad eliquid præclarum agendum procreati; & hominum societatem deserit, cujus inprimis habendam esse rationem sapientia, & natura perscribunt; & quum omnes avidi laudis, & gloriæ simus eppetentes, hanc enimis prorsus insitam, atque innatam cupiditatem eludit, quum laus nulla nihil agentem consequatur. His vitiis detractis equidem summum, & præstantissimum, & extremum bonorum otium esse non dubitem affir- G
mare; quum & ab omnibus propter se ex- H
peti, & omnium actionum humanarum finem, extremumque esse videamus. Quam detractionem vitiorum efficit Sapientia, cujus beneficio non effeminat animos otium, sed corroborat; non dejicit. sed extollit; non ignaviâ, quasi tabe consumit, sed contemplatione rerum, quasi cœlesti ambrosiâ nutrit. Jam verò tam utile, tam frugiferum est rebus humenis, ut clarissimorum ducum, & prudentissimorum hominum in administrandâ Republicâ susce- I
ptis laboribus anteponatur. Neque enim uni populo, sed universis; non in præsens tantum, sed in omne tempus prodest; nec in tenebris vitæ, & obscuritate delitescit; nec morte splendor ejus extinguitur, sed affert nominis immortalitatem, & claritudinem tantam, quantam Sapientes videmus in otio, & tranquillitate vitæ summâ sibi comparasse. Quare præstantissimum hujus vitæ bonum, & ultimum expeten-
dorum in otio Sapientis positum jure con- K
tenderim; nec nihil vidisse Herillum præstanti virum ingenio, & sapientiâ singulari, qui vitam beatam in perspicientiâ veri, & contemplatione rerum sitam confirmavit. Quo constituto minimè mihi videor in otio sapientis exornendo esse laborandum; nam ut Porus ille, qui est ab Alexandro Magno victus, quidquid est præclarum, magnificum, excelsum, optandum Regis nomine putabat contineri; sic in nomine summi boni omnes leudes esse arbi- L
tror comprehensas. Quæ quum ita se habeant, Auditores, quis non Sapientiam omnibus putet anteponendam? illæ ipsæ virtutes, quæ videntur esse clarissimæ, si otio langueent, si desit ipsis materia laudis, nisi in publicâ luce ponantur, non splendent ipsæ per se, non exercent vim suam, non utiles Reipublicæ habentur. In rebus trepidis cernitur fortitudo, in arduis animi excelsi magnitudo, virtus militaris in bello, justitia in administrandâ Repubu- M
blicâ se potissimùm profert, in contemnendis voluptatibus temperantia spectatur, in rebus agendis prudentia; nulla est virtus, quæ non otio corrumpatur, & quesi contabescat; sola Sapientia gignit sibi ipsa per se materiem laudis, & rebus externis de-

stitu-

stituta magna est, atque admirabilis, & o-
A tio convalescit; & quum Rempublicam reliquerit, non deest commodis, & utilitati civium, nec ullum splendorem desiderat extrinsecus accedentem; ut ceteras virtutes luminibus illis Cœli, quæ externâ luce illustrantur; sapientiam Soli possis comparare, qui solus omnibus lumen, quod non aliunde accepit, impertitur. Hæc igitur vobis, Adolescentes, amplectenda, hæc omni animi ardore appetenda, in hanc totis viribus, omnibusque ingenii nervis in-
B cumbendum est. Non omnes possumus Reipublicæ gubernaculis admoveri, non omnes ducere exercitum, urbes expugnare, bello decus, & gloriam quærere: non omnibus fortuna præbitura est facultatem per præclara facinora inclarescendi; sed in quocunque rerum statu vos fortuna collocarit, Sapientia vobis afferet claritatem; sive laboriosam vitam, & discriminum plenam vobis proposuerit Deus, sive jucundam, & otiosam, & ad labores perferendos,
C & ad otium cum laude consumendum petenda sunt vobis a Sapientiâ præsidia. Atque haud scio, an adjumenta doctrinæ magis expetenda sint in otio, quàm in negotio; nam in negotio ipsa rerum difficultas est magistra virtutis, est non contemnenda disciplina ipsa necessitas laboris obeundi; otium nisi bonis artibus excolatur, quid aliud est, quàm pestis, exitiumque virtutis, quàm caligo, tenebræque vitæ, quàm quoddam vitiorum turpe seminarium, quod ut su-
D gerent nonnulli, Rempublicam perturbari voluerunt: voluerunt in perpetuis periculis, & molestiis, ærumnisque versari. Hoc autem otium, quod est quasi scopulus quidam, ad quem virtus omnis allisa profundâ ignaviâ obruitur; Sapientia vobis voluit esse portum, ubi secura virtus conquiescat, & altissimâ tranquillitate perfruatur. Quàm igitur vobis appetenda sapientia est, quæ quiescentibus in portu bona est abunde præbitura, quæ ab aliis longâ navigatione, & magnâ jactatione quæruntur?



ORATIO XVII.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1693.

In solemni instauratione Studiorum.

Litteras esse vitiorum emendatrices, commendatricesque virtutum.

Hic faustissimus, & semper lætus Christianæ Reipublicæ, semper E
honoratus dies, omniũ, qui Cœlitum sedes, & honores virtute meruerunt, triumpho consecratus me cohortatur, amplissimi Patres, Auditores ornatissimi, ut in celebrandis laudibus litterarum virtutem, cujus illæ se magistras profitentur, ceteris earum dotibus, ceteris ornamentis præclarissimis, & immortalibus anteponam. Quis enim, quum innumerabilibus exemplis admoneatur præstantiam morum esse certissimam ad Cœlum F
ducem, non maximam laudem liberalium facultatum putet, quòd ad emendandam vitam plurimùm conferunt, eamque vel solam, vel inprimis non existimet prædicandam? Quapropter ego non vereor, ne temere, sed ne timidè ad hoc laudationis genus, & cunctanter accesserim: non vereor, ne reprehendar, quod nimis parva confecter, sed quod minora persequutus ea, quæ sunt verè magna, verè laudanda prætermiserim; neque cur hoc potissi- G
mum orationis argumentum proposuerim, sed cur tandiu distulerim, videor mihi reddendam esse rationem. Sed antea quidem, Auditores, quum animadverterem virtutem morum, quamvis inspecta penitus admirabiles amores sui in humanis pectoribus possit excitare; tamen vulgo insuavem, injucundamque videri, nec habere satis magnam vim animos hominum, eorum præsertim, qui cupidi sunt voluptatis, ad se alliciendi; timebam, ne si studia co- H
gnitionis eo nomine extulissem, quòd ad virtutem munire viam viderentur, adolescentes, qui plerumque jucunditatem vitæ amplectuntur, ad expetendas nobilissimas disciplinas parum possem commovere; idcirco quum alia argumenta conquirerem, ab hac ornatissimâ ratione dicendi abstinebam. Nunc autem mihi vestra, Juvenes, indoles, vestra ad omnem honestatem propensa voluntas, vestra præclara studia laudis antea quidem cognita, & perspecta, sed in præsentiâ considerata diligentiùs animos addiderunt, ut audeam

vos

vos ad curam pulcherrimarum artium ca- A pessendam non alia laboris mercede propositâ; quàm spe morum componendorum cohortari, vosque ipsam virtutem (videte quantum tribuam gravitati vestræ) sublatis etiam præmiis amplexuros esse confidam. Tanta enim sapientiæ vestræ mihi lux obotitur, tanta species probitatis obversatur, ut non modò virtutis fructus, verùm etiam radices dulces vos existimem arbitrari. Quare adeste animis, Auditores, adeste; si quid unquam splendidum, subli- B me, magnificum, gloriosum de præstantiâ litterarum est a nobis dictum, aut cogitatum; si quæ studiis laudatissimis laudes eximiæ, & singulares attributæ, argumenti, quod aggredior, amplitudini cedant, oportet. Nam si tantus est in virtute splendor, ut omnia, quæ inter homines expetuntur, in virtutis lumine collocata, tamquam in Sole posita parva scintilla, obscurentur, quidquid hactenus est a nobis allatum ad exaggerandam litterarum digni- C tatem cum eo, quod hodierno die sumus allaturi, comparari nullo modo potest. Ex litterarum quippe studiis quasi fontibus omnem honestatem, laudemque morum emanare; litteras virtutis parentes, & procreatrices quasdam, expultricesque vitiorum esse contendam. Quod ego dum conor ostendere, si ullus est apud vos virtutis honos, Adolescentes, si ulla Sapientiæ cupiditas, aut ullus amor bonarum artium, quibus vos dedidistis, mea verba, quæso, benignè, at- D tenteque audiatis.

Atque ego, quò probem, Auditores, multum esse in liberalissimis disciplinis ad virtutem consequendam præsidii, non utar exemplis virorum sapientum, qui tantum in morum disciplinâ ingenuarum artium beneficio profecerunt; ut quantum rerum scientiâ præstitere, tantum integritate vitæ, & amplitudine omnium laudum præstitisse videantur. Non sum eò descensurus, unde exitum invenire non possit oratio; in hoc E immenso, & nullis litoribus incluso, nullis terminis circumscripto mari non vela pandam, non in altum provehar, non aurâ secundâ vestræ benignitatis utar, ne obruar copiâ rerum, ne infinito errore jactatus nunquam in portum possim pervenire. Nam quis esset dicendi modus, si quæ doctissimi viri domi, militiæque præclarè gesserunt, velim recensere; si quantum humana contempserint, divina concupiverint, quantâ castitate vitæ, quantâ continentiâ egerint, F quantâ animi magnitudine, quantâ constantiâ copiam explicare? Nec judicio quidem, & auctoritate duarum prudentissimarum in terris nationum Græcæ, Romanæque abutar; quæ numquam tam impensâ curâ litterarum studia coluissent, aut tantis honoribus exrulissent, si nihil ad virtutem, nihil ad agendam eleganter, & cum laude vitam, quibus illæ rebus unicè studebant, condu- G cere putavissent: nec testes appellabo sapientissimos viros, qui orationi meæ possent afferre fidem, & auctoritatem; quorum dictis cujus, quæso, non celebrantur aurea affirmantium sine his adminiculis doctrinæ mancam esse virtutem, infirmum ingenium, omnem naturæ præstantiam quodammodo claudicare? non agam vobiscum oratorum more: non aliorum testimoniis, sed suis argumentorum momen- tis nitetur oratio: non postulabo, ut mihi H fidem habeatis, nisi ratio convincet, ratio extorquebit id esse verissimum, quod omnium testata litteris, omnium sæculorum consensu comprobata vobis persuaderet opinio. Nec verò veritas tenebris involuta, & in profundo, ut ait Democritus, demersa exquisitis, & reconditis quibusdam rationibus illustranda, & eruenda est; sed in promptu est, & omnibus occurrit, & lucet, & in pervagato omnium sermone hujus rei argumenta versantur. Nam duæ sunt in a- I nimo principes facultates, a quibus omnis vita gubernatur, in quarum alterâ inest intelligendi, in alterâ appetendi vis; & altera quidem verum, altera bonum assequuta impletur, & ut ita dicam, satiatur: in alterâ ingenii lumen effulget, in alterâ dederii ardor effervescit: alterius ductu, alterius imperio vita hominum regitur, & administratur: alteram virtutes ornant, quæ in scientiâ rerum, alteram eæ, quæ in a- K gendo cernuntur. Sed ea facultas, a qua omnis honestas morum, omnisque appetendi, aversandique impetus proficiscitur, quam voluntatem appellamus, nisi alterius facultatis, quam intellectum dicimus, lumine illustretur, cæca est, temereque fertur, & aberrat a bono, quod sequitur, & in malum ruit, quod aversatur, & potiùs inconsultus quidam animi motus, quàm voluntas debet nominari; neque enim sine ratione extare potest motus, & natura voluntatis. Idcirco Stoicis non obscu- L ris auctoribus veritatis, & naturæ placuit in solo Sapiente esse voluntatem; neque enim rationem, nisi rectam, rationem ducebant, eamque in Sapiente duntaxat esse judicabant. Sed nobis ea, quæ omnium philosophorum consensu confirmatur, sententia sedeat; eam quæ cum rectâ ratione conjuncta est, rectam, quæ pravæ adhærescit, pravam esse voluntatem. Ex quibus perspici potest, quo majus est intelligentiæ lumen, acrior acies ad perspicientiam bo- M ni, speciemque pulcherrimam virtutis pervidendam, eo longiùs a pravitate absuturam, minùs a bono aberraturam, minùs ab honestate descituram voluntatem. Atque utinam ut Lynceus ille dicitur acie tam perspicaci usus oculorum, ut opacissimorum

rum corporum soliditatem visu pervaderet, A & penetraret; sic eâ intelligentiæ acie præditi essemus, ut crassam, & concretam errorum caliginem nobis circumfusam, perrumperemus, & in clarissimâ luce positam, nullo fuco oblitam, nullis præstigiis tectam, nullis involucris obductam, nullis latebris abditam veritatem videremus; nunquam a recto voluntas declinaret, nunquam non bonum amplecteretur! Nam qui posset illa, quod expetit, aversari? quod quærit, inventum contemnere? quod B diligit repudiare, & nolle sibi contingere, quod ipsam in veræ felicitatis possessione positurum est? Itaque omnes ad virtutem pleno gradu contenderemus, nec unquam boni specie decepti voluptatem, aut divitias, aut honores, aut gloriam, aut potentiam nocituram sequeremur. Sed quoniam mentis acies infirmior est naturâ, & veritas plerumque densissimis tenebris circumsepta delitescit; vigilandum nobis est, excutienda omnis animi molli- C ties, ingenii præsidia undique conquirenda; ut quod nobis natura denegavit, industriâ consequamur, doctrinæ studio consequamur, bonis artibus consequamur. Nec est cur dubitemus, quin multum profici possit; nam si tantum lumen afferunt animo, tantâ mentem sapientiæ luce perfundunt, tantâ rerum scientiâ, perspicientiaque veritatis augent intelligentiam nobilissimæ disciplinæ, quantâ doctum indocto, eruditum rudi, sapientem stulto cer- D nimus antecellere; cui potest esse dubium, quin, quæ artes illuminant intellectum, eædem regant, & moderentur voluntatem, impellantque ad honesti appetitum? Siquidem verè est a nobis dictum, quo clarius est in intellectu lumen veritatis, eo certiùs dirigi, ad bonumque pervenire appetendi facultatem; quum sit ita naturâ comparatum, ut quemadmodum lucem ferè semper sequitur calor; sic in animo e scientiæ luce veritatis amor exardescat. An ve- E rò nobis retexenda est oratio? an falsò affirmavimus ex errore mentis, & animi cæcitate, ex ignoratione veri boni oriri omnem pravitatem, & vitium voluntatis? Atqui nemo est tam ignarus humanæ naturæ, tam imperitus rerum, tam sapientiæ expers, qui id audeat negare; quare constituamus, oportet, regimen voluntatis, depulsionemque vitiorum munus esse pulcherrimarum facultatum, quæ intelligentiæ monstrant viam, quæ discutiunt insci- F tiæ nubem, quæ facem præferunt veritatis. Intellectus est vitæ dux, & moderator, is ubi non aberrat a vero, nec a bono potest voluntas declinare; quæ igitur artes aperiunt ipsi, nudantque latentem, & involutam veritatem, nonne ad bonum, ipsamque virtutem certissimas duces esse fateamur? Xantippus ille, qui Pœnorum ducibus, quo pacto Romanos possent vin- G cere, demonstravit, auctor fuisse victoriæ dicitur, quam, Pœni de Romanis peperere; eadem fere ratione ingenuæ disciplinæ, quæ animum vitæ Mortalium imperatorem docent, quo pacto vitia conterantur, cupiditates perdomentur, ignavia pestis, perniciesque virtutis extinguatur, victoriæ causæ sunt habendæ, qua de internis hostibus triumphamus. Quod si tam præclarè nobiscum ageretur, ut ratio nullâ extrinsecus accedente erroris nebulâ, H pura, integra, incorrupta permaneret; tamen propter imbecillitatem humani ingenii, obscuritatemque veritatis, tenuique discrimine speciem boni, malique discretam quærenda essent adjumenta doctrinæ. Nunc autem inficimur opinionibus vulgi, exemplis malorum, quasi cœno inquinamur, in scelus impellentium turbâ collidimur, voluptate tanquam pestilenti quodam vento virtutis igniculi extinguuntur, a teneris unguiculis imperitorum vocibus I aures quotidie personant; divitias etiam malâ fraude partas honestæ paupertati anteponi videmus, virtutis præmia vitium occupare, religionem obtentui esse, haberi sapientiæ loco versutam malitiam, morum probitatem stultitiam duci, mutari nomina rerum, & felix vitium virtutem appellari, diligi scelus, & ludibrio esse pietatem, amicitiam, fidem, Patriæ caritatem, recti reverentiam vana nomina, fictasque fabulas judicari, felicitatem in K omnibus aliis, quàm in veris bonis, animoque constitui. Quum tot ea esse comperiamus, quæ rectam rationem depravent; nihil ne putamus esse, quod depravatam corrigat? quum tot erroribus involvamur, quum tam pravis magistris utamur vulgo, malâ consuetudine, cupiditate, libidine; nullum ne præsidium doctrinæ contra tot animi pestes comparabimus, nihilque in tantis vitæ tenebris litterarum studia prodesse credemus; quæ ambigua distinguant, ob- L scuris afferant lucem, vera separent a falsis, acuant intelligentiam, explicent involutam in animo veri boni notionem, assuefaciant voluntatem honesto studio, & delectatione lætari? malam disciplinam tantum obesse virtuti videmus; bonas artes nihil afferre adjumenti arbitramur? Quæ si nihil ad vitia depellenda conferunt, quò nos convertemus? quam humanam opem nobis profuturam confidemus? An imitabimur ignavos agricolas, qui quum negli- M genter terram coluerint, stercorandi, fodiendi, serendi, sartiendi laborem subterfugerint, tamen sedentes a Deo uberem messem impudenter deprecantur; & sine cultu animum posse virtutum segetem satis liberalem ferre censebimus, expectabimusque

que

que dum delapsa Coelo Sapientia oscitantibus nobis mentibus nostris illabatur? Est illa quidem Divini Numinis donum; sed nec etiam parva, nedum magna sine nostrâ curâ, labore, studio Superi nobis largiuntur. Praeparandus est animus, & divino muneri suscipiendo reddendus est idoneus, discutienda caligo inscientiae, quae nostras mentes occupavit; nam quemadmodum corpora, quae multum terrenae faecis habent, Solis radiis non patent; ita pravis opinionibus imbutae mentes divinae Sapientiae luce non collustrantur. Hanc autem caliginem animis, hanc opinionum pravitatem, hanc vitiorum labem non ullâ aliâ humanâ arte, quàm doctrinae studio possumus depellere; neque enim solùm, quod est hactenus a nobis demonstratum, doctrina affert intelligentiae lucem, intelligentia autem illustrata ad virtutis amorem excitat, & ducit ad summum bonum voluntatem; sed etiam animi partem, quam quum brutis communem habemus, reddit dociliorem, & minùs imperio mentis reluctantem; nec sinit convulsam, & labefactatam ignobilioris naturae vi transversam agi voluntatem, & deteriora consectari, quum meliora approbarit. Unoisquisque nostrûm, Auditores, nisi innumerabiles animi pestes ratione compresserit, extinxerit, amputarit, Typhone magis est multiplex; & quemadmodum Scyllam poetae esse ferunt

Candida succinctam latrantibus inguina monstris;

sic animi nostri pars inferior multis, atque saevissimis, iisdemque foedissimis, nec unius generis monstris obsidetur; latrant, fremunt, ferociunt, saeviunt cupiditates, & Gigantum more, qui conati sunt Superos coelesti regno exturbare, coelestem animi partem aggrediuntur, ejusque justum, & legitimum imperium conantur evertere. Nec solùm cum ratione bellum gerunt, sed etiam multo acriùs inter se dissident, & differunt animum, & quasi quibusdam furiarom taedis ardentibus agitant, turbanr, vexant, instigant, & in diversas partes tractum lancinanr perturbationes: pugnat cum avaritiâ luxuria, cum superstitione sceleris perpetrandi libido, cum ambitione turpium facinorum appetitio: insurgit adversùs metum temeritas, gestiens, & immoderata laetitia cum maerore confligit: sanguinem crudelitas lambit, inhiat caedibus iracondia, animi mollitia femineis ejulatibus gaudet, ignavia labores etiam necessarios reformidat, inanium rerum cupiditas supervacuis exercetur; quibus discidiis distractus animus nec rationi consonat, nec suis ipse cupiditatibus. Harum agrestem impetum, exultantemque ferociam miscentem terrena coelestibus, & omnia perturbantem coërcent mitissimae disciplinae, & coërcendo paulatim frangunt, & frangendo mitigant, & placanr, & ad obsequium erga rationem compellont. Nec ego de eâ philosophiae parte solùm loquor, quae spectat ad mores; quae quum doceat esse levia, & contemnenda pleraque eorum, quae prima Mortales putanr, nihilque esse in rebus humanis, praeter virtutem, magnopere expetendum, amputat, & circumcidit omnem materiam, & silvam cupiditatum; sed de omnibus disciplinis loquor, quae in indagandâ veritate versantur. Dum enim animus intentus earum studio perpetuis laboribus exercetur, exuit paulatim vehementes illos motus, quibus ciebatur, & perdomatur; carpitur enim, infringiturque contemplatione rerum vis illa perturbationom, quae minùs est obsequens rationi; & quum pars animi superior benigniùs alatur, debilitatur inferior, & quasi contabescit. Jam cura, quae transfertur in mentem, avertit cogitationem a curis rerum externarum, ut minùs earum cupiditate incendamur; & sicut amoris ardorem levari, vel extingui penitus tradont animo aliarum rerum curis vehementer occupato; sic omnis cupiditas ad studia cognitionis conversâ mente restinguitur. Sed cum omne vitium honestissimarum facultatum tractatione minuitur, & resecatur, tum maximè omnium immanitas morum, contumacia, ferocitas non modò mitigatur, sed etiam funditus tollitur. Non mihi est consilium, quò demonstrem, quantum mansuetudinis, & humanitatis afferant animo humanissimae disciplinae, singulorum exempla Sapientum memorare; Gentium universarum mores, & instituta reputare; non vobis mirum videbitur litterarum studiis hominum deditorum ab omni saevitiâ, & feritate mentes abhorrere, & ingenii lenitate ceteris antecellere; quum eas nationes, quae bonas artes in pretio habuerunt, praeditas humanitate singulari, quae contempserunt, immites, & immanes fuisse videatis. Polybius non solùm rerum conditor luculentus, verùm etiam sapientiae auctor insignis Cynaethenses ideo tradidit omnium Arcadum saevissimos extitisse, quòd minimè omnium musicis cantibus, & fidium concentibus uterentur; nos quanto veriùs possumus affirmare nationes, quae praestantiore Sapientiae concentu, musicaque non mulcerentor, in inconditam moribus, efferatamque barbariem esse prolapsas. Licet peragrare dicendo omnes oras, omnesque regiones Barbarorom; quam ibi sevitiam, quam animi feritatem, asperitatemque morum fuisse accepimus? Quis non fando audivit oltimae Scythiae incolas hominum, quos passim trucidabant, visceribus, carnibusque mensas onerasse?

rum corporum soliditatem visu pervaderet,
A & penetraret; sic et intelligentiæ acie præ-
diti essemus, ut crassam, & concretam er-
rorum caliginem nobis circumfusam, per-
rumperemus, & in clarissimâ luce positam,
nullo fuco oblitam, nullis præstigiis tectam,
nullis involucris obductam, nullis latebris
abditam veritatem videremus; numquam
a recto voluntas declinaret, numquam
non bonum amplecteretur! Nam qui pos-
set illa, quod expetit, aversari? quod
quærit, inventum contemnere? quod
B diligit repudiare? & nolle sibi continge-
re, quod ipsam in veræ felicitatis posses-
sione positurum est? Itaque omnes ad vir-
tutem pleno gradu contenderemus; nec
unquam boni specie decepti voluptatem,
aut divitias, aut honores, aut gloriam, aut
potentiam nocituram sequeremur. Sed
quoniam mentis acies infirmior est natu-
râ, & veritas plerumque densissimis tene-
bris circumsepta delitescit; vigilandum
nobis est, excutienda omnia animi molli-
C ties, ingenii præsidia undique conquiren-
da; ut quod nobis natura denegavit, in-
dustriâ consequamur, doctrinæ studio con-
sequamur, bonis artibus consequamur. Nec
est cur dubitemus, quin multum profici
possit; nam si tantum lumen afferunt ani-
mo, tantâ mentem sapientiæ luce perfun-
dunt, tantâ rerum scientiâ, perspicientia-
que veritatis augent intelligentiam nobi-
lissimæ disciplinæ, quantâ doctum indo-
cto, eruditum rudi, sapientem stulto cer-
D nimus antecellere; cui potest esse dubium,
quin, quæ artes illuminant intellectum,
eædem regant, & moderentur voluntatem,
impellantque ad honesti appetitum? Siqui-
dem verè est a nobis dictum, quo clarius
est in intellectu lumen veritatis, eo cer-
tiùs dirigi, ad bonumque pervenire appe-
tendi facultatem; quum sit ita naturâ com-
paratum, ut quemadmodum lucem ferè
semper sequitur calor; sic in animo e scien-
tiæ luce veritatis amor exardescat. An ve-
E rò nobis retexenda est oratio? an falsò af-
firmavimus ex errore mentis, & animi cæ-
citate, ex ignoratione veri boni oriri om-
nem pravitatem, & vitium voluntatis? At-
qui nemo est tam ignarus humanæ natu-
ræ, tam imperitus rerum, tam sapientiæ
expers, qui id audeat negare; quare con-
stituamus, oportet, regimen voluntatis, de-
pulsionemque vitiorum munus esse pul-
cherrimarum facultatum, quæ intelligen-
tiæ monstrant viam, quæ discutiunt insci-
F tiæ nubem, quæ facem præferunt verita-
tis; Intellectus est vitæ dux, & modera-
tor, is ubi non aberrat a vero, nec a bo-
no potest voluntas declinare; quæ igitur
artes aperiunt ipsi, nudantque latentem,
& involutam veritatem, nonne ad bonum,
ipsamque virtutem certissimas duces esse
fateamur? Xantippus ille, qui Romanorum
ducibus, quo pacto Romanos possent vin- G
cere, demonstravit, auctor fuisse victoriæ
dicitur, quam Pœni de Romanis peperere-
runt; eadem sane ratione ingenuæ disci-
plinæ, quæ animum vitæ Mortalium impe-
ratorem docent, quo pacto vitia conteran-
tur, cupiditates perdomentur, ignaviæ pe-
stis, perniciesque virtutis extinguatur, vi-
ctoriæ causæ sunt habendæ, qua de inter-
nis hostibus triumphamus. Quod si tam
præclarè nobiscum ageretur, ut ratio nul-
lâ extrinsecùs accedente erroris nebulâ, H
pura, integra, incorrupta permaneret; ta-
men propter imbecillitatem humani inge-
nii, obscuritatemque veritatis, tenuique
discrimine speciem boni, malique discre-
tam quærenda essent adjumenta doctrinæ.
Nunc autem inficimur opinionibus vulgi,
exemplis malorum, quasi cœno inquina-
mur, in scelus impellentium turbâ colli-
dimur, voluptate tanquam pestilenti quo-
dam vento virtutis igniculi extinguuntur,
a teneris unguiculis imperitorum vocibus I
aures quotidie personant: divitias etiam
malâ fraude partas honestæ paupertati an-
teponi videmus, virtutis præmia vitium
occupare, religionem obtentui esse, habe-
ri sapientiæ loco versutam malitiam, mo-
rum probitatem stultitiam duci, mutari no-
mina rerum, & felix vitium virtutem ap-
pellari, diligi scelus, & ludibrio esse pie-
tatem, amicitiam, fidem, Patriæ carita-
tem, recti reverentiam vana nomina, fi-
ctasque fabulas judicari, felicitatem in K
omnibus aliis, quàm in veris bonis, ani-
moque constitui. Quum tot ea esse com-
periamus, quæ rectam rationem depravent;
nihil ne putamus esse, quod depravatam
corrigat? quum tot erroribus involvamur,
quum tam pravis magistris utamur vulgo, ma-
lâ consuetudine, cupiditate, libidine; nul-
lum ne præsidium doctrinæ contra tot ani-
mi pestes comparabimus, nihilque in tan-
tis vitæ tenebris litterarum studia prodesse
credemus; quæ ambigua distinguant, ob- L
scuris afferant lucem, vera separent a fal-
sis, acuant intelligentiam, explicent invo-
lutam in animo veri boni notionem, assue-
faciant voluntatem honesto studio, & de-
lectatione lætari? malam disciplinam tan-
tum obesse virtuti videmus; bonas artes
nihil afferre adjumenti arbitramur? Quæ
si nihil ad vitia depellenda conferunt, quò
nos convertemus? quam humanam opem
nobis profuturam confidemus? An imita-
bimur ignavos agricolas, qui quum negli- M
genter terram coluerint, stercorandi, fo-
diendi, serendi, sarriendi laborem subter-
fugerint, tamen sedentes a Deo uberem
messem impudenter deprecantur; & sine
cultu animum posse virtutum segetem satis
liberalem ferre censebimus, expectabimus-
que

que dum delapsa Cœlo Sapientia oscitanti-
A bus nobis mentibus nostris illabatur? Est
illa quidem Divini Numinis donum; sed
nec etiam parva, nedum magna sine no-
strâ curâ, labore, studio Superi nobis lar-
giuntur. Præparandus est animus, & di-
vino muneri suscipiendo reddendus est i-
doneus, discutienda caligo inscientiæ, quæ
nostras mentes occupavit; nam quemad-
modum corpora, quæ multum terrenæ fæ-
cis habent, Solis radiis non patent; ita
pravis opinionibus imbutæ mentes divinæ
B Sapientiæ luce non collustrantur. Hanc
autem caliginem animis, hanc opinionum
pravitatem, hanc vitiorum labem non
ullâ aliâ humanâ arte, quàm doctrinæ stu-
dio possumus depellere; neque enim so-
lùm, quod est hactenus a nobis demon-
stratum, doctrina affert intelligentiæ lu-
cem, intelligentia autem illustrata ad vir-
tutis amorem excitat, & ducit ad summum
bonum voluntatem; sed etiam animi par-
tem, quam quum brutis communem ha-
C bemus, reddit dociliorem, & minùs im-
perio mentis reluctantem; nec sinit con-
vulsam, & labefactatam ignobilioris natu-
ræ vi transversam agi voluntatem, & de-
teriora consectari, quum meliora appro-
barit. Unusquisque nostrûm, Auditores,
nisi innumerabiles animi pestes ratione
compresserit, extinxerit, amputarit, Ty-
phone magis est multiplex; & quemadmo-
dum Scyllam poëtæ esse ferunt

Candida succinctam latrantibus inguina mon-
stris;

D sic animi nostri pars inferior multis, atque
sævissimis, iisdemque fœdissimis, nec unius
generis monstris obsidetur; latrant, fremunt,
ferociunt, sæviunt cupiditates, & Gigan-
tum more, qui conati sunt Superos cœle-
sti regno exturbare, cœlestem animi partem
aggrediuntur, ejusque justum, & legitimum
imperium conantur evertere. Nec solùm
cum ratione bellum gerunt, sed etiam multo
acriùs inter se dissident, & differunt ani-
E mum, & quasi quibusdam furiarum tædis
ardentibus agitant, turbant, vexant, insti-
gant, & in diversas partes tractum lanci-
nant perturbationes: pugnat cum avari-
tiâ luxuria, cum superstitione sceleris per-
petrandi libido, cum ambitione turpium
facinorum appetitio: insurgit adversùs me-
tum temeritas, gestiens, & immoderata læ-
titia cum mœrore confligit: sanguinem
crudelitas lambit, inhiat cædibus iracun-
dia, animi mollitia femineis ejulatibus
gaudet, ignavia labores etiam necessarios
F reformidat, inanium rerum cupiditas su-
pervacuis exercetur; quibus discidiis di-
stractus animus nec rationi consonat, nec
suis ipse cupiditatibus. Harum agrestem
impetum, exultantemque ferociam miscen-
tem terrena cœlestibus, & omnia pertur-
bantem coërcent mitissimæ disciplinæ, &
coërcendo paulatim frangunt, & frangen- G
do mitigant, & placant, & ad obsequium
erga rationem compellunt. Nec ego de eâ
philosophiæ parte solùm loquor, quæ spe-
ctat ad mores; quæ quum doceat esse levia;
& contemnenda pleraque eorum, quæ pri-
ma Mortales putant, nihilque esse in rebus
humanis, præter virtutem, magnopere expe-
tendum, amputat, & circumcidit omnem
materiam, & silvam cupiditatum; sed de om-
nibus disciplinis loquor, quæ in indagandâ
veritate versantur. Dum enim animus in- H
tentus earum studio perpetuis laboribus e-
xercetur, exuit paulatim vehementes illos
motus, quibus ciebatur, & perdomatur;
carpitur enim, infringiturque contempla-
tione rerum vis illa perturbationum, quæ
minùs est obsequens rationi; & quum pars
animi superior benigniùs alatur, debilitatur
inferior, & quasi contabescit. Jam cura,
quæ transfertur in mentem, avertit cogi-
tationem a curis rerum externarum, ut mi-
nùs earum cupiditate incendamur; & si- I
cut amoris ardorem levari, vel extingui
penitus tradunt animo aliarum rerum co-
ris vehementer occupato; sic omnis cupi-
ditas ad studia cognitionis conversâ mente
restinguitur. Sed cum omne vitium hone-
stissimarum facultatum tractatione minui-
tur, & resecatur, tum maximè omnium
immanitas morum, contumacia, ferocitas
non modò mitigatur, sed etiam funditus
tollitur. Non mihi est consilium, quò de-
monstrem, quantum mansuetudinis, & hu- K
manitatis afferant animo humanissimæ di-
sciplinæ, singulorum exempla Sapientum
memorare; Gentium universarum mores,
& instituta reputate; non vobis mirum vi-
debitur litterarum studiis hominum dedi-
torum ab omni sævitiâ, & feritate mentes
abhorrere, & ingenii lenitate ceteris ante-
cellere; quum eas nationes, quæ bonas ar-
tes in pretio habuerunt, præditas huma-
nitate singulari, quæ contempserunt, im-
mites, & immanes fuisse videatis. Poly- L
bius non solùm rerum conditor luculen-
tus, verùm etiam sapientiæ auctor insignis
Cynæthenses ideo tradidit omnium Arca-
dum sævissimos extitisse, quòd minimè om-
nium musicis cantibus, & fidium concen-
tibus uterentur; nos quanto veriùs possu-
mus affirmare nationes, quæ præstantio-
re Sapientiæ concentu, musicaque non
mulcerentur, in inconditam moribus,
efferatamque barbariem esse prolapsas. Li-
cet peragrare dicendo omnes oras, om- M
nesque regiones Barbarorum; quam ibi
sævitiam, quam animi feritatem, asperi-
tatemque morum fuisse accepimus? Quis
non fando audivit ultimæ Scythiæ inco-
las hominum, quos passim trucidabant,
visceribus, carnibusque mensas onerasse?

Essedones in frusta concisos extinctos pa-
a rentes comedisse? Scythiæ nonnullos po-
pulos ejus, quem primum intermisient,
manantem e vulneribus cruorem ebibisse?
Derbices fenio confectos viros immolasse,
fœminas intercluso spiritu peremisse? Cel-
tas ne ullius rei formidinem præseferrent,
in extremâ litorum orâ constitisse, donec
Oceani æstu se superfudente terris obrue-
rentur? Gelonos pellibus hostium inte-
remptorum seque, & equos contexisse?
vastitatem circa se facere Suevos, & om-
b nia evertere præclarum sibi, & gloriosum
esse arbitratos? Gallorum fuisse morem
vivos homines, quandoque innocentes in
ingentia simulacra e viminibus contexta
conjectos subjectis ignibus concremare?
Sardos consuevisse ætate graves parentes fu-
stibus enecare? Piget omnes barbararum
gentium ritus insigni crudelitate detestan-
dos, & ferocitate memorabiles recensere;
nec verò necesse est, quum illud satis fue-
rit ostendisse, quæ gentes doctrinæ cultu
c caruerunt, eas omni prorsus humanitate
caruisse, quod argumento est ad ingenii
mansuetudinem, lenitatemque morum stu-
dia plurimum semper profuisse. Quid e-
nim causæ possit afferri, cur populi, qui
bonas artes amplexi litterarum gloriâ flo-
ruerunt, ab immanitate Barbarorum sem-
per abhorruerint; cur apud eos ipsos tan-
diu mores ab humanitate non alieni vi-
guerint, quandiu litterarum studia vigue-
runt? Idcirco Thucydides gravis inprimis
d Auctor asseverat Græciam antiquam, ante-
quam se prorsus his artibus dedidisset, a Bar-
barorum moribus non admodum discrepas-
se. Atque ego Herculem illum, quem ter-
ras peragrantem, ubique feros ritus, &
barbaros ferunt sustulisse, non arma, &
exercitus reor, sed doctrinæ lumen infe-
rentem, & eloquentiâ animos demulcen-
tem atrocitatem animi deponere populos
coëgisse; nam & dicendi vi, & plurima-
rum artium scientiâ dicitur præstitisse, &
e in Mauritaniam usque ad cognoscendam
doctrinam siderum pervenisse; nec Orphe-
um cantu, fidibusque feras, & lapides com-
movisse, & insitâ feritate, & duritiâ exuis-
se; sed homines agrestes, & feros, & stu-
pidos eloquentiæ suavitate flexisse, & ad
ingenii cultum capiendum, & mansuetu-
dinem morum assumendam tradendis disci-
plinis paulatim compulisse. Sed quid ego
conjecturis utor, quid fabulas consector,
quid Herculem, quid Orpheum loquor?
f Nonne constat Romanos postquam perdo-
mito Orbe terrarum gentibus universis im-
perarunt, non tam armis populos pacavis-
se, quàm invectis liberalium artium, & do-
ctrinæ studiis mitigasse? Quod connubia
ferarum ritu promiscua apud quosdam ha-
beri desierunt; quod nonnulli populi sem-
per in armis esse, & sævire sempiternis cæ-
dibus destiterunt; quod ab humanis hostiis g
immolandis ceperunt abhorrere; quod u-
bique pulchri, & honesti sensus invaluit,
acceptæ sunt leges humanitatis, & pudo-
ris; quod ubique morum asperitas molliore
cultu mutata est, & haberi pro virtute in-
tractabilis naturæ torvitas desiit, referri
debet acceptum litterarum studiis, quæ cum
Romani Imperii terminis usque ad extre-
mas oras terrarum sunt propagata. Ea res
Galliam stolidâ ferocitate sævientem leni-
vit, & mitigavit, compescuit Hispaniam h
semper rebellantem, Germaniam docuit
non armis, & vi, sed æquitate jus conti-
neri, Afrorum perfidiam, & calliditatem
ad meliores artes prudentiæ, sapientiæque
traduxit: ea denique res, ne ulla ferè gens
verè barbara dici posset, effecit. Sed quan-
tum studiis pulcherrimis debeamus, non
alia natio meliùs, quàm ea, quæ studiorum,
omnisque doctrinæ habetur inventrix, o-
stenderit. Tu mihi, Græcia altrix ingenio-
rum, ad declarandam Sapientiæ præstantiam i
testis es adhibenda: tu cum florebas glo-
riâ litterarum, legum, & juris parens ha-
bebaris: tu omnis humanitatis magistra, tu
seminarium virtutis, tu morum sanctitatis:
ex tuo sinu innumerabiles viri, qui fue-
runt exemplum fortitudinis, clementiæ,
justitiæ, moderationis prodierunt: tuis
præceptis ad omnem laudem sunt instituti
Sapientiæ principes, qui suis scriptis divi-
nis, & immortalibus Orbi terrarum lu-
cem attulerunt: tuis legibus Respublicæ k
constitutæ omnes oras, omnesque tractus
virtutis famâ, & rerum gestarum gloriâ
impleverunt. Sed ubi litteræ, quarum diu
Regia, & sacrarium fueras, te reliquerunt,
earum discessu a te virtutes omnes discel-
serunt. Quàm sunt immutati mores, quàm
corrupta disciplina! in fidei locum perfi-
dia immigravit, justitiæ successit iniquitas,
avaritia liberalitati, religioni contemptus
Divini Numinis, mansuetudini crudelitas,
pro humanitate feritas, pro prudentiâ frau- l
des, & doli, pro generis humani caritate
in omnes Mortales odium, pro fortitudi-
ne metus, levitas pro constantiâ, pro amo-
re virtutis omnium vitiorum cupiditates
tuorum incolarum mentibus insederunt:
nec ulla ferè natio bonis exemplis ditior
fuit, quàm Græca, dum honestissimis est
exculta disciplinis, nec ulla malorum fera-
cior, ubi desidia, & pravæ cupiditates bo-
narum artium lumen extinxerunt. O do-
ctrinæ studia omnibus appetenda! o me- m
tuendum omnibus interitum litterarum;
quibus e medio sublatis moribus extrema
labes, perniciesque virtutibus imponatur!
Id videlicet pertimescebant sanctissimi illi
Proceres Reipublicæ Christianæ, quum Ju-
lianus Imperator hostis veræ Religionis ini-
quis-

quissimo edicto profanas litteras discendi
A jus, & facultatem Christianis ademisset.
Quapropter non aliàs vehementiùs indoluis-
se, non acerbiùs conquestos esse constat,
non aliam cladem graviùs deplorasse; non
quum Amphitheatra Christianorum san-
guine redundarent; non quum candentes
laminæ veræ pietatis cultoribus admove-
rentur; non quum tormentorum genera
inusitata excogitarentur; non quum om-
nes terrarum tractus eorum suppliciis inau-
ditis, & cædibus, & exiliis implerentur;
B graviorem putabant doctrinæ jacturam,
quàm corporis cruciatus, quòd illa radices
virtutis prorsus excinderet, hi ad omnem
honestatem fortissimorum hominum indo-
lem exercerent; & illa quidem animo, hi
corpori perniciem afferre viderentur. Et
sanè litterarum studia fuisse Christianæ ru-
dimenta virtutis vel illud argumento est,
quod omnes prope veteres Christiani no-
minis propugnatores, qui doctrinæ gloriâ
floruerunt, & insigni morum sanctitate, &
C pietate erga Deum floruerunt. E Musarum
umbraculis, e Sapientiæ palæstris illa scien-
tiæ, & pietatis lumina prodierunt; Dio-
nysii, Clementes, Justini, Basilii, Grego-
rii, Athanasii, Cyrilli, Chrysostomi, Cy-
priani, Augustini, Ambrosii, Hieronymi;
totus ille divinorum hominum chorus,
quorum ingenium admiramur in scriptis,
virtutem veneramur in templis. Quorum
exemplis tenebriones quidam, osores lit-
terarum deberent admoneri, ne tam tur-
D piter, & flagitiosè litterarum studia in-
sectentur; qui quum e vitâ doctrinæ lu-
cem tollere moliuntur, e Cœlo Solem vi-
dentur tollere; qui disputant ad mores
componendos non prodesse, vel etiam
obesse rerum scientiam, & ingenuas di-
sciplinas; quasi verò virtus vitæ lux a-
nimi sit cæci, rudis, incolti, impoliti,
summis inscitiæ tenebris involuti; & que-
madmodum ab aratro dictatorem Romani
antiquitus interdum accersebant; sic ab
E incultâ vitâ, atque experte bonarum artium
virtus hominum moderatrix, & domina
rerum sit accersenda; qui quum propter
ingenii tarditatem, & vitæ ignaviam sint
indocti, hebetes, imperiti, omni barba-
rie inquinati, mihi videntur damnare, quod
assequi non potuerunt. Horum vocibus
non debetis, Adolescentes, commoveri,
sed exempla spectare Sapientum, auctori-
tatem sequi omnium nationum, quæ bo-
nis artibus, & virtute morum ceteris præ-
F stiterunt; & in hoc stadio, quod estis in-
gressi, strenuè conficere curriculum laudis,
atque gloriæ. Non veteri more vobis hu-
jus certaminis præmium tripodem, aut le-
betem, sed ipsam virtutem proponimus;
qua pretiosior, aut firmior nulla possessio
est; quam si fueritis adepti omnia eritis
consequuti. Emergetis e fluctibus pertur-
bationum, caliginem mentis exuetis, per-
petuo gaudio perfruemini, laudem, & glo-
riam parabitis, in summâ tranquillitate vi-
vetis, felicitatis, quanta potest homini con-
tingere, compotes evadetis. Nec prætcrea
vobis deerunt præmia, quæ tribui virtuti
summis solent; quæ si fortè malignitas for-
tunæ, vel iniquitas temporum vobis de-
traxerit, pulcherrimum certè virtutis præ-
mium, ut docemur exemplo tot heroum,
quorum hodierno die sacra instauramus,
immortalitatem cœlestis, & beatissimæ vi-
tæ Deus non denegabit.

ORATIO XVIII.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1694.

In solemni instauratione Studiorum.

Sapientia victrix Voluptatis.

CUm semper aliàs, Patres am- H
plissimi, Auditores præstantis-
simi, ad dicendum ex hoc lo-
co timidè, & diffidenter acces-
si, tum hodierno die mihi ver-
ba facturo insolitus quidam metus animum
percepit, & occupavit. Quum enim nihil
sit oratori magis adversum, quàm eos a
causâ alienos habere, quibus est aliquid
persuasurus, vereor, ne Juvenes argumen-
ti severitate offendat Oratio mea, quos ad
Sapientiæ studium debet cohortari. Nam
accusandam mihi video Voluptatem, quum
aggrediar ad dicendum, quibus Sapientiæ
præsidiis ejus viribus cuncta vincentibus
resistatur. Hæc autem Oratio quàm est
consentanea veritati, tam abhorret ab in-
genio adolescentium, qui libidinis illece-
bris plerumque ducuntur. Quare metuo,
ne explodatur prorsus Orator, qui dulce-
dinem Voluptatis aspernandam suadeat,
austeritatem Sapientiæ consectandam; ne-
ve, quæ mihi maxima videtur hortandi,
sit causa maxima adolescentes a studio lau- K
dis deterrendi; &, si pulchrè Socrates di-
cere solebat, facile esse in Atheniensium
concione ornare laudibus res gestas Athe-
niensium, quòd ea, quæ quisque diligit,
laudari facillimè patitur, ne sit arduum
audientibus vobis, Adolescentes, convi-
tium facere Voluptati, non mediocriter
pertimesco. Quid ergo, dicet aliquis, hoc
potissimum argumentum persequi malui-
sti?

sti? quod consilium fuit, quum in A Sapientiæ laudes tam lata pateant, ac tam amœna spatia, in hæc dumeta, salebrasque correpere, ex quibus te non facilè possis expedire? Noluimus, Auditores, quam Sapientiæ laudem præclaram inprimis ducebamus, prætermittere: noluimus missam facere occasionem tam opportunam in acerrimam virtutis hostem Voluptatem declamandi. Et quum ab hinc biennium Sapientiam utriusque fortunæ esse victricem demonstrarim, placuit in præsentiâ B victricem Voluptatis ostendere; ut liqueat Sapientiam de fortuna, & voluptate, quæ duæ res in rebus humanis dominantur, & omnia vincunt, magnificè triumphare. Freti præterea sumus indole vestrâ, Juvenes, quibus facilè persuasuri videmur, ut honesta jucundis anteponatis: freti auctoritate doctissimorum Patrum, a quorum gravitate severitas Orationis meæ non abhorrebit: freti denique hujus amplitudine loci, qui litterarum studiis dedicatus C honestissimis debet vocibus personare. Accedit eodem, quod non ita sumus aspernaturi Voluptatem, ut voluptatis hostes esse videamur; sed utemur præsidiis honestæ jucunditatis, qua Sapientiæ beneficio perfundimur, ad obterendas vires inconcessæ voluptatis, & illius pulchritudinem hujus fœditati, illius puram, liquidamque dulcedinem hujus turbidæ, &, ut ita dicam, lutulentæ suavitati, illius tranquillitatem hujus turbulentissimis motibus D opponemus. Quapropter non est nobis desperandum probari posse adolescentibus Orationem meam, qua conabor ostendere, Auditores, hanc esse præcipuam laudem litterarum, quòd earum studiis deditæ mentes, nullius ferè illecebris corruptelæ molliuntur, & Voluptati, qua vestra ætas, Adolescentes, præcipuè capitur, & transversa agitur, Sapientiæ armis resistendum.

Nec sanè quærendum est mihi diu, quo pacto id possit ostendi; nam ea est natura E Voluptatis, ut ubi animum otiosum, & nihil agentem serium illecebris delinitum in suam redegit potestatem, torrentis more pessumdet, & rapiat in præceps impulsum cæcâ vi, & qua jure, quaque injuriâ suas cupiditates explere properantem nullis legibus coërcitum, nullo pudore deterritum, nullo metu repressum, nullâ religione refrenatum, atque ipsis etiam obstaculis commotum vehementiùs, & irritatum; sed ubi hic animi impetus in alias curas con- F vertitur, & a libidine avocatur, penitus relanguescit, & minore vi cupiditatis incitatur. Et quemadmodum fluvii quum imbribus turgidi, nivibusque solutis aucti, & supra ripas elati, & cuncta secum rapientes feruntur, ubi in alios, atque alios rivos derivantur, paulatim intra ripas coërcentur, & sedato cursu dilabuntur; sic animi motus quum a studio Voluptatis, ad alias G curas traducitur, & quasi derivatur, jam non agitur præceps, jam tenere modum didicit, jam parere legibus præclarum putat, jam sedatas habet cupiditates. Nonne videmus homines, qui studio incenduntur acriore alicujus boni consequendi, quàm minimè voluptatibus indulgere? avaros licet intueri, qui in congerendâ pecuniâ suas omnes curas collocarunt; quàm illi abhorreant ab omni voluptate, quàm pro nihilo ducunt omnem corporis, vel animi oblectationem; H qui, tantum abest, ut suavitatis alicujus illecebris teneantur, ut etiam quæ ad vitandas molestias, & corporis cultum pertinent, prætermittant! ut illi squallidi, sordibus obsiti, macie confecti, & quasi retorridi curis, & tristes agunt! ut omnia præter lucrum negligunt! ut nihil laxamenti animum habere patiuntur, semper in rationibus subducendis, in pecuniâ bene collocandâ, vel abstrudendâ, in lucris captandis occupati, nec famis, nec sitis memo- I res, dum unam expleant auri, quæ nunquam satiatur, famem! Sed hi misere vivunt, dum beati esse volunt, qui non solum turpes, verùm etiam honestas voluptates aspernantur; quid hi, qui ad meliores artes, potioresque curas animum appulerunt, num sunt proclíviores ad libidinem? illi verò vel omnium minimè inserviunt cupiditati. Hippolytum certè fabulæ ferunt, quòd acerrimo venandi studio teneretur, tam alienum fuisse ab omni Ve- K neris delinimento, ut ejus nimius animi rigor, severitasque reprehenderetur. Est nimirum omnis occupatio inimica blandimentis voluptatis; nec est cur arbitremini posse quemquam explendæ libidinis cupiditate magnopere commoveri, quem majorum rerum curæ sibi vindicarunt. Nisi verò putatis Alexandrum Macedonem in procinctu, & jam signis collatis cum Dario dimicaturum, quum & periculi magnitudo, & spes ingentium præmiorum, & Imperium L Asiæ, & gloria, quantam nullus antea Rex fuerat consequutus, obversaretur animo; aut Scipionem Africanum excindendæ Carthaginis consilia agitantem, & cum Hannibale jam congressurum, & vel Imperium Orbis terrarum Carthaginiensibus concessurum, vel Romanis vindicaturum de suis voluptatibus multum cogitasse? illi verò nihil posterius libidine habuerunt; quorum alter uxorem Darii omnes Asiæ feminas pulchritudine superantem captam, & suæ M jam potestatis ne videre quidem sustinuit; alter puellam eximiâ, & singulari venustate adductam in conspectum suum restituit inviolatam suis; adeo ne in summâ quidem licentiâ quidlibet agendi indulgere genio magnarum rerum curæ patiuntur.

Quod

Quod si ullum studium, aut ullæ curæ eji-
A ciunt ex animo, & exeuunt omnem ap-
petitionem turpis voluptatis, profectò stu-
dia liberalium facultatum omnem libidi-
nem e pectoribus prorsus exterminant.
Nam aliæ cogitationes tantum detrahunt
ex ardore cupiditatum, quantum occupatâ
mente non finunt ab his animum pos-
sideri; & quemadmodum clavus clavo tru-
ditur, ita quælibet intentior cura exturbat
ex animo vehementem amorem Voluptatis;
ceterùm pleræque earum terrena spectant,
B caduca, mortalia, nec abducunt animum
a regione, in qua cupidorum oblectamen-
ta versantur, sed affigunt corpori, immer-
guntque in materiam, quæ fons est, & o-
rigo cupidinum. At studia litterarum non
solùm avertunt a libidine, quia mentem
curis aliis implent, nec relinquunt locum
appetentiæ Voluptatum; sed etiam quia ex-
secant radices, stirpesque nequitiæ, quia
convertunt animum ad altiora, quia segre-
gant a sensibus, quia ingenerant contem-
C ptum corporearum voluptatum, quia discus-
sis tenebris inscientiæ, qua speciem falsæ
felicitatis consectamur, ostendunt nobis
lucem veritatis. Hinc illa mora existit qua-
libet vitâ beatior, quam verè philosophan-
tibus contingere sapientiæ summus auctor
velut a cortinâ pronunciat; nam relin-
quunt quodammodo corpus, qui in animo
pulcherrimis studiis excolendo sunt occu-
pati. Et verò quàm longè divertunt docto-
rum hominum curæ a turpi voluptate? il-
D læ acuunt mentem, hæc corpus enervat:
illæ honestissimis disciplinis continentur,
hæc in omni rerum fœditate versatur: il-
læ ornant divinam nostri partem, hæc bru-
tam reddit nequiorem. Quare quum aliæ
curæ, quæ non tam pugnare videntur cum
Voluptate, ubi sunt vehementiores, ab e-
jus illecebris avocent animos, & efficiant
firmiores; quanto magis litterarum studia,
quæ tam ab eâ dissident, tam longè rece-
dunt, extinguere cupiditatem Voluptatis, &
E nos ejus dominatu liberare fateamur, ne-
cesse est? Præterea alia studia non omnem
vitæ nostræ partem sibi vindicant, non
semper nos detinent, aliquando intermit-
tuntur. Neque enim semper venator po-
test obsidere saltus, aut exercitum ducere
imperator, aut honores petere ambitiosus,
aut avarus incubare pecuniæ, aut civitatis
rector administrare Rempublicam; hæ ve-
rò artes, quibus ingenia ad omnem humani-
tatem excoluntur, nos nunquam deserunt,
nobiscum peregrinantur, nobiscum navi-
F gant, nobiscum exercentur, nobiscum i-
neunt convivia, nobiscum rusticantur; in
otio, in negotio, in secundâ, in adversâ
fortunâ fidissimæ comites nunquam segre-
gant se a nobis; quando & Socratem in
carcerem, & in latomias Philoxenum, &
Rutilium in exilium sunt comitatæ. Qua- G
propter nunquam non tecti sumus earum
præsidio adversus insidias Voluptatis; ne-
que enim unquam vacuam mentem sinunt
ita esse, ut illecebris ejus possit occupari;
semper agitat quippe aliquid intentus ani-
mus indagandæ veritati. Cujus rei quid
testes citem; quum innumerabiles viri me-
morentur, qui omnibus publicis, privatis-
que negotiis prætermissis ætatem in studiis
consumpserunt; qui illud ipsum tempus, quod
corporis curæ tribuebant, vacare litteris
noluerunt? Quid verò dicam, quantum ho- H
nesti sermones, quibus Doctorum aures a
teneris unguiculis assueverunt, efficiant
contemptum Voluptatis? Cujus rei quanta
ta vis esset, ostendit ille Polemo ex aso-
to adolescente virtutis assectator unâ Xe-
nocratis oratione repente factus. Is quum
ebrius e convivio se proripuisset, in Acade-
miam fortè venit, & ingressus est scho-
lam, quo tempore Philosophus de gravissi-
mis rebus disputabat. Nihil eo juvene pro-
cacius; is erat ornatus, ut ad obsidendum I
stuprum, non ad audiendum philosophum
venisse videretur: illita fuco facies viseba-
tur: stillabat unguento calamistris inusta
coma: hærebat capiti nexa e floribus co-
rona: titubabat gressus, vini plenus, & stu-
pri protervè oculos circumferebat, ex o-
re lascivia, & impudentia eminebat. Au-
ditoris tam petulantis adventu nihil Xeno-
crates commovetur, sed ut instituerat, per-
git splendorem virtutis, & excellentiam
prædicare, obterere verbis Voluptatem; K
fontem malorum, animi labem, perni-
ciem, pestemque corporis dicere, miserri-
mam ostendere vitam Asotorum. His vo-
cibus Polemo, qui forsitan venerat, ut san-
ctissimum virtutis præceptorem irrideret,
permotus dicentem non contemptim, ut
antea, sed seriò cœpit audire, dejecit ocu-
los, contraxit frontem, deposuit, vel po-
tiùs abjecit coronam, ad modestiam com-
posuit vultum, habitumque corporis; tan-
tumque eo sermone profecit, ut qui se in L
omnem libidinem assiduè ingurgitarat, ad
omnem continentiam, severitatemque ani-
mum conformarit; & qui asotus venerat,
philosophus factus discesserit, nec eo quis-
quam gravior, severior, temperantior fuis-
se dicatur. O miram vim honestæ oratio-
nis! o potentiam Sapientiæ singularem!
quæ Circe, quæ Medea sic humani cor-
poris formam in ferinam immutavit, ut ani-
mi speciem jam deformatam repente muta-
vit, effecitque divinam Sapientia? Quod si M
una oratio doctissimi hominis tantum potuit,
ut momento temporis adolescens effusus in
libidinem Voluptatis contemptor evaderet,
osorque vitiorum; nullam ne medicinam
cupiditatibus nostris afferent, nullumque
virtutis amorem, odiumque solutæ luxuriâ
vitæ,

vitæ, ac diffluentis ingenerabunt tot exem-
A pla, tot voces, tot sententiæ, quibus au-
res nostræ quotidie celebrantur, quibus a
teneris unguiculis innutrimur; quum non
sermonem unius tantùm docti hominis au-
diamus, sed ipsius pæne Sapientiæ, quæ
tot eruditissimorum hominum libris, atque
sermonibus nos ab intemperantiâ ad hone-
statem vitæ revocat? Sed nullâ re validiùs
infringit, & obterit Sapientia libidinis, &
incontinentiæ vires, quàm suavitate studio-
rum, & contra Voluptatem pugnat aliâ vo-
B luptate. Mira est, Auditores, in studiis lit-
terarum jucunditas, mira dulcedo Sapien-
tiæ, qua de re uberiùs dicerem, nisi dixis-
sem aliàs copiosè. Quanta autem sit in co-
gnitione rerum suavitas, vel a naturâ ipsâ
docemur, quæ omnes homines discendi
cupidos, ut auctor est Aristoteles, procrea-
vit. Quæ cupiditas quum beneficio doctri-
næ explestur, quis neget e studio littera-
rum maximam percipi suavitatem? Decla-
rant id exempla tot Sapientum, qui & rem
C familiarem discendi cupidine abjecerunt,
& aspernati sunt omnes voluptates, & æ-
rumnas intolerabiles exantlarunt, ut Sapien-
tiæ suavitate fruerentur; quos discentes
priùs vita, quàm scientiæ cupiditas defe-
cit. Hæc autem voluptas, quæ percipitur
ex cognitione veritatis, & studiorum ele-
gantiâ, & varietate, quum illabatur animis,
eosque suis illecebris devinciat, non sinit
irretiri mentes amore turpis voluptatis; &
sicut illi, qui vehementer amant, non fa-
D cilè novis amoribus capiuntur, nec admit-
tunt animo illecebras novæ pulchritudinis;
ita qui capti sunt dulcedine Sapientiæ, re-
spuunt omnem, quasi titillationem alterius
voluptatis. Quid enim, jucunditati, qua
mente vescuntur, jucunditatem corporis
anteponant; quum altera nullius admix-
tione molestiæ perturbetur, alteram ferè
semper dolores consequantur; alteram
cum Superis, alteram cum belluis commu-
nem habeamus; altera sit pura, integra,
E incorrupta, tranquilla, sine metu, expers
omnium malorum, altera turbida, inqui-
nata, non sine magnâ mercede contingat
sollicitudinis, & mæroris, & omnium fe-
rè calamitatum; altera conjuncta sit cum
gloriâ, cum immortalitate nominis, cum
splendore, cum amplitudine, altera cum
dedecore, cum infamiâ, cum obscuritate
vitæ, cum naufragio rei familiaris? E-
nimvero sicut illi, qui purissimi fontis a-
quas haurire consueverunt, fæculenti gur-
F gitis haustum reformidant; ita qui casto
gaudio mentis, & oblectatione studiorum
pasci solent, non libenter hauriunt a cor-
pore profectam impuram, & quasi fæcu-
lentam voluptatem, sed ab eâ refugiunt,
eamque miris modis habent despicatam.
Atque hoc poëtæ viderunt, qui Minervam

sapientiæ Deam veneris expertem esse vo-
luerunt: vidit maximus poëtarum, qui ne- G
minem alium, quàm sapientissimum Græ-
corum Sirenes, hoc est corruptelas volupta-
tis effugisse memoriæ prodidit; quapro-
pter apud eundem Achilles bellator acer-
rimus, rei militaris peritissimus dux Aga-
memnon pro levissimâ voluptate inter se
litigant, jurgantur, insaniunt; sapiens U-
lysses nihil hujusmodi nugis commovetur;
quem neque Circe, neque Calypso fois ve-
neficiis, blanditiisque capere, aut delinire
potuerunt. Quod esse fictum a Poëtâ sa- H
pienter declarant omnes, qui doctrinæ cu-
piditate vehementiùs exarserunt; neque e-
nim unquam videmus præcipites libidine
ferri, & ardere cupiditatibus eos, qui se
litterarum studiis penitus dediderunt. Est
igitur Sapientiæ donum temperantia, con-
temptusque turpium voluptatum; quod
munus hodierno die me Sapientia vobis
jubet polliceri, &, ut ait Poëta,

Pretium dicere muneri. I

Id amplectendum inprimis putatote, ac
ne vulgare Sapientiæ beneficium censea-
tis, quàm agrestis, & sævus voluptatum sit
dominatus cogitate, non minùs vos de-
bere Sapientiæ intelligetis, quàm suis li-
beratoribus illi debeant, qui ab immani,
& importuno tyranno sunt in libertatem
vindicati. Sophocles quidem, quum quæ-
siisset ex eo quidam, an venereis volupta-
tibus adhuc uteretur, dixisse fertur, se ve-
rò ab his tanquam ab agresti, & furioso K
domino profugisse. Et sanè animus domi-
nante libidine premitur intolerandâ servi-
tute; pars illa nostri, per quam similes Nu-
mini divino sumus, quam nobis dedit Deus
moderatricem cupiditatum, lumen animi,
facem veritatis, reginam generis humani,
famula fit voluptatis; quæ tanquam satelli-
tibus circumfusa cupiditatibus divinæ fa-
cultati imperat. At quàm sæva imperat,
quàm pudenda, quàm intoleranda? Ro-
manæ plebi regnante Tarquinio, cui Su- L
perbo nomen est inditum, nihil indignius
videbatur, quàm quòd a bellicis laboribus
traducta ad fossas, & cloacas exhaurienda
in terram demergeretur; eandem perfec
indignitatem non plebeja, sed nobilissima
pars animi, ubi perniciosa libido domina-
tur. Esset indignum rationem dominam
rerum voluptati nequissimæ famulari, etiam
si nihil sordidum, nihil abjectum voluptas
imperaret; nunc autem quanto est indi-
gnius, quod eadem nata imperio divina M
ratio demergitur in cœnum, deprimitur
in terram, & quasi quoddam vile manci-
pium sordidissimis ministeriis inquinatur.
Mitto curas, quibus animi cupidorum la-
cerantur: mitto mærores, metus, sollici-
tudines, anxietates: mitto furias, ardo-
res-

resque, & faces: mitto acerbissimas pœ- A nas cupiditatum, quibus cruciantur. Tantali saxum, Ixionis rota, Sisyphi labor, Tityi vultur sunt fabulæ, & commenta poëtarum; sed in animo voluptati hominum deditorum ea omnia supplicia vera cernuntur. At enim, credo, animum malè habet Voluptas, corpori parcit, corpus fovet, alit, corroborat, juvat? immo verò corpori, quàm animo propemodum est perniciosior. Quam enim Iliadem malorum non invehunt corpori voluptates? B non vires enervantur, nisi enervent voluptates; non species oris deflorescit, nisi pulchritudinis florem carpant voluptates: non præmatura senectus extinguit vigorem juventutis, nisi attulerint senescendi causam voluptates: non morbis valetudo tentatur, nisi corporis salubritatem corrumpant nimiæ voluptates. Pandoram poëtæ ferunt, quum incredibili vi, & facultate præstaret hominum mentes deliniendi, omnia morborum genera, omnes C calamitates invexisse Mortalibus. Quod de Pandorâ poëtæ dixerunt, id verè dici potest de Voluptate, quæ quum miris modis alliciat, ad seseque convertat animos, allectos innumerabili malorum turbâ circumvenit, pluresque Mortales suis blanditiis enecavit, quàm omnes feræ, omnesque immanitates, & tormenta omnia, & furores tyrannorum. Jam verò, quæ famæ vulnera, quæ naufragia rei familiaris, quas eversiones fortunarum libidines at- D tulerunt? Non ulli scopuli, non voragines ullæ, non Syrtes, non Scylla, non Charybdis tam infestæ nautis unquam extiterunt, quàm est inimica fortunis omnium libido. & quàm cito intemperantium opes absorbent voluptates. Sed ego parva conqueror, privatorum damna commemoro, publicas clades non attingo; quam Rempublicam, quod Regnum, quod Imperium non evertit intemperantia? Hinc Troja æquata solo est, Sybaris excisa, Mi- E letus magnis affecta cladibus, eversa Colophon, capta Capua, afflicta fortuna Samiorum. Revolvite animo clades tyrannorum, circumspicite Regna terrarum, nullum locum reperietis, ubi pestis hæc humani generis non sit debacchata, neminem fuisse cognoscetis, cui hæc excetra pepercerit, quem addictum sibi non labefactarit, non prostrarit, non afflixerit. Assyriorum Imperium, quod primum in Orbe terrarum fuit, quum multa sæcula stetisset florens, F & invictum, Sardanapali libidines perdiderunt; earum quippe pertæsus Arbaces bellum adversùs impurissimum Regem conflavit; cujus incendio Assyriorum extincta potentia est, & Sardanapalus ipse unà cum suis opibus, suisque voluptatibus conflagravit: eadem causa Medorum; Persarumque opes, antequàm eæ nationes vincerentur, attrivit: Philippi Macedonis Re- G giam pulcherrimo fastigio consurgentem impulit, & labefactavit intemperantia voluptatis, quâ Philippus Cleopatræ nuptias concupivit, ipsumque Regem Pausanias ejus exoletus in cursu rerum maximarum obtruncavit: Tarquinium Superbum Regno non crudelitas, non facta uxoris impia, non intoleranda superbia, & fastus, non odium civium, sed filii voluptates exegerunt. Quid Decemviros legibus ferendis potestate privavit, nisi Appii cupi- H ditas, Appii parum memor civium libertatis voluptas? quid Hannibalem, quem nullæ acies vicerant, vicit, nisi luxuria, & circumfusæ deliciæ Campanorum? Hæc una causa vitam implevit tragœdiis; Herculis domus confusa est propter Joles Euryti filiæ pellicatum, Thesei propter Phædræ matrimonium, Atamantis ob amorem Themistonis, Jasonis ob Glaucen Creontis filiam, Agamemnonis ob Cassandram Priami; nec ullus tyrannus periit, quem I non suæ pessumdederint voluptates. Pisistratidas Athenienses facilè patiebantur imperare, nisi de stupro Harmodius appellatus tyrannis molitus esset exitium: Archiam, sociosque Thebani diu pertulissent; nisi Archias explendæ libidinis cupiditate, & studio voluptatis opportunum se conjuratis præbuisset: Dionysium juniorem non avaritia, crudelitas, Deorum contemptus, omni vitiorum importunitate maculosi mores magis, quàm voluptatum sitis, & effu- K sæ libidines pulcherrimo Siciliæ Regno ejecerunt: Quid plura congero, quasi verò sit obscurum id, quod excellenti sapientiâ viri confirmarunt, escam esse malorum Voluptatem? Ea Mortales quasi quibusdam præstigiis decipit, deceptos allicit, allectos insidiis circumvenit, circumventos omni clade premit, omni miseriâ obruit vera non ficta Circe, quæ sævissimo veneficio non corpus, sed animum transformat; non spoliat libertate, sed vi- L tâ; non formam solùm dedecorat, sed nihil relinquit intactum animo, corpori, fortunis, famæ, sibi ipsi tandem exitiabilis; nam ubi excedit modum in dolorem convertitur, & est quasi finitima ægritudini. Hanc autem multorum capitum belluam, hanc pestem virtutis, hanc flammam communi incendio omnia involventem, omnibus exitium afferentem, omnia corripientem, sacra profanis, cœlestia terrenis, ferinis vitiis divina polluentem, in M omnes quidem debacchantem, sed vobis potissimùm, Adolescentes, imminentem, & pertimescendam, vestris commodis, vestræ felicitati, vestræ vitæ infestam, atque inimicam nonne remis, ut ajunt, velisque fugietis? nonne omnem laborem perfe-

rendum putabitis, quò vos in eum locum
A recipiatis, ubi ejus ardores, ejus fauces, ejus impetus, & furorem vitare possitis? Atqui nullus præsentius remedium, nullum tanti mali perfugium tutius, quàm quod Sapientia vobis pollicetur; hæc aperit Asylum adolescentiæ vestræ: hæc tranquillissimum portum parat, ubi libidinum gurgites, & voragines haudquaquam pertimescatis. Quin ergo ad Sapientiam contenditis? an mavultis in cœno voluptatum turpissimarum volutari pulcherrimam
B vestri partem deturpantes, & in humum deprimentes; & quum immortalitatem spectare debeatis, in tenebris versari, & intermortuas oblectationes consectari præoptatis? certè id de indole vestrâ, de ingenio, de moribus non licet suspicari. Cogitate igitur, quàm sit vestra ætas lubrica, quàm proclivis ad libidinem, quæ adolescentiam vestram circumstent pericula; & in ea ne incidatis, & capiamini insidiis voluptatum, subsidio sapientiam vobis comparate. Non ea tristem, austeramque vitam proponit; sed vobis honestis voluptatibus non interdicit, præterea alias puriores, & sinceras magis ipsa molitur; ad hæc animi libertatem pollicetur, nam ista ætas, ubi non servit libidini, omni vitiorum jugo liberatur.

ORATIO XIX.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1695.

In solemni instauratione Studiorum.



Litterarum pestem esse Superbiam.

D MUlta, Patres amplissimi, Auditores ornatissimi, hactenus diximus de laudibus litterarum; multa, quibus adolescentes ad eximiam Sapientiæ pulchritudinem consectandam excitarentur, multa; sed quamvis jam sexdecim bene longis orationibus laudatoris munus, & hortatoris expleverim, non tamen inopiâ laudum, quarum fontes nunquam exhauriam, non orationis ad studia incitantis penuriâ, quæ mihi in hac quidem re deesse nunquam possit; sed consilio, sed certâ quadam ratione ab usitatâ dicendi viâ mihi video paulisper hodierno die deflectendum. Quum enim eâ mente studiosi Juvenes, relictâ Patriâ, relicto æqualium cœtu, relictis paternis latibus in hanc urbem, quæ Musarum habetur domicilium, veneritis, ut ad Sapientiam pleno gradu contendatis; non E
tam mihi estis adhortandi, quàm regendi, neque tam excitandi, quàm monendi, quâ ratione eò, quò cursum intendistis, pervenire possitis. Nam quemadmodum viatores, & nautas jam vela facientes non ad iter suscipiendum, & ad navigandum cohortamur; sed potiùs, ni simus ignari, docemus, quam insistant viam, quò dirigant cursum, quo pacto pericula vitent, & scopulos, & prædones, & turbines, & tempestates; ita quum vos videam paratos ad F
ingrediendam viam, quæ ducit ad Sapientiam, non tam cogitare debeo, quibus argumentis inflammem jam incensos ad laudem, & incitatos, quàm demonstrare vobis viam, qua declinetis ea, quæ tendentibus ad summam, excellentissimamque doctrinæ gloriam impedimento esse possint. Neque enim est cur putetis, Auditores, in infestâ latrociniis regione, vel procelloso mari, scopulisque, & syrtibus obsito plures esse pestes, graviora pericula, majora impedimenta, quæ viatores, & nautas G
remorentur, lædant, terreant, urgeant, premant, in summum discrimen adducant, quàm ea, quæ sunt vobis ineuntibus viam Sapientiæ pertimescenda. Obsident hanc quasi monstra quædam vitia, obsæpiunt difficultates voluptatum blandimenta circumstant, implicant errores pæne inextricabiles. Hæc omnia quomodo fugiatis, vobis oportet ostendam, ne quis vestrum vel a Sapientiæ studio deterreatur, vel inducatur in errorem, vel ad voluptates, tanquam H
ad Sirenum scopulos adhærescat. Nec verò mihi consilium est hodierno die omnia persequi, quæ sunt studiosis litterarum adolescentibus declinanda; nam & de eadem re mihi video sæpe esse dicendum, & vereor, ne, si complecti velim universa, quæ sunt incommoda studiis vestris, infinita suscipiatur oratio; sed unum ex multis eligam vitium, quod velis, remisque, ut est in proverbio, fugiendum esse præscribam; I
quo nulla major pestis, nulla perniciosior labes, nullum præsentius venenum Sapientiæ est; superbiam dico, & vanam animi elationem opinione doctrinæ sibi blandientis, & magnificè se circumspicientis, & ineptissimè venditantis; hanc inimicam esse virtuti, infestam sapientiæ, doctrinæ studiis exitiabilem; hanc esse ingeniorum scopulum, bonarum artium bustum, intelligentiæ cæcitatem, mentium caliginem, & tenebras; nec quidquam magis cupidis litterarum hominibus esse metuendum, fugiendum, detestandum, quàm superbiam, falsoque conceptam opinionem de suo ingenio, & scientiâ demonstrabo. Quæ oratio ad laudem, quoque litterarum quodammodo pertinebit, quum contempricem K

cem Dei, & divinitatis hostem super-
A biam docebit hostem etiam esse littera-
rum. Atque, ut intelligatis, Auditores; nullum esse lomen ingenii tantum, nullamque mentis aciem tam perspicacem, quæ non caliget in luce, non densissimis tenebris circumfundatur, ubi elata vano fastu intumescit; non ad fabulas Græcorum, nec ad historias, de quarum fide dubitari quoquo modo possit, sed ad divina monumenta, quorum veritas Deo teste confirmatur, vobis cogitatio convertenda
B est. Nonne sacris litteris proditum est mentes illas cœlestes, & immortales, quum essent a summo rerum Auctore conditæ omni luce plenæ, omni scientiâ illustres, omni dote cumulatæ; quum propter excellentiam naturæ ex contemplatione sui arrogantiâ, & superbiâ se se extulissent, in tantam venisse insaniam, tantos furores concepisse, adeo esse obcæcatas, ut a suo conditore desciscerent, & se ei pares futuras esse confiderent, cujus operâ quod erant,
C quibus gloriabantur dotibus, excellebant. O superbia detestabilis, cujus initium fuit exitium Sapientiæ! o infelix ortus arrogantiæ, qui Cœlum ipsum tantâ clade perturbavit! o stulta fiducia sui, in quantas tenebras, in quantos errores, in quod stultitiæ, atque inscientiæ barathrum conjicis mentes! Quem Mortalium non infatues, non obcæces, non prorsus agas transversum, quum ipsos Deos in illâ beatissimâ luce, quæ manat a fonte luminum, col-
D locatos in tantam stultitiam, & eimmerias mentis tenebras detruserint tuæ præstigiæ; tuæ fraudes, tuæ insanæ cogitationes? Si divinæ illæ, immortalesque naturæ ab omni corporeâ concretione secretæ, quum essent præditæ summâ sapientiâ, quum Deo proximæ haberentur, cujus luce complentur omnia; tamen elatione mentis depravatæ in immensam ignorantiæ caliginem, & horrendam noctem inciderunt; nos homunculi, e cæno concreti, in hunc cæcum,
E tenebrosumque carcerem conjecti, multis erroribus circumfusi, a divino lumine remoti quàm longissimè, in hunc infimum Mundi locum, quasi in exilium amandati, si tumefacti fuerimus vanâ fiduciâ nostri, non ad summam insciriam prolabemur, non omnem sapientiam prorsus exuemus? Enimvero si constat superbiam, simul atque nata est, mentibus offecisse, extinxisse lumen intelligentiæ, sempiternas tenebras attulisse; nunc etiam, quum adulta est, in eadem naturæ pravitate ver-
F sabitur, & si tantum valuit in Cœlo, valebit in terrâ; & si Immortalium mentes depravavit, depravabit & Mortalium. Non enim corpori est inimica, sed menti: non in materiâ versatur, sed in experte materiæ naturâ viget, & dominatur: nec mortalem nostri partem lædit, sed immortalem. Et sicut fumus alia membra non of- G
fendit, sed oculos; ita superbia non aliam partem, sed animi oculum infestat intelligentiam. Declarat id ejus ortus; ceteræ vitia cum corporibus, superbia cum mentibus nata est, & obcæcandis mentibus adolevit. Nec verò in Cœlo, quàm in terris ea pestis damnosior menti, atque intelligentiæ; in ipso Mundi nascentis exordio vix primo homine procreato quantam caliginem offunderet animis, declaravit. Te
appello testem, non tam nostri generis, H
quàm nostræ cladis auctor, qui ante hominum parricida, quàm parens extitisti. Quæ tantæ tenebræ tuam mentem occuparunt, tuam, inquam, mentem perfectissimum Dei simulacrum, plenam scientiæ claritate, plenam luce veritatis, ut malles auctorem insipientiæ sequi, quàm fontem Sapientiæ; malles teterrimi, & fallacissimi hostis vocibus, quàm divini parentis præceptis obtemperare; malles amator
esse tenebrarum, sectatorque mendacii, I
quàm lucis assecla, & discipulus veritatis? Nonne stulta mentis elatio, qua te æquari posse Deo credidisti, incautum fefellit, decepit, induxit, & in omnem errorem, turpitudinem, calamitatemque conjecit? His initiis ortam superbiam, quum sapientissimas mentes, & sapientissimum hominem ad summam insaniam adegerit; quis credat a suâ degenerasse naturâ, & oblitam originis habere quidquam commune cum Sapientiâ, quam
semper exagitavit, evertit, oppressit? quis K
arbitretur eam, quæ omnibus numeris absolutam rerum scientiam in stultitiam miserabilem, furoremque convertit, non posse impedimento esse nobis, quominus sapientiam, a qua longè absumus, consequamur? Erramus, Auditores, vehementer, erramus, si hanc omnium vitiorum matrem cum Sapientiâ parente virtutis, hanc intelligentiæ caliginem cum lumine scientiæ, hunc turbinem, hanc animi furiam
cum tranquillitate Sapientiæ conjungi pos- L
se arbitramur. Quemadmodum corpora, quæ præter naturam tument, sanitatem consequi non possunt, nisi detumescant; sic animus inflatus inani persuasione scientiæ non potest ad Sapientiam, quasi ad sanitatem quandam pervenire. Quàm enim pugnat error cum scientiâ, levitas, & vanitas cum constantiâ, falsitas cum veritate, tam est inimica superbia Sapientiæ; nam superbia mendacio nititur, Sapientia veritate sustentatur.. Atque id Ægyptiorum
mysteriis declaratum est, quæ Typhonem M
Isidis inimicum esse prodiderunt, Deamque semper insectari, semper ejus exitum moliri, semper cum eâ inexpiabile bellum gerere, eaque victoriam consequutâ, atque dominante Typhonis opes concidisse;

Typho quippe nihil aliud est, quàm Super-
A biâ, ut ejus indicat nomen; His autem Sa-
pientia, ficut Auctores gravissimi scriptum
reliquerunt. Jure igitur hæc duo Numina
inter se adversa finguntur, & alterius vicibus
bos invalescere: jure Iside dominante Ty-
phonem jacere, contemni, exulare, cre-
ditum est; quia Sapientia cum fastu bellum
gerit sempiternum, semperque hæc duo
inter se diffident, seseque invicem premunt,
& regnante Sapientiâ non est Superbiæ lo-
cus. An verò non exemplis docemur, u-
B bi plurimum superbiæ est, plurimum repe-
riri semper insaniæ; ubi verò Sapientiæ
plurimum, minimum superbiæ? Superbi-
vit Xerxes Imperii magnitudine, & opibus
infinitis, sed elationem animi quis neget
cum furore fuisse conjunctam, quo conci-
tatus, & bellum intulit elementis, & ver-
bera incussit mari, & compedes injecit
Hellesponto? superbivit Darius multitudi-
ne copiarum, sed eam superbiam quanta
statim stultitia consequuta est! cujus im-
C pulsu Charidemum suadentem salutaria e
medio tolli jussit, cujus uti consilio si vo-
luisset, impendentem sibi, & Regno suo
tempestatem vitare potuisset: superbivit
Hieronymus florentissimo Siciliæ Regno,
qui elatus arrogantiâ alborum equorum
quadrigis, quasi Solis æmulus in Regiam
vehebatur; sed ille fastus habuit comi-
tem imprudentiam, & insaniam, qua a po-
puli Romani societate descivit, qua in om-
nes Mortales crudelissimè est debacchatus,
D acerbissimis inimicis habuit fidem, fidissi-
mos amicos immanissimè trucidavit: super-
bivit aliquantùm magnitudine rerum gesta-
rum Pompejus, licèt alioquin animi mo-
deratione laudandus, quum, quamvis im-
paratus bellum civile susciperet, ubi sup-
plosisset pedem, legiones e terrâ, ut olim
Cadmo ferunt, erupturas gloriatus est; sed
tanquam ea jactantia repentinas menti tene-
bras offudisset, & oblivionem rei militaris
attulisset, tantus ille vir nullus postea fuit
E imperator; tam multa peccavit, ut tres a-
cti de tribus terrarum partibus triomphi
fabulæ viderentur. Prætermitto ceteros,
quorum insignia arrogantia conjuncta stul-
titiæ declarat quoddam esse fœdus insaniæ
cum superbiâ; contra verò sapientissi-
mum quemque modestissimum fuisse repe-
riemus. Non utar exemplis, Auditores,
nisi eorum, qui tenuisse dicuntur sapien-
tiæ principatum, nam infinitum esset enu-
merare Sapientes, qui modestiâ præstiterunt.
F Septem illi, qui soli ex Mortalibus toto
Orbe terrarum habiti sunt Sapientes, tanti
nominis gloriam modestiæ laude supera-
runt. Testis est ille tripus aureus, qui quum
oraculi monitu sapientissimo deberetur,
Thaleti Milesio, qui omnium consensu
primas ferebat, attributus, eoque non a-
gnoscente in se tantam sapientiam, & ad
alium e septem Sapientibus mittente, a quo G
ad alium delatus, & exinde rursus ad alium
missus ivit, velut in orbem, ad omnes cun-
ctis recusantibus pulcherrimum, & omnium
beatissimum sapientiæ principatum, do-
nec ad Thaletem rursus referretur, qui A-
pollini Didymæo consecravit solum Deum
eo dono, quod Sapientiæ debebatur, di-
gnum arbitratus. Ubi sunt illi, quorum
spiritus ne mancipia quidem empta de ca-
tastâ ferre possint, qui se amant sine rivali,
se admirantur sine socio; qui quum vix H
primoribus labris aliquam facultatem de-
gustarint, elati fastu incedunt, & in om-
nibus primas deferri sibi postulant, nec
quemquam æquum putant sibi comparari?
Audiant exemplum, ex quo discant se tan-
tum abesse e Sapientiâ, quantum absunt a
modestiâ, tantumque infra infimos esse,
quantum sibi videntur inter ceteros emi-
nere. Illi verè sapientes honores etiam
ultro delatos respuebant, omnesque sibi,
qui eadem sapientiæ gloriâ florerent, præ- I
ferebant, tantumque aberat, ut propter sa-
pientis nomen, quod Orbis terrarum con-
sensu fuerant consequuti, sibi placerent,
& se insolentiùs efferrent, ut eo Deum
dumtaxat dignum judicarent. Id imitatus
est ille Pythagoras, quem Romani meritò
fuisse Mortalium sapientissimum censue-
runt, qui nomen Sapientis multo magis,
quàm regium appetendum, quum eo om-
nium judicio dignissimus videretur, primus
repudiavit, quum diceret Deo solùm con- K
venire; sibi futurum satis ad gloriam, &
nominis claritatem, si amator sapientiæ, &
studiosus veritatis haberetur. Ita qui prin-
ceps, quoad homini licuit, omnibus nu-
meris absolutam sapientiam est adeptus,
princeps noluit Sapiens appellari, ut appa-
reret eum omnes priùs genitos vicisse mo-
destiâ, qui vicerat sapientiâ. Quid Socra-
tes ille, qui philosophiæ quasi quidam pa-
rens habetur, num sibi placuit, num se
extulit insolentiùs, num sibi quidquam ar-
rogavit? immo verò nescias utrum mode- L
stiâ major fuerit, an sapientiâ, qui quàm
libenter alii de suâ scientiâ gloriantur, tam
libenter nihil sese scire prædicabat; qui
contemptu sui clarior fuit, quàm alii om-
nes auras gloriæ, omnes rumusculos aucu-
pando. Jure igitur oraculi voce Morta-
lium sapientissimus est appellatus, qui ab
hoste Sapientiæ, & pernicie doctrinæ su-
perbiâ plurimum abhorrebat. Nolo diu-
tiùs exemplis ferendis immorari, ne quem
videar Socrate locupletiorem testem ora- M
tionis meæ requirere; quum neque mode-
stiorem, neque sapientiorem quemquam,
neque sanctiorem possim nominare; & mi-
hi non difficile sit ex his, quæ dixi, ar-
gumentum ratione concludere. Si enim
con-

constat omnes ferè, qui tumefacti fastu,
A superbè sese, insolenterque jactarunt, a
stultitiâ, ne dicam ab insaniâ, non absfuis-
se; qui verò sapientiâ præstiterunt, adjun-
ctam habuisse parem modestiam; quis non
videt in eumdem hominem non posse ca-
dere superbiam, & sapientiam; quum su-
perbiæ stultitia, & furor, sapientiæ mode-
stia comes esse videatur. Et sanè qui sibi
nimiùm confidit, sesequa plus æquo mi-
ratur, & suis bonis insolescit, nihil aliud
est, quàm adulator sui, tanto gravior adu-
B lator, quanto quisque sibi plus habet fidei,
quàm aliis; & quòd ab aliis adulatoribus
interdum absumus, a se ipso nunquam di-
scedere quisquam potest; dubitabitis er-
go, quin nequeat Sapientia Superbiæ co-
njuncta reperiri? Cogitate quantos obji-
ciat errores, quantas Mortalibus tenebras
offundat adulatio; non ferè quisquam in-
sanivit, quin adulatoribus aures præbue-
rit, nec aures præbuit, quin insaniverit.
Non loquor solùm de mediocriter pruden-
C tibus viris, sed de summâ prudentiâ præ-
ditis loquor. Quid enim Phalaridem effe-
ravit, nisi adulatorum voces, qui crudeli-
tatem ipsius odium malorum appellabant?
quid seniorem Dionysium irridendum Græ-
ciæ universæ præbuit, quum adulatoribus
credens optimus poeta sibi videretur, &
absurda carmina in olympicâ ludorum ce-
lebritate recitanda curarat? quid Junio-
rem ad omnem nequitiam, improbitatem-
que convertit, nonne adulatorum artes,
D quos circa se plurimos constat habuisse,
qui quantum ei se ad omne obsequium
submittebant, tantum hominem ad om-
nem vitiorum humilitatem deprimebant?
Sed hi tyranni; num reliquis quantumvis
laudatis viris unquam pepercit adulatio?
ut Alexander Jovis filius dici vellet, cau-
sa fuit adulatio: ut Demetrius insaniret,
& stultè sibi divinos honores deposceret,
persuasit adulatio: ut Ptolemæus regiæ di-
gnitatis oblitus sacrificuli vatis ritu bac-
E charetur, assentatorum superstitionem Re-
gis Deorum cultum appellantium fecit a-
dulatio: ut tota civitas Atheniensium de-
liraret, Cleonis, & aliorum rhetorum per-
fecit adulatio: illi denique soli stultitiâ ca-
ruerunt, qui ab adulatoribus cavere po-
tuerunt, quos nunqam vitavit superbia, quæ
quum aliis difficilem se se præbeat, & inac-
cessam, adulationi tantùm patet; & quum
ceteros a se longè segreget, spernatque, a-
dulatores dumtaxat invitat, amplectitur,
exosculatur. Quamquam licèt superbo
F desint adulatores, ipse maximus est adula-
tor sui, se miratur, sibi blanditur, sibi assen-
tatur; & idcirco non stultissimus esse ne-
quit, quia cum adulatore vivat, adulato-
rem diligat, adulatori credat, necesse est.
Sed fortasse dixerit, quispiam vestrûm: tu
quidem excellentiam animi, quæ genera-
tim, universeque sapientia dicitur, osten- G
disti, non posse cum superbiâ copulari;
sed his disciplinis, quarum studio dediti
sumus, tantum esse dissidium cum Super-
biâ non ostendisti. Quasi verò non laudata-
rum artium fructus esse debeat Sapientia, &
nobiles disciplinæ non Sapientiæ partes ha-
beantur, quæ divinarum, humanarumque,
rerum cognitione continetur; aut alia
possit esse natura Sapientiæ, & artium, ex
quibus constat Sapientia. Quid quod stul-
titiam, animi cæcitatem, mentis errorem, H
inscientiam a superbiâ nasci est a nobis de-
monstratum? hæc autem cum honestissi-
mis discipilinis conjungi non possunt, quæ
ingenii aciem, solertiam mentis, lucem ve-
ritatis desiderant. Non est itaque dubitan-
dum, quin ea, quæ de Sapientiæ, Super-
biæque insociabili discordiâ dicuntur, con-
veniant in omnes nobiles disciplinas; sed
tamen agam pressiùs, propiusque congre-
diar, Auditores. Quis vestrûm non fa-
teatur, studiis esse impedimento Super- I
biam, quum Superbia fiduciam sui, fidu-
cia sui negligentiam studiorum, negligen-
tia studiorum inscitiam pariat? Qui supi-
nus incedit tanquam dicturus:

*En impero Argis, sceptra mihi liquit Pe-
lops:*

qui altum spirat, & scientiæ fiduciâ sub-
nixus ambulat, qui tanquam e concilio
Deorum prodierit, & cum Minervâ sermo-
nem contulerit, omnes despicit, omnes K
putat delirare, omnes præ se cœnum existi-
mat, necesse est ad summam facultatis,
quam appetivit, excellentiam sibi pervenis-
se videatur; quum ergo se putet altissimum
doctrinæ fastigium attigisse, nihil sibi di-
scendum, nihil quærendum arbitrabitur;
aut si quippiam se ignorare, aut parum as-
sequi animadverterit, alium percontari, al-
terius doctrinâ uti flagitium ducet; neque
enim quemquam se dignum discipulum,
nedum præceptorum opinatur. Hac igitur L
opinione inflatus, quum nihil sibi magno-
pere discendum arbitretur, & ex alio, quæ
non intelligit, scitari pudeat, in sum-
mâ rerum ignoratione versabitur. Neque
enim est cur putetis, Adolescentes, tan-
to esse quemquam ingenio, ut sine studio
non vulgari, & doctorum hominum fami-
liaritate diuturnâ excellentem doctrinam
assequatur; quod in summis ingeniis præ-
ditos viros intuentes possumus cognosce-
re. Septemdecim annos auctori summo in- M
telligendi, eloquendique Platoni operam
dedit Aristoteles, num censetis aliquem
paucis mensibus, aut levi operâ compotem
fieri posse doctrinæ, quum septemdecim
annos docente Platone sibi ad discendum
necessarios duxerit Aristoteles? Theophra-
stus

ftus semper in studiis vixit, & quum no-
A nagesimum ætatis annum explevisset, ac-
cusavit naturam, quòd eo tempore extin-
gueretur, quo quandam incertam lucem
veritatis, quasi per nebulam videre cœpis-
set; quum solertissimo vir ingenio ferè no-
naginta annos in studiis consumpsisset, sibi
non satis profecisse videbatur; en cur ar-
guti quidam, & loquaces, ludo dediti,
& ventri, atque peni se brevi spatio nullo
studio tantum adeptos doctrinæ putent, ut
sibi familiam ducere videantur. Archime-
B des autem tantâ in studiis assiduitate fuis-
se fertur, ut ipsum Patriæ ruina oppresse-
rit in pulvere formas describentem: Di-
dymus propter indefessum in scribendo,
legendoque laborem Chalcenteros, quod
cognomen aheneis visceribus hominem
præditum sonat: Origines ob eandem cau-
sam Adamantius, quasi indomitus est ap-
pellatus. Quos non imitantur illi, qui su-
perbiam, fastidium, arrogantiam habent pro
virtute; hi enim nihil sibi opus esse labo
C re, nihil studio arbitrantur, & quemadmo-
dum est a poëtis proditum, Pandoræ om-
nes Deos ultro sua munera largè, effuseque
donasse; ita sibi omnes virtutes, omnia bo-
na, & præcipuè Sapientiam Deum, melio-
remque naturam existimant aliud agenti-
bus concessisse; stultissimi homines, & ine-
ptissimi, qui putent nullo negotio se quid-
quam præclarum adipisci posse, quum e-
tiam parva dictu non sine curâ, & labore
homines assequantur. Sed hi, velut utres
D inflati spiritu, contentique vehementiùs li-
quorem, quem infundas, non facilè reci-
piunt, inanitate, fastuque pleni solidam do-
ctrinam, scientiamque non admittunt. I-
deo nihil accomodatius ad ingenii cultum,
quàm modestia; quia sicut subactum so-
lum ad mandanda terræ semina agricultura
desiderat; ita Sapientia subactum, & do-
mitum modestiâ animum, & non superbiâ
contumacem requirit. Quocirca sapienter
Socrates adolescentes, quibuscum versaba-
E tur, antequam institueret, nihil scire con-
vincebat, & a cognitione suæ stultitiæ Sa-
pientiæ studia cogebat auspicari. Alcibia-
dem igitur tumentem generis claritate, æ-
tate, formâ, divitiis florentem, elatum in-
genio, & scientiâ Reipublicæ administran-
dæ, inaniter gloriantem eâ dictorum seve-
ritate compressit, ita confutavit, ita quasi
equum exultantem ferocitate perdomuit,
ut ille alacer, ille ferox, ille gloriosus a-
nimum mœrore demitteret, & se nihili es-
F se fateretur, lacrymasque deplorans insci-
tiam suam ubertim effunderet. Sed illæ la-
crymæ quasi fontes fuerunt Sapientiæ;
nam Alcibiades abjecto fastu, quum eum
inscitiæ suæ tæderet, pigeretque, tanto a-
nimi ardore sapientiam appetivit, ut talis
evaderet, qualem se esse, antequam So-
cratem audiret, sibi falsò persuaserat. Tan-
tam habet modestia vim ad animos amore G
Sapientiæ incendendos; quæ omnibus qui-
dem, sed præcipuè vobis, Adolescentes,
appetenda est, est enim proprium adole-
scentiæ lumen, virtutis ornamentum, in-
dex probitatis, orationis, vitæ, omnium
factorum gratissimum condimentum. Quo
minùs in studiis proficere per ætatem po-
tuistis, eo magis fugienda Superbia, quæ
minuat discendi cupiditatem, quæ restin-
guat amorem Sapientiæ, quum vobis ea,
quæ nescitis, scire vos persuadeat. Hanc H
opinionem, quæso detestamini; est enim
eversio omnis disciplinæ, perniciesque stu-
diorum; nolite credere eorum vocibus,
qui vobis blandiuntur, qui vos propter in-
genii præstantiam posse prædicant non ma-
gno negotio ad summam Sapientiæ lau-
dem pervenire. Vigilandum, laborandum,
toto animi impetu connitendum, repudian-
dæ interdum voluptates, ludo, commessa-
tionibus, & hujusmodi nugis abstinendum;
nec tamen, quum omnia laudis causâ fe- I
ceritis, inflandus est animus opinione scien-
tiæ, sed modestiâ temperandus; nec vobis
adolescentibus credendum est eam rerum
scientiam contigisse, quam acerrimis in-
geniis homines, quum ætatem in studiis
contrivissent, assequi non potuerunt. Præ-
clarè Plato cum his actum putat, quibus non
scientia, sed rectæ opiniones in senectute
contigerunt; quum senibus vix rectæ o-
piniones Deûm benignitate tribuantur,
vobis tam amicum, tam propitium fuisse K
Numen putabitis, ut scientiam pæne pue-
ris, & solidam doctrinam concesserit? Ne
vobis igitur nimiùm placeatis; multum re-
stat adhuc ad Sapientiam contendentibus
viæ, magnum maris æquor arandum; ca-
vete ne assentatorum voces a cursu vos,
tanquam Sirenum blandimenta deflectant;
Superbiam verò, tanquam atrocissimam
tempestatem devitate, invisam Deo, odio-
sam hominibus, eversionem vitæ, hostem
veritatis, calamitatem Sapientiæ, mon-
strum, atque portentum putatote; atque
illud sæpissimè cogitate; modestiâ etiam
vitia commendari, superbiâ odiosas esse vir-
tutes.



ORA-

ORATIO XX.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1696.

In solemni instauratione Studiorum.



Sapientiam sine magno Sapientiæ amore non comparari.

A SI quantum mihi studium fuit, amplissimi Patres, Auditores humanissimi, laudibus ornandæ Sapientiæ, tanta fuisset dicendi facultas, & tanta vis animos commovendi; hoc uti orationis argumento, qoo sum usurus hodierno die, non supervacuum modò, sed & ineptum planè videretur. Quum enim in laudandâ specie Sapientiæ ætatem pæne consumpserim, tantos in vestris pectoribus ejus amores excitassem, ut non quomodo vos languentes inflammarem, B sed quomodo restinguerem accensos, mihi esset cogitandum. Sed quoniam nec eloquentiæ meæ, quæ nulla est, nec ingenio, quo utor infirmo, satis confido, admonendi mihi estis, Adolescentes, ut quem amoris ardorem erga nobiles disciplinas, pulchritudine Sapientiæ proponendâ accendere in animis vestris fortasse non potui, per vos ipsi concipiatis. Amorem scilicet Sapientiæ vobis adsciscendum, copiditatem honestissimarum artium assumendam docebo, & fungar hodie monitoris C officio, non hortatoris; vos, quo præstatis, ingenio, quum egregias artes ardenter appetendas, non oscitanter tractandas esse didiceritis, subjiciendo animis earum præstantiam eas faces vobis admovebitis, quas Oratio mea frustra admovere tentasset; & meliores apud vos eritis oratores, quàm ipse fuerim, qui toties mentes vestras commovere conatus, non satis mihi videor promovisse. Et profectò peropportunè, D quum proximè habitâ ex hoc loco oratione quid fugiendum esset, ostenderim, qoid sequendum sit, hodie demonstrabo. Superiore nimirum anno, ut inanem animi elationem ob opinionem sapientiæ stultè sibi placentis vitaretis, admonui; nunc ut amorem litterarum toto pectore amplectamini vobis auctor, Adolescentes, ero. Qua quidem in re bonos agitatores imitabor; nam ut illi modò frenis, modò verberibus utuntur, & non solùm coërcent, & regunt generosos equos, sed & increpant, instigant, inflammant; sic ego vos non modò à fugiendis deterrebo, sed etiam ad ea, quæ sunt sequenda incitabo. Agite igitur, præstantissimi Juvenes, alacri animo, & erecto E descendite in curriculum studiorum, quorum initiom ab amore ducitur, qui & ætati vestræ est aptissimus, & principiis rerum maximè felix, & auspicatus. Hunc impulsorem vobis dabo, qoo ad Sapientiam acerrimo studio contendatis, hunc hortatorem pulcherrimorum operum, hunc auspicem, ducem, auctorem, facem studiorum, laborumque vestrorum. Et sicut antiqui illi cursores, qui in honorem Promethei, qui sapientiæ, & consilii Deus quidam habebatur, F lampadum ludum celebrabant, ab Amoris arâ facem accendebant; ita vos, qui sapientiæ hoc studium estis inituri, cursumque præsentis anni cum laude confecturi, ut amoris flammâ lumen ingenii, lumen gloriæ vestræ accendatis, admonebo. Nam iis, qui magnum in studiis decus petunt, assumendum ardorem quendam amoris, nec sine vehementissimâ cupiditate sapientiæ, quidquam effici posse egregium, quidquam præclarum conabor G ostendere.

Quanto verò mentis impetu, & quàm inflammatâ voluntate sint appetendæ facultates, quarum studium suscepistis, non aliâ ratione clariùs, Auditores, pervidere possitis, quàm reputando, quàm ardua sit via, qua ad earum excellentiam pervenitur; cogitate quàm excelso in loco Sapientia collocata sit, qua arte possit inveniri condiscetis, ex altitudine Sapientiæ metienda est amoris magnitudo, quo ea comparatur. H Homines omnium sæculorum ingenio principes, quum totâ vitâ nihil aliud egissent, quum incredibili arderent amore cognoscendæ veritatis, quum perpetuis laboribus, vigiliisque ætatem contrivissent, vix illum apicem ascenderunt, vix in summo fastigio constiterunt, vix à primo limine Sapientiam salutarunt; nos, qui ab eorum præstanti naturâ longè absumus, quibus viribus in tantam altitudinem connitemur? quis homi stratos eriget, quis ad altissima coget aspirare, nisi amor? I cui meritò Veteres alas affinxerunt, qoia nolla est tanta sublimitas, tam præruptus, & inaccessus locus, ad quem non possit evolare. Hunc nisi ducem assumpseritis, quàm citò vos laboris tædebit, quem assiduum, & haudquaquam levem in indagandâ veritate subeatis, necesse est? quam brevi mentis intentionem ignavia solvet, aut relaxabit? quàm facilè vos voluptas à severitate studiorum avocabit, & in otium tradet? K quibus pestibus ingenii solius amoris beneficio resistetis; nam solus amor non defatigatur, non laborem sentit, non ullâ rerum difficultate deterretur, non ullis illecebris voluptatis avertitur ab expetiti boni suavitate quærendâ. Hic quidquid est arduom, planum facit, quid-

quidquid insuave, jucundum, qoidquid
A onerosum, leve, quidquid asperum, suave,
quidquid amarum, dulce, amabile, quid-
quid odiosum. O igitur amorem socium
adjungendum ad Sapientiæ fastigium con-
tendentibus! nam qua aliâ ratiooe pul-
cherrimam scientiæ laudem consequi posse
confidamus? non diuturnos, credo, labor,
non assidua cogitatio, non studium con-
tumax, non pervigiles curæ in discenti-
bus requiruntur; ut quædam plantæ radi-
cea habent amaras, fructus verò suaves
B procreant; ita Sapientiæ principia sunt
plena molestiæ, extrema referta jucundi-
tate. Hanc autem amaritiem, quæ studiis
admiscetur, non languor animi, & osci-
tantia, sed amor solus potest devorare, qui
delicias invenit in tormentis. Et sanè si
doctissimorum hominum vitam, & facta
reputemus, amore Sapientiæ flagrasse, &
quasi quodam furore correptos fuisse re-
periemus; nisi fortè arbitramur Indorum
Sapientes, qoum Caucasi nives, & in-
C tolerandos Solis ardores nudi perfere-
bant, quò suæ disciplinæ præceptis ob-
temperarent, animo languente, & remis-
so, & ignavo in eâ philosophandi ratio-
ne esse versatos. Sed hi barbari, & non
satis culti fortasse excesserint modum; quid
in mediâ Græciâ doctissimi viri non æstu
quodam amoris abrepti ad Sapientiam, &
bonas artes animum appulerunt? Non ar-
debat studio scientiæ Democritus, quum
amplissimum patrimonium fratribus divi-
D debat, sibi quod satis esset viatici ad ulti-
mas oras disciplinæ causâ peragrandas re-
servabat? non Socrates incendebatur amo-
re Sapientiæ, quem, quum ad orientem
Solem salutandi sideris causâ mane se con-
vertisset, & ad contemplationem summi
boni animum erexisset, in eodem vestigio
defixum Sol occidens, & rursus oriens de-
prehendebat? non incitabatur acerrimè ad
studium cognoscendæ veritatis Diogenes,
qui qoominus Antisthenem summum vir-
E tutis præceptorem sectaretur, audiretque
de moribus, & rerum naturâ disputantem,
nec asperitate verbotum, nec verberum
contumeliâ potuit deterreri? Dies me de-
ficiet recensentem excellenti doctrinâ vi-
ros, quorum summus amor extitit discipli-
narom, quas appetendas putaverant. An-
tisthenes iter quioque millium, quo inter-
vallo Piræeum, ubi habitabat, aberat a do-
mo Socratis, quotidie bis pedibus dicitur
confecisse, ut Socraticis sermonibus inte-
F resset: Demosthenes in dicendi studio tan-
to est animi ardore, & tantâ assiduitate
versatus, ut nunquam opificum anteluca-
nâ industriâ vinceretur: Euripides civiom
cœtus, omnesque voluptates relinquebat,
& quum in antrum horridum, obscurum,
remotum a vestigiis hominum secessisset,
ibi divinas tragœdias elaborabat, & pul-
chritudine dumtaxat operum animum o- G
blectabat: Plinius, quò Vesuvii montis
naturam cognosceret, exundantis ardoris
vapore consumptus est. Negare, si pote-
stis, Auditores, hos arsisse desiderio artium
optimarum, qui summos labores, & in-
commoda, & contumelias earum causâ per-
tulerunt; qui divitias, & rem familiarem
propter scientiæ studium neglexerunt; qui
alienatâ a sensibus mente operam dederunt
Sapientiæ; qui hominum cœtus, omnem-
que jucuoditatem, & seipsos reliquerunt; H
qui mortis periculum amore cognoscen-
dæ veritatis adire non recusarunt. Quid,
rogo vos, Auditores, nisi amor, & amor
acerrimus appellari debet ardor ille tam
fervens, qui adeo in excellentibus viris
exarsit, ut nullis rebus adversis, nullis pro-
speris, nullâ temporum diuturnitate, nul-
lâ senectute posset extingui? Democritus
centesimum nonum ætatis explevit annum
semper in indagandâ veritate insatiabili
studio occupatus: Isocrates nonaginta con- I
fecit annos, centum octo Gorgias Leon-
tinus, Pythagoras, & Protagoras nonagin-
ta; & tamen quum ad extremam senectu-
tem pervenissent, discentes prius vita de-
seruit, quàm studium facultatum, cui se
ioeunte ætate dediderant. Quæ fuit tan-
ta amoris magnitudo, quis ardor ille tam
vehemens, quem tam longa ætas non re-
frigeravit? Nulla profectò cupiditas vo-
luptatum tanto intervallo temporis non
esset expleta, nulla deliciarum sitis non K
extincta, nulla delectationis jucunditas
non satietate exolevisset, solus in egre-
giis pectoribus tamdiu permansit amor Sa-
pientiæ. Quod si doctissimos viros constat
amorem disciplinarum non mediocrem,
sed pæne immensum, ad eam, quam con-
sequuti sunt doctrinam, ducem habuisse,
quis eundem omnibus assumendum, qui
eandem doctrinæ gloriam appetunt, non
fateatur? Ut qui picturæ dant operam,
quid summi artifices in pingendo observa- L
verint spectant; & qui rei militari student,
qoid maximi imperatores in admioistran-
do bello sequuti sint, animadvertunt; &
qui agriculturæ sunt studiosi, quod optimi
agricolæ faciunt, ad agri colendi rationem
putant pertinere; & qui se venandi studio
dediderunt, quod præstantissimi venatores
usurpare solent in venando, æmulandum
sibi arbitrantur; ita nos, qui studia littera-
rum colimus, quem in summis viris amo-
ris ardorem fuisse intelligimus, hunc uti- M
lem, hunc in ratione studiorum necessa-
rium, hunc imitandum nobis existimare
debemus. Sed qoid ego sic argumentor,
quid sic ago, tanquam ab ultimâ vetustate
sint exempla repetenda; quum posita sint
ante oculos vestros hujus rei multa, & præ-
clara

clara documenta? Convertite, Auditores,
A animum ad cœtus hominum litteris dedi-
torum, contemplamini vitam, mores, &
instituta cognoscite, omnes ardere, & con-
fici desiderio Sapientiæ, omnes quàm simili-
mos esse amatoribus intelligetis. Nam ama-
tores ex desiderio laborant, & quasi con-
tabescunt; pallorem, & maciem e studiis
contrahunt litterati: amatores carere suis
deliciis non possunt; sine jucunditate stu-
diorum vitam sibi acerbam putant littera-
ti: amatores vigiliis, & nocturnis excubiis
B amores suos sibi demerentur; e somno ex-
citantur, & de multâ nocte vigilant amo-
re sapientiæ litterati: amatores licèt absint
a formâ, quam depereunt, licèt aliam in-
tueantur, tamen ad absentem animo con-
vertuntur, eamque sibi præsentem consti-
tuunt, & solam semper admirantur; quam-
vis a studiis absint, quamvis aliis negotiis
distineantur, aliis voluptatibus afficiantur,
tamen animum ad solitas artes referunt, &
semper aliquid de doctrinâ, quam profi-
C tentur, cogitant litterati. Ubi amor men-
tem occupavit, non ferè locum relinquit
aliis cupiditatibus, & Dictatoris imperio
comparatur; quia quemadmodum creato
Dictatore omnes aliæ potestates dissolvun-
tur; ita amore dominante omnes alias cu-
ras, omnia studia, omnem cupidinem ne-
cesse est ex animo exulare; studium litte-
rarum, in quibus existit vehementius, ii
non ferè aliarum studio rerum commo-
ventur; nec avaritiâ fervent, nec sunt ad
D libidinem proclives, nec effusi in volupta-
tes; sed omnes animi motos ratione com-
pressos delectatio discendi sola moderatur;
non levius denique vulnus infligit animo
studium litterarum, quàm amor corporeæ
pulchritudinis perfruendæ. Plato certè sa-
pientiæ princeps in convivio studiosos in-
quirendæ veritatis cum vulneratis morsu
viperæ comparavit, quòd utrique vehe-
mentissimè, alteri dolore, alteri scientiæ
cupidine torqueantur. Quis igitur inficias
E ibit, cupidos artium præclararum veros
esse amatores, & omnes numeros amoris
habere studium litterarum, quum omnia,
quæ conveniunt in amantes, conveniant
in studiosos nobilium facultatum? Immo
si quis amoris naturam diligenter contem-
pletur, acriorem esse vim in stodio littera-
rum, quàm in illo ardore, qui a corporis
formâ excitatur, animadvertet. Quid enim
aliud est amor, quàm desiderium pulchri-
tudinis? pulchritudo est amoris alimen-
tum, pulchritudo mater, & nutrix, pul-
F chritudini servit amor, pulchritudinem
solam colit, solam diligit, solam consecta-
tur; nihil amat indecorum, nihil incon-
cinnum, nihil absonum, aut absurdum,
ab omni turpitudine refugit, turpitudinem
omnem aversatur. Quum igitur in appe-
titione corporeæ pulchritudinis vel inde
turpitudo, vel suspicio quædam turpitudi- G
nis, in eâ concupiscendâ amor quodam-
modo claudicare, & suæ naturæ cogitur
oblivisci. Et sicut fabulæ ferunt Vulca-
num, quum Cœlo dejectus esset in terras,
claudum esse factum, nec se posse vi suâ
sustinere; ita verè cœlestis ignis amor,
quum in terram, hoc est ad mortales for-
mas delabitur, debilitatur, amittitque vim
suam, & ab ingenitâ nobilitate desciscit,
nec est verus amor, quia non solâ pulchri
specie commovetur; quemadmodum ignis H
hic, quo utimur, non est verus ignis, quia
plurimum materiæ habet semper admix-
tum. At studium litterarum, quum sit ho-
nestissimum, quum pulchritudo Sapientiæ,
quam appetit, sit pura, sit simplex, & om-
nibus numeris absoluta, & longè mortali-
bus formis antecellat, nec habeat adjun-
ctam ullam notam turpitudinis, est nimi-
rum verus amor, qui nullis materiæ sordi-
bus inhærescit, & implicatur; sed liberè
volat, nec est sollicitus, nec se revocat, I
& suis viribus moderatur; sed toto nisu
contendit ad expetiti boni possessionem.
Quis igitur neget studiosis esse necessa-
rium ardorem quendam amoris, quum i-
psum studium litterarum, serium dico, &
non vulgare, amor, & quidem flagrantis-
simus habeatur? Ac mirum profectò, mi-
rum videretur, si præclarissimarum facul-
tatum studiosi ad earum scientiam compa-
randam amore non indigerent. Quid enim
est in vitâ egregium, quid præclarum, quid K
expetendum, quod ab amore non profi-
ciscatur? Quemadmodum ignis in univer-
sâ rerum naturâ movendi vim obtinet, &
sine eo immobilis materia, & bruta torpe-
ret; neque hic admirabilis Mundi ornatus
extitisset, nec animantes ad sobolem simi-
lem sibi procreandam impellerentur, nec
plantæ frondes, fructusque profunderent,
nec terra tantâ varietate pingeretur, sed
informis, & quasi concreta, & cæca re-
rum moles consisteret; sic amor in Mor- L
talium vitâ est causa, qua cientur animi,
& aguntur, & ad omnem laudem excitan-
tur; nec sine eo quidquam laudandum,
mirabile, pulchrum, gloriosum extitisset;
sed homines inculti, inertes, ignavi age-
rent, & inornata esset vita, & parum a
belluarum feritate differet; nec quisquam
vir egregius, & memorandus quidquam
magnâ laude dignum, nisi stimulis amoris
fuisset impulsus, appetivisset. An verò pu-
tamus Alexandrum Macedonem tantas res M
gesturum fuisse, tantum terrarum victoria
peragraturum, immanes, & barbaros gen-
tium mores sublaturum, Europam cum ex-
tremâ Asiâ legibus, & connubiis, & insti-
tutis conjuncturum, nisi amore gloriæ, a-
more pulcherrimorum operum, amore vir-

tutis exarsisset. Licebat otioso frui Macedo-
A niæ Regno, quod ipsi pater opulentissimum
reliquerat, licebat frui Græciæ Principatu
Philippi virtute parto, & suâ rursus con-
stituto; cur sub pellibus esse maluit, cur
asperrimos montes superare, obire deser-
tas Asiæ regiones, tempestates, frigora, æ-
stus, labores, sitim ferre, toties acie con-
fligere, inter hostium tela versari, vulne-
ribus confodi, urgeri, collidi, conflictari,
toties de glorià, de Regno, de vità dimi-
care, Indos, & inauditas ad eam diem gen-
B tes lacessere, apud Mallos extremum adi-
re discrimen, numquam quiescere, num-
quam Orbem terrarum quietum esse pati?
num sine animi ardore, sine mentis im-
petu, sine desiderio excellentis alicujus
boni est tanta molitus? Quid Codrum,
quid Decios arbitramur, quum pro Patriâ,
pro salute legionum se devoverunt? non
vi amoris erga Rempublicam in manife-
stum exitium præcipites irruisse? Licèt eo-
dem modo summos imperatores nomina-
C re; quippe nec Miltiadem, nec Themi-
stoclem, nec Cimonem, nec Epaminon-
dam, nec Pelopidam, nec Cononem, nec
Agesilaum; nec Romanos Camillum, Cu-
rium, Fabricium, Marcellum, Fabium Ma-
ximum, duos Scipiones, Marium, Lucul-
lum, Pompejum, Cæsarem crediderim si-
ne amoris impulsu, quo vel Patriam pro-
sequebantur, vel suam ipsi gloriam, vel
potentiam appetebant, tantas res gessisse,
tantos labores pertulisse, tantis periculis
D caput objecisse. Sed hi licèt amoris furo-
re pulchro, & laudabili non incitarentur,
ut revera incitabantur, poterant furore
Martis ad tantam rerum gestarum magni-
tudinem excitari; excellentes autem viri
vel condendarum legum laude, vel Rei-
publicæ administrandæ, nisi amoris quo-
dam, ut ita dicam, incendio exarsissent,
nunquam tantas sollicitudines, tantos do-
lores, tantas acerbitates, & injurias exhau-
sissent. Lycurgus ut saluberrimis legibus
E luxu diffluentem, & solutâ disciplinâ flu-
ctuantem Spartanorum civitatem consti-
tueret, inter populi concitati minas, furo-
remque jactatus est, seditiosorum contu-
melias pertulit, capitis discrimen adiit, o-
culum amisit, ne legum præsidio Respu-
blica orbaretur; & ad extremum excessit
ex urbe, legesque, quas tulerat, ne possent
abrogari, sancivit exilio. Quis unquam,
ut suis deliciis potiretur, tam multa perpes-
sus est, tandiu peregrinatus, quàm Solon
F ille celeberrimus Atheniensium legumla-
tor, qui, quò sapientiùs Rempublicam tem-
peraret, omnes urbes, omnesque regiones
adivit, quæ aliquâ laude florebant Reipu-
blicæ bene constitutæ, ut populorum mo-
res, & instituta cognosceret? Quid alii
legum conditores? quid reliqui, qui Rei-
publicæ clavum tenuerunt, quantum ani-
mi ardorem prætulerunt? Non libet re- G
ferre Phocionis ærumnas, & calamitatem;
non quas pertulerit Cato tempestates, & pro-
cellas, ut libertatem Patriæ tueretur; non
clades Ciceronis, quem neque Catilinæ fa-
ces, neque Clodii furores, neque Anto-
nii minæ, & crudelitas a Reipublicæ præ-
sidio dejecerunt. Quæ omnia si a clarissi-
mis viris potuisse exantlari, potuisse perfi-
ci sine amoris instinctu creditis, vehemen-
ter erratis; neque tanta vis asperrima quæ-
que tolerandi, & pulcherrima perficiendi H
in alio, quàm in amore potest inveniri, ne-
que frigidus, aut tepens ad tanta munia obe-
unda est idoneus. Sed hactenus, Auditores,
vos argumentis ex humano ingenio, ex
humanâ sapientiâ petitis docere tentavi;
nunc majus quiddam molior, excellentius
genus rationum requiro, ad altiora men-
tem converto; non humanæ sapientiæ, sed
Divinæ facta perscrutor. Quum ille rerum
Conditor, & Mundi architectus Deus ex
informi, cæcaque materiâ fabricatus est I
Universum, Artifici Divino socium, & im-
pulsorem tanti operis fuisse amorem do-
ctissimi viri prodiderunt; hunc in sinu con-
fusæ molis illius esse versatum, quò rerum
silvam lucis, & decoris omnis expertem ad
summi boni lucem converteret; hunc in
mente Divinâ excitisse, qui eliceret fontem
luminis sempiterni, & ad omnia illustran-
da, formanda, perficienda deduceret; hunc
duabus alis ingentibus ab ortu, occasuque
complexum esse Mundum, quibus cuncta K
foveantur, animentur, protegantur. Ergo
Divina Sapientia, quum admirabili ordine
cuncta distribueret, quum elementa com-
poneret, quum Cœlum signis fulgentibus
ornaret, terram Oceano circumfunderet,
& tantâ multitudine lapidum, metallo-
rum, animantium, plantarumque com-
pleret, Amorem habuit administrum, co-
mitem, ducem, adjutorem. Et quærimus
adhuc, quid humanæ sapientiæ sit neces-
sarium, quid assumendum? & non in illum L
rerum Auctorem intuemur, & quoad homi-
ni licet, mentem illam supremam omni
conatu, & nisu mentis imitamur? Amor
affuit Divinæ Sapientiæ, quum maximum,
excellentissimum, pulcherrimum opus mo-
liretur, cur nostræ non adsit, quum quidpiam
molitur excelsum, egregium, præclarum,
prædicandum? An Artificis æterni sapien-
tiâ, quæ non impeditur, quæ non est ul-
lius rei indiga, cui quàm pronum est vel-
le, tam facile, quidquid voluit, expedi-
re, ad agendum amore debuit excitari, M
nostra non debet? quæ tam infirma est,
tam iners, tam inops, tam impedita, cui
tenebras offundunt voluptates, quam e-
nervat otium, quam corporis, & sensuum
præstigiæ a veritate cogunt aberrare; immo
verò

verò solus amor hanc potest commovere,
A solus potest hanc errantem in viam deducere. Nam si ardor ille, qui ab aspectabili pulchritudine accenditur, nonnullos doctrinæ compotes fecit, & artium maximarum; ex quo illud manavit contritum vetustate proverbium, Musicam docet amor, quanto magis faciet ipsius amor sapientiæ? Hic vobis, Adolescentes, conjectandus, assumendus, amplectendus; ceteros amores damnosos, futiles, leves, fugiendos, fallaces re ipsâ experimini; solum ætati vestræ
B conducibilem, stabilem, firmum, appetendum, vereque amabilem amorem virtutis, & Sapientiæ experiundo cognoscetis. Non debeo, Auditores, tentare quonam modo vos ad amorem Sapientiæ possim excitare, quum initio dicendi me imparem esse tantæ rei sim fassus; ipse mihi amor, ut vos inflammet, est invocandus. Tu mentium dominator, & victor, tu suasor omnis honestatis, depulsor ignaviæ, tu solertiæ stimulator, ingeniorum lumen, studiorum fax,
C incitamentum virtutis, amor, incende mentes omnium ad Sapientiæ pulchritudinem amplectendam: tu, cui nihil arduum est, nihil inaccessum, aut insuperabile, si quæ angustiæ nos prement in susceptâ ratione studiorum, si quæ difficultates deterrebunt, eas faciles reddes, & expeditas: tu, qui omnem acerbitatem, & amaritiem suavem, & dulcem facis, si quid amari, si quid asperi habebunt principia Sapientiæ, mitigabis: tu, qui omnes doctissimos viros ad
D apicem, excellentiamque doctrinæ extulisti, nos etiam, quamvis ab illis multum distemus extolles: tu, qui tam conjunctus es cum studio litterarum, ut idem esse videaris, litterarum studia colentes ne deseras: tu omnium auctor, quæ laudantur in vitâ, ad excellentissimam doctrinæ laudem contendentibus esto nobis incitamento: tu Divinæ Sapientiæ comes, & administer, humanam regere, augere, & excitare ne dedigneris. Quod si nostros conatus adjo-
E veris, nobisque benignus aspiraveris, non ut veteres Athenienses in celeberrimo Orbis terrarum gymnasio tuum simulacrum dedicabimus, sed in pectoribus nostris, in intimis animis tuum venerandum numen consecratum gestabimus.



ORATIO XXI.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1697.

In solemni instauratione Studiorum.

Studiosis adolescentibus vitia esse fugienda.

INdoles vestra, Juvenes ornatissimi, vestra, Patres amplissimi, dignitas, gravi- F
tas, virtus me cohortantur, ut ea quæram argumenta dicendi, quæ cum honestate maximè conjuncta videantur. Nec vereor, ne si minùs mollem, & delicatam viam, quæ ducit ad Sapientiam, demonstraro, Adolescentes, qui ad me audiendum frequentes convenerunt, a doctrinæ studiis deterreantur. Quin etiam causæ magnopere confido, vehementerque lætor, Auditores, quod, quò ad summam rerum scientiam pervenire possitis, ea vobis G
consectanda, ea fugienda proponam, quæ essent consectanda, essent omnino fugienda, etiam si ad aliud vitæ institutum animum appulissetis. Quo faciliorem mihi spero futuram persuadendi esse rationem; nam quemadmodum Socrates ille philosophiam ad mores componendos transtulit, & in mediis hominum cœtibus collocavit; ita hodierno die mores ad philosophiam, & studia litterarum excitanda, alenda, promovenda sum devocaturus, & odium H
vitiorum in mentibus vestris defixurus. Quare vos oratos velim, Adolescentes, qui studiorum curriculum estis ingressuri, ut, si quando aliàs, orationi meæ aures quàm attentissimas præbeatis. Non enim agitur de re levi, & quæ animos prætervehi debeat; sed agitur de eo, in quo progressus vestri summa consistit: agitur de animis ad Sapientiam præparandis: agitur de stultitiâ prorsus exuendâ: agitur de jaciendis veræ laudis, & gloriæ fundamentis. Anno supe- I
riore, quid amare deberetis, ostendi, nunc, quid odisse debeatis, ostendam: ostendam Sapientiæ pulchritudinem appetentibus vitiorum turpitudinem esse fugiendam, animum ad omnem honestatem componendum, odio habendas pravas cupiditates, quibus ætas vestra solet interdum, Adolescentes, inflammari. Quod odium nisi assumpseritis, nihil vobis ingenium proderit, nihil indoles, qua præstatis, nihil Sapientiæ cupiditas, qua flagratis, nihil excellentium disciplina Præceptorum, quibus vos dedidistis. Nam sicut illa sacra, quæ

quæ myſteria antiquitus vocabantur, nemo A ſpectabat, niſi qui longâ corporis caſtimoniâ, & diuturnâ Initiorum religione animum ad ſpectaculum præparaſſet; ita ad Sapientiam nemo poteſt aſpirare, nemo ejus arcanam ſpeciem poteſt intueri, niſi qui vitiis depoſitis mentem idoneam reddidit ſpectaculo tantæ pulchritudinis, & claritatis; nec illotis, ut ajunt, manibus litterarum ſacra tractantur. Sunt enim vitia ad egregiam doctrinæ laudem viam affectantibus magno impedimento; ea cæ- B cant animos, nec ſinunt unquam in purâ veritatis luce verſari, quod erit argumentum hujus meæ dictionis.

Ac mihi primùm occurrendum eſt, Adoleſcentes, tacitæ veſtræ reprehenſioni; nam ſi quis veſtrûm fortè miretur, eoque me redarguendum putet, quod ex hoc ipſo loco pollicitus aliquando litterarum ſtudia animis medicinam allatura, & ad emendandos mores plurimum profutura; nunc antequam eam medicinam adhibeatis, ante- C quam ſtudia veſtra inchoëtis, vos, quaſi ea nihil proſint, jubeam ad animi ſanitatem pervenire, quæ cernitur in vitiis depellendis; reſpondebo me præſtantiſſimos Medicos imitari. Nam ſicut illi priuſquam diſcutere morbos remediorum ſalubritate conentur, imperant abſtinentiam, arcent a voluptatibus, quibus valetudo labefactatur, præſcribunt corporis quietem, animique tranquillitatem; neque enim aliter concipi venis medicamenta, & corpora perdu- D ci poſſunt ad ſanitatem; ita ego vobis antequam Sapientiæ ſtudium, quod eſt animi vera medicina, ſuſcipiatis, præcipio a vitiis abſtinendum, modum ſtatuendum cupiditatibus, adhibendum delectum voluptatum, humiles, & ſordidas curas aſpernandas; ſic enim animo conſtituto influent ſalubriter præcepta Sapientiæ, & documenta virtutis altiùs inhærebunt. Non jubeo vos, antequam in doctrinæ ſtudiis longiùs procedatis, ad excellentiſſimam virtutem E pervenire: non jubeo aſcendere illam editam arcem Sapientiæ, quam doctiſſimi viri vix aſcenderunt: non jubeo vacare omnibus animi morbis, & perfectiſſimâ frui ſanitate mentis, quæ bona nemini ſine altiſſimâ doctrinâ, vel ſingulari divini Nominis beneficio contigerunt. Sed jubeo melioribus curis aſſueſcere: jubeo virtutis amorem in animis excitare, totoque niſu mentis, quæ prima ſapientia eſt, vitium fugere, & quæ pars magna ſanitatis eſt, F velle ſanari; nam perturbato animo, & ad explendam libidinem hiante, & imminente, & cupiditatibus obcæcato numquam poteritis veritatis, & Sapientiæ lucem pervidere. Quod cum ex multis, quæ vobis in mentem venire poſſunt, Auditores, tum ex his, quæ dicam facillimè cognoſcetis.

Duo ſunt, quæ requiruntur in eo, qui in ſtudiis litterarum operæpretium facturus eſ- G ſe videatur, intelligendi ſolertia, & voluntas incenſa ſtudio diſcendi, percipiendæque veritatis, ſtatui verò non poteſt, utra magis deſit iis, qui in aliquâ morum fœditate verſantur. Mens illa perſpicax, illa rerum naturæ capax non cadit in hominem, qui relictâ ſui parte divinâ, & immortali, & ad corpus, materiamque converſus immerſit ſeſe in altiſſimum gurgitem cupiditatum. Quis enim neſcit animum, quo magis corporeas voluptates am- H plexatur, quo magis cupiditatum flammis incenditur, eo magis immiſcere ſe corpori, magis adhæreſcere, infigique materiæ; ſic autem infixum corpori induere quodammodo naturam corporis, & ejus contagione fieri, ut ita dicam, craſſiorem, quum craſſæ, concretæque naturæ magis, ac magis miſceatur; ex quo mentis acies hebetatur, perit illa ſubtilitas, quæ pervadit omnia, quæ omnia penetrat, inſinuatque ſeſe in abditos ſinus, latebraſque naturæ, & I Univerſum ſuâ luce colluſtrat? & quid ni pereat? Eſt a doctiſſimis viris proditum animum impreſſas habere omnium rerum notiones, vigere ſenſu præſtantiſſimo, nihil omnino reperiri, quod non intellectu conſequatur, & ſi corporis vinculis liberetur, nihil indigere diſciplinâ. Quo tempore igitur obliviſcitur ſcientiæ, & ut poëtæ loquuntur, lethæum flumen bibit? quum deſcendit in corpus, quum corpori conjungitur, tunc materiæ temere flu- K ctuantis impetu agitatus, & attonitus in ſummâ rerum ignoratione verſatur. Et quod de priſcis illis hominibus, qui recenti Mundo ævum agitabant, Æſchylus dixit, videns nihil videt, & audiens nihil audit; nec ante deponit hunc ſtuporem, hanc mentis tarditatem, quàm tempore procedente paulum compreſſo materiæ motu, quo pellitur, & agitatur, & admonitus a ſenſibus, & diſciplinâ eruditus ad memoriam rerum, quas viderat, & quas L mente comprehenderat, excitatur. Quod maximè contingit, quum ſeſe maximè abducit a rebus externis, & in ſe ipſum recedit, & corpus relinquit; tunc inſitas rerum notiones contemplatur, & aliquâ veritatis luce perfunditur. Nec tamen poteſt, dum in his tenebris, & cæco carcere commoratur, lumen illud, quod in ſe continet, clarè pervidere; tantumque obſcuratio, quam corpus affert, valet, ut quum omnium rerum formas complectatur, num- M quam tamen eas, niſi velut per nebulam, & caliginem cernat, & interdum aberret a vero, & in magno errore verſetur; quamvis in intimâ ſui parte inſitam gerat, & prorſus attingat inhærentem ipſam veritatem. Quod ſi corpus tantas tenebras affert ani-

animo etiam Sapientum, qui avocant co-
A gitationem a sensibus, qui in mentem co-
nantur assurgere, qui se abducunt quàm
longissimè a corpore, & corpori non famu-
lantur; quantas afferet his, qui libidinum
laqueis irretiti sese corpori penitus dedi-
derunt? Nonne necesse est ipsos nihil, ni-
si corporeum, cogitare, habere mentem
crassâ, & concretâ caligine circumfusam,
plenos esse inscitiæ, & stuporis, non posse
rerum inclusam animo, & involutam pe-
nitus notionem explicare, eorumque a-
B nimum ad corporis, cujus amore tenentur,
naturam, & similitudinem proximè acce-
dere, ob eamque causam esse brutum, &
ineptum percipiendis disciplinis? Enim-
vero tam perspicuum est animos, qui se
constringendos dederunt voluptati, & cor-
poris delinimentis capiuntur, dum hujus
quasi custodiâ attinentur, non posse altiùs
evolare, non posse perrumpere crassam er-
roris, & inscitiæ nebulam, quæ circum-
funditur, & ad lucem scientiæ, & verita-
C tis emergere; ut summi auctores intelli-
gendi putaverint, etiam post obitum a cor-
pore separatos humi volutari, & amo-
re materiæ, cui cupidiùs inhæserunt, cor-
poribus assidere, & concretam labem secum
trahentes, & stupidos, & tenebricosos in
hac aëris infimâ regione versari; atque hos
esse eos, qui in sepulcris habitent, & ta-
bo cadaverum delectentur, & spectris hor-
rificis terreant imperitos. Si animi, qui
corpus reliquerunt, tamen corporeis pe-
D stibus, quibus assueverunt, tenentur, quid
quum in ipso corpore commorantur? si lu-
cem non vident, quum e tenebris emerse-
runt, quid quum densissimis tenebris cir-
cumfunduntur? si libertatem consequi non
possunt, quum e carcere educti sunt, quid
quum arctissimis vinculis adstringuntur?
Præclarè Plato dixit in Phædro animos
alis quibusdam niti, quibus ad spectandam
Divini luminis claritatem attollantur; sed
eas amittere, & in hanc regionem præci-
E pites ferri, quum desiderio corporis capiun-
tur; nec ante recuperare, quàm divinæ
pulchritudinis recordatione excitentur, &
amore lucis illius beatissimæ accendantur.
Quum igitur animus amore corporis de-
pressus fuerit, & tenacitate materiæ, quasi
visco implicitus amiserit ad superiora ten-
dendi facultatem, quanto magis deprime-
tur; quanto magis gravabitur, si hauriet a-
vidissimè obscenas voluptates, si gutturi,
& ventri turpissimè serviet, si ardebit ira-
F cundiâ, si ceteris cupiditatibus transver-
sus agetur? Est quidem animus cœlestis i-
gnis, est divini luminis quasi quidam ra-
dius immortalis; sed ut ignis extinguitur
humoris copiâ largè superfusâ; sicut lux
quum terrenis corporibus hæret, & impli-
catur, non splendet; sic igneus animi vi-
gor prorsus elanguescit, prorsus obscu-
ratur, quum voluptatum studio sese in G
materiæ flumen immergit, & habentibus
multum terrenæ fæcis affectibus irreti-
tur. Sunt igitur vitia doctrinæ studiosis
exuenda, nam ingenii acumen obtun-
dunt; & quemadmodum non est aptus o-
culus ad acutè cernendum, qui vitioso hu-
more suffunditur; ita mentis acies ratio-
nes rerum abditas, & involutas pervidere
non potest pravis cupiditatibus obcæcata.
Et sanè si quis animadvertat, quàm inter
se pugnent, & quàm in diversas partes a- H
nimum trahant vitia, & studium littera-
rum, non posse inter se convenire pror-
sus intelliget. Doctrina mentem attollit;
vitia deprimunt: doctrina animum in men-
tem erigit; vitia convertunt ad corpus:
doctrina Mortales excitat ad honestatem;
vitia ad omnem turpitudinem rapiunt: il-
la animi tranquillitatem desiderat; hæc per-
turbationibus aluntur, & gaudent, & ef-
feruntur: illa in æternorum contemplatio-
ne libenter acquiescit; hæc spectant cadu- I
ca, & fluxa consectantur: illa rationem se-
quitur; hæc rationem aversantur, & teme-
ritate reguntur: illa promovet insitam vim,
& animum virtute cohonestat; hæc pror-
sus extinguunt, & corpus, animumque de-
pravant. Quæ quum tam sint pugnantia,
quis non videt iis, qui se vitiis dedide-
runt, percipiendæ omnis doctrinæ deesse
facultatem, ac multo etiam magis deesse
voluntatem, quod secundo loco mihi pro-
posui ostendendum? An putatis, Audito- K
res, amorem Sapientiæ posse coniungi cum
studio voluptatis, cum pravarum ardore
cupiditatum? faciliùs mehercule aquam,
ignemque miscebitis, faciliùs hominis na-
turam cum immani quapiam belluâ co-
pulabitis, quàm ardorem libidinis cum stu-
dio litterarum. Ubi voluptas animis illa-
bitur, ubi prava cupiditas occupat men-
tem, totum animum possidet, nullum lo-
cum relinquit studio Sapientiæ. Lotos illa
Homeri carminibus nobilis, cujus fructu L
qui vescebantur, desiderio Patriæ, & ca-
rissimarum rerum non ampliùs teneban-
tur, nec ab eo loco divelli poterant, ubi
tantam suavitatem gustaverant, non ar-
bor fuit, fuit voluptas, fuit dulcedo per-
versa vitiorum; quam qui vel primoribus
labris attigerunt, immemores fiunt om-
nium, ad quæ naturâ duce vehebantur,
nec ab eâ possunt ullo modo dimoveri.
Sed cum omnium rerum honestarum,
tum Sapientiæ maximè studium excutiunt
malæ voluptates. Nam quum, ut ait Poë- M
ta comicus, ingenium hominum sit pro-
clive ad libidinem, facilè trahimur a vo-
luptate; & ita capimur, & irretimur, ut a
litterarum studiis refugiamus, quæ totum
animum sibi vindicant. Cogitate igitur,
quæ

quæ possit esse concordia inter amorem Sa-
A pientiæ, & pravarum studium voluptatum;
quæ potest esse inter duos dominos, qui
cuncta ad se trahant, & soli velint impe-
rare: quæ potest esse inter justum, mitem,
placidum, & temperatum Regem; & agre-
stem, ferum, immanemque tyrannum, qoi
imperium obtineant ejusdem civitatis. I-
mago digna rei magnitudine mihi defuit,
Auditores, quum quamlibet animi libi-
dinem eum tyranno comparavi. Nullus
unquam tyrannus tam sæva, tam iniqua
B imperavit, tam aeri servitio suos popula-
res pressit, vexavit, oppressit, quàm sæva,
quàm iniqoa imperat animis libido, quàm
acriter astringit voluptas omnium volunta-
tes. Quis enim tyrannus unquam eò re-
degit suos populos, ut suis commodis non
inservirent, non amarent libertatem, odio
haberent, quidquid profuturum, pernicio-
sa appeterent, & sectarentur, salutem spon-
te contemnerent? At prava cupiditas quæ-
cumque naturâ expetuntur, eogit repu-
C diare: jubet valetudinis curam insuper ha-
bere; parendum est: imperat opes profun-
dere, aspernari potentiam, gloriam, decus;
obsequendum est: suadet adire pericola,
in exitium manifestum, & mortem ruere;
non recusandum est: præscribit nobis, ut
virtutem oderimus, ut amicos insectemur,
ut Deum contemnamus, ut nobis ipsis ini-
mici simus, & nocitura appetamus; obtem-
perandum est. Jam verò quas animis faces
admovet, quas furias, quos affert laniatus,
D quàm immaniter debacchatur? non turbi-
nes, non procellæ, non tempestates ita
maris, & Cœli tranquillitatem perturbant,
ut animum pervertunt pravæ cupiditates.
Nonne videmus ora ipsa cupidorom vehe-
mentissimè commoveri, agitari corpus, nec
posse consistere; non colorem, non vul-
tum, non oculorum conjectum eundem
manere, labefactari valetudinem, concuti
vires, membra debilitari? Quanto magis
putamus animum, unde hæc pestis profi-
E ciscitur, & in quo insidet, & hæret altiùs,
rapi, distrahi, percelli, vexari, distorque-
ri? His autem furiis animus agitatus po-
test ne incendi amore Sapientiæ, potest
non omnem disciplinam aspernari, quem
juvat insanire, furere, debacchari; quum
animi vitia id habeant vel perniciosissi-
mum, & eo potissimùm corporis morbis
antecellant, quod ii, quos occuparunt,
nolint ad sanitatem pervenire, & oderint,
& aversentur omnia, quibus eæ postea de-
F pelluntur? Quid, quod vitia studium in-
vehunt voluptatis, studia voluptatis fugam
laboris, fuga laboris ignaviam, ignavia tor-
porem animis affert, & odium rerum ho-
nestarum, quæ per laborem comparantur?
Aspera, Auditores, est via, quæ ducit ad
Sapientiam, quamvis ea asperitas jucun-
dissimâ voluptate leniatur; idcirco poëtæ
Musas in amœnissimo quidem monte, sed G
qui præruptis ropibos adiretur, habitare
dixerunt. Quidqoid autem in studio litte-
rarum suave est, atque jucundum non cer-
nunt, neque sentiunt hi, qui vitiorum
dulcedine, & suavitate capiontur; contra
vident curas Doctorum, vident labores,
vident vigilias, vident gravitatem, quam
tristitiam interpretantur; non ignorant
quantum sit studiis insudandum; exemplis
admonentur pallorem, & maciem contra-
hendam, abstinendom multis voluptati- H
bus. Quid mirum, si acerbam vitam ho-
minum litteris deditorum arbitrantur, si
tanquam amaram, insuavem, gravem, hor-
ridam, ærumnosam reformidant? Atque
eo magis a studiis deterrentur, & laborem
prorsus refugiunt, quod ipsis calcar deest,
quo omnes ad asperrima quæque perferen-
da incitantur, deest gloriæ, laudis, ampli-
tudinis cupiditas. Nam quomodo possunt
duci gloriæ dulcedine, qui vitia ample-
ctuntur, quum flagitium, probrum, dede- I
cus non reformident? quomodo alta spe-
ctare, quum nihil, nisi abjectum, humile,
sordidum concopiscant? quomodo Sapien-
tiæ laudem expetendam putare, quum stul-
titiâ suâ, & nequitiâ glorientur? Jacent i-
gitur in suis flagitiis vitiosi, nullo stimulo
ad doctrinæ studium incitantur; oderunt
Sapientiæ gravitatem, qoia nugis delectan-
tur; lucem reformidant, quia tenebras vi-
tæ consectantur; deliciis fracti non pos-
sunt, voluptatibus illaqueati non volunt K
ad Sapientiam pervenire. Quæ si minùs
perspicua existimarem, uterer exemplorum
copiâ, quibus omnino vincerem vitiis æ-
gras mentes a salubribus litterarum studiis
abhorrere. Quid enim causæ putatis esse
eur, quum Dionysius ille Junior Platonis fa-
mâ excitatus (tanta est enim Sapientiæ
pulchritudo, ut interdum vitiis etiam cæ-
catos animos possit commovere) ad se Phi-
losophum accersivit, parum, aut nihil pro-
fecerit? qoia nimirum vitia, quæ Platonis L
adventu quasi conterrita sese in intimas a-
nimi latebras abdiderant, rursus emerse-
runt, & tanquam obscenæ canes longo je-
junio irritatæ philosophiam oblatrarunt, &
ad omnem furorem Tyrannum rursus in-
citaveront. Ergo ille, quem accersiverat,
contumeliosè ejecit, quem dilexerat, est
acerbè insectatus, quem suspexerat, con-
tempsit, quem tanquam Deum coluerat,
omni ignominiâ afficiendum curavit. Cur
Nero a Senecâ institutus tam eximio sa- M
pientiæ præceptore, ingenio præditus ad-
modum eleganti maximè omnium Princi-
pum inscitiâ laboravit? quia pravæ copi-
ditates, quæ solent esse comites magnæ
fortunæ, hominem doctissimi Præceptoris
voces audire vetuerunt; & indolem Prin-
cipis

aipia ad magna surgentem in omne flagi-
A tium præcipitem ferri coëgerunt: cur Com-
modus patre sapientissimo natus, doctissi-
morum hominum turbâ circumfusus a pue-
ro, qui ejus aures honstissimis sermonibus
personarent, eò stultitiæ, & vecordiæ pro-
cessit, ut non doctissimi, & divinâ virtute
præditi Cæsaris, sed gladiatoris impurissimi
filius videretur? Possam eodem modo, nisi
causæ confiderem, testes appellare omnes,
quorum mentibus in magnâ facultate sa-
pientiæ comparandæ vitia offecerunt; pro-
B fectò quod ratio persuadet, exemplis effi-
cerem, cogeremque nihil esse magis im-
pedimento doctrinæ studiis, quàm tur-
pitudinem vitiorum. Non enim Diogenes
unquam sapientiæ gloriâ præstitisset, ni-
si immodicum pecuniæ studium, quo te-
nebatur, exuisset: non Socrates Morta-
lium sapientissimus evasisset, nisi vitium
molierositatis, quo laborabat, ratione sustu-
lisset: non Stilpo inter philosophiæ Pro-
ceres numeraretur, nisi vini, & mulierum
C nimiam cupiditatem, ad quam naturâ fe-
rebatur, longâ disciplinâ compressisset: non
Zeno gravissimæ sectæ princeps extitisset,
nisi naufragio amissis bonis, & a fortunâ
avaritiam dedoctus, & tranquillitatem men-
tis invenisset, & se in philosophiæ portu
collocasset: non Polemo tantam esset re-
rum scientiam consequutus, nisi Xenocra-
tis oratione permotus a libidine, & licen-
tiâ mentem revocasset, & ad Sapientiæ stu-
dium animum appulisset. Sed exemplia,
D quæ innumerabilia possent afferri, superse-
deo; nam audire videor nonnullos oratio-
ni meæ obstrepantes, qui me conantur iis-
dem armis, quibus utor, oppugnare. An
tu, inquiunt, tam hospes, & peregrinos es
in studio litterarum, ut nescias multos do-
ctrinæ laude clarissimos viros, qui vitiis af-
fluerent extitisse? an ignoras Phalaridem,
& eloquentiâ præstitisse, & scientiâ rerum
plurimarum; & tamen quum fuerit imma-
nissimos tyrannorum, vitiis ingentibus la-
E borasse? Critiam socraticis imbutum ser-
monibus fuisse sævissimum tyrannorum,
qui eâ tempestate Atheniensium Rempu-
blicam occuparunt? Athenionem Epicuri
disciplinâ eruditum tyrannos omnes im-
manitate, & morum pravitate superasse? A-
nacreontem elegantissimum poëtam Vene-
ris, & vini voluptatibus intẽperanter indul-
sisse? Horatium unicum apud Latinos ly-
rici carminis lumen fœdis moribus poëti-
cæ gloriam obscurasse? Sallustium histori-
corum Principem in adulterio deprehen-
F sum? multos, qui sanctissimum philosophi
nomen sibi arrogabant, vitiis intercutibus
maduisse? Non igitur vitia sunt impedi-
mento, quominus præstantem rerum scien-
tiam consequamur; quum tot doctissimos
viros videamus, & vitiis abundasse, & do-
ctrinâ præstitisse. Quibus ego si r .poode-
rem, paucissimos excellenti quadam, & inu- G
sitatâ ingenii magnitudine potuisse, quom
vitiis affluerent, florere gloriâ litterarum;
non idcirco tamen studia pravis cupiditati-
bus non impediri; quia quibusdam, quod
libido detraxit, supplevit ingenii magnitu-
do; facilè vobis persuaderem non esse ni-
miùm ingenio confidendum, nec speran-
dum multis posse contingere, quod pau-
cissimi in omni ævo sunt assequuti. Sed
nolo ullam spem nequitiæ relinquere; nam
eos, qui memorantur doctrinam cum ali- H
quâ flagitiorum turpitudine conjunxisse,
dicam partim non tam fuisse eruditos, par-
tim non tam libidini deditos, quàm credon-
tur, partim quum in adolescentiâ castè, &
temperanter egissent, & eâ ætate magnos
in studiis litterarum progressus habuissent,
vel vi dominationis convulsos, vel illece-
bris voluptatis delinitos, vel impetu natu-
ræ, vel aliis causis gravioribus compulsos,
in eam morum pravitatem esse delapsos.
Non nego interdum doctrinæ studiosos I
posse labi, posse a virtutis viâ declinare;
nam ipsi Stoici, qui dicunt nunquam pec-
care Sapientem, de eo Sapiente loquuntur,
quem nec invenerunt, nec unquam volunt
extitisse; sed nego libidinosos, avaros, in-
vidos, malevolos, crudeles, immanes, le-
ves, aliisque vitiis laborantes, dum his ani-
mi morbis conflictantur, eximiam conse-
qui posse, excellentemque doctrinam. Quis
enim credat eos, qui vino, & epulis ob-
ruont mentem, qui summum bonum ob- K
scenis voluptatibus metiuntur, qui in ga-
neis, & lustris habitant, qui invidiæ stimu-
lis acrioribus incitantur, nec unquam con-
quiescunt; quorum scelere mens obstricta
internis furiis agitatur, & perterretur, quo-
rum animus avaritiæ sordibus obsolescit,
qui odio incenduntur, & alterius exitio
imminent turbidi, inquieti, truculenti;
qui levitatibus amatoriis dediti semper ar-
dent, æstuant, fluctuant animo, & intabe-
scunt, posse in studiis, quæ animi tran-
quillitatem, & aliis curis vacuam mentem
desiderant, cum laude versari? Enimverò
tam his necesse est deesse intelligendi so-
lertiam, quàm proficiendi voluntatem;
quod quum abunde probaverim, Adole-
scentes optimi, jam perorabo, vel potiùs
pro me Sapientia ipsa perorabit; quæ vos
ex alto, & pleno lucis, & tranquillitatis
jucundissimæ loco ad se vocat, & his vo-
cibus cohortatur. Non ego vos, inquit,
Adolescentes mei, jubeo, quæ vobis pro- M
futura, quæ vobis opes, gloriam, poten-
tiam allatura; sed jubeo ea, quæ pernicio-
sa, turpia, & rem vestram familiarem dis-
sipatura sunt, relinquere: jubeo carere vi-
tiis: jubeo turpes voluptates aspernari:
jubeo pravis cupiditatibus nuncium re-
mit-

mittere: jubeo bonam mentem consecta-
A ri. Quin paretis præceptis meis grande operæ pretium facturi, si quæ beneficii loco a vobis postulo, facere non recusetis. Mecum virtus, mecum dignitas, mecum gloria, mecum amplitudo est; ne putetis has cum morum pravitate, cum dedecore, cum infamiâ, cum flagitio, cum turpitudine, cum abjectissimis cupiditatibus posse conjungi. Circumspicite chorum, quo circumdor, præstantium doctrinâ virorum; videbitis Pythagoras, Democritos,
B Hippocrates, Platones, Xenophontes, Zenones, Catones, Tullios, Papinianos, qui non minùs integritate vitæ, quàm sapientiæ gloriâ præstiterunt: videbitis Christianæ Reipublicæ lumina Chrysostomos, Basilios, Ambrosios, Augustinos, Hieronymos, qui morum sanctitatem cum summâ doctrinæ laude conjunxerunt. In hunc recipi vos posse ne censeatis, nisi omnem animi turpitudinem abjeceritis, & quorum doctrinam concupiscitis, eorum mores i-
C mitemini. Excitate vos ad laudem, mores componite, litterarum sacra purâ mente suscipite; hæc una via est, quæ ducit ad eximiam, altissimamque doctrinam; hac principes ivere litterarum, hac non ad rerum scientiam solùm, sed ad decus, ad gloriam, ad opes, ad felicitatem pervenitur.

ORATIO XXII.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1698.

In solemni instauratione Studiorum.



Nemo sine ingenti labore ad summam doctrinam potest pervenire.

D ET monere debeo, Patres amplissimi, Auditores ornatissimi, & vehementer hortari Adolescentes, qui ad hoc celeberrimum Gymnasium disciplinæ causâ conveniunt; ut caveant pravas opiniones, quibus animi a studio laudis avertuntur, & omnes ingenii nervos contendant, quò summam sapientiæ gloriam consequantur. Sed exhortatio nihil habet offensionis; admonitio nonnullis videtur acerbior. Quis enim, nisi planè sit hostis litterarum, molestè ferat earum præstantiam magnificè prædicari? quis indignetur se se ad ingenii cultum capiendum Oratoris voce invitari? At ubi monere institutas auditores, ubi vitia casti-
gare dicendo, ubi penitus insitas opiniones ex animis evellere, plerique contrahunt E
frontem, adducunt supercilium, & quamvis utilia, & salutaria præcipientem aversantur; propterea quod ea, quæ probaverunt, reprehendi, ea, quæ amplexantur, extorqueri sibi non facilè patiuntur. Non tamen cunctandum mihi, qui propter injunctum munus hodierno die verba faciendi gravissimam personam cogor sustinere; sed utendum, sicut hactenus feci, libertate di-
cendi, obviam eundum ignaviæ blandi- F
mentis, aperiendæ insidiæ subdolè irrepentis animo voluptatis, erroribus, quibus implicantur, studiosorum mentes liberandæ. Atque ego haud scio, an ulla pestis major ingenia unquam invaserit, quàm opinio quædam, quæ & antiquitus fortasse percrebuit, & nunc plerosque transversos agit, quam hodierno die sum confutaturus. Plato princeps litterarum in Theæteto confirmat adolescentes, qui ingenio plurimum valent, interdum solere discendi laborem
reformidare. Quod idcirco arbitror usu- G
venire, quia sibi persuaserunt facilem esse viam disciplinæ, mentesque acres, & ad percipiendum acutas nullo prope negotio ad Sapientiam pervenire. Quæ opinio, nisi refellitur, obtundat aciem ingeniorum, infringat industriæ nervos, præclaros ad laudem impetus retardet, florem juventutis a labore, & studio ad libidinem, ignaviamque convertat, necesse est. Nam si
cupidi litterarum adolescentes in animum H
sibi induxerint hebetis esse ingenii multum temporis in disciplinarum studio consumere, posse quemlibet, dummodo solertiâ mentis non sit destitutus, non admodum difficulter eximiam consequi, singularemque doctrinam; ingeniosissimus quisque supervacuum laborem, inanes vigilias arbitrabitur, nec seriò in litteras incumbendum, nec studio vires atterendas censebit; deinde paulatim subrepente disciplinæ te-
dio, blandiente voluptate, ignaviâ lenoci- I
nante aliquid de illo modico labore detrahet, donec a litteris penitus abducatur. Quod omnibus quidem, sed præcipuè nobis, Patres amplissimi graviter, & iniquo animo ferendum, & ne accidat, providendum est. Nam sicut imperator meritò succenseat, si fortissimus quisque avertatur a studio rei militaris; ita nos, qui ad præclaras artes nos duces profitemur, irasci debemus, quod ingeniosissimus quisque a
litteris avocetur. Extorquenda igitur ex a- K
nimia opinio tam stulta, tam perniciosa juventuti, quod & vos credo, Patres assiduè facitis, & ego hodierno die faciendum esse duxi. Nam breviter demonstrabo non tam esse pronam, quàm nonnulli opinantur viam, qua ad excellentem gloriam graf-

famur; ingeniis etiam præclarissimis o-
A pus esse multo labore, si ad non vulgare
doctrinæ decus volunt aspirare.

Et sanè ita naturâ comparatum est, ut
vilissima sint in promptu, & omnibus pa-
teant; pretiosissima quæque, & maximè
profutura maximo studio, curâ, sudore
Mortales assequantur. Inutiles herbæ spon-
te nascuntur; quò frumenta proveniant,
exercendum frequenter solum, & arvia, ut
Poëtæ verbis utar, improbo labore impe-
randum: frugiferæ arbores agricolarum cu-
B ram desiderant; quæ victum ceteris ani-
mantibus præbent, nullo negotio procrean-
tur, & adolescunt: viles lapides ubique cal-
cantur, & si quando his indigemus, ubi-
que colliguntur; gemmæ summis labori-
bus, longinquis itineribus, & vitæ discri-
mine conquiruntur: demerguntur profun-
do mari, ut oniones eruant urinatores;
aliæ gemmæ ex inviis, & inaccessis rupi-
bus decuti, aliæ a pendentibus eximi, a-
liæ inter pestiferos dirorum anguium affla-
C tus repertæ dicuntur: aurum, quod om-
nium maximè hominum avaritia concupi-
scit, quàm laboriosè eruitur, quantis æ-
rumnis purgatur, & perpolitur? perfo-
diuntur altissimi montes, franguntur durissi-
mæ rupes, terræ viscera penetrantur, insanis
molitionibus gigantum opera vincuntur;
ingens hominum multitudo abdicatâ luce
continuos menses prope in manium sede
versatur, & suspensorum montium subsi-
dente mole miseri fossores interdum o-
D bruuntur, nec cœlo, unde hauserunt,
suum spiritum reddunt. Quos autem labo-
res coguntur sustinere, qui erutum jam au-
rum a materiâ, cum qua nascitur, separant,
quorum vitam qualibet morte miseriorem
Diodorus Siculus eo loco, quo describit
Ægyptiorum aurifodinas, esse asseverat?
Quod si opes natura tam voluit esse abdi-
tas, & abstrusas ac tantis difficultatibus in-
veniri, quis credat Sapientiæ thesauros om-
nibus gemmis, omnibus divitiis pretiosio-
E res, & pulchriores obvios esse, & per lu-
dum, ac jocum comparari, non industriam,
non curam, non studium requirere? Quis
est ille tam felix, cui liceat non laboranti,
non agenti quippiam serium, quum satias
eum cepit voluptatum, dumtaxat aliquid
temporis litterarum studiis tribuenti arca-
na sapientiæ contemplari, & inter homi-
nes eminere, & immortalitatem, quam
studia pollicentur, adipisci instar Helenæ,
quam voluptatibus deditam propter formæ
dignitatem easdem Immortalium sedes,
F quas Hercules laboribus, rebusque gestis
ascenderat, fabulæ ferunt assequutam? A-
deone suos thesauros contemnit Sapientia?
adeone nihil pretiosum, reconditum esse
patitur? adeo a consilio naturæ discrepat,
quæ pulcherrima quæque concessit indu-
striæ, ignaviæ denegavit? Sed ne quis po-
tet præclarissimas disciplinas potiùs cum a- G
liis artibus, aut institutis, quam cum opi-
bus, & iis, quæ rara, & utilia natura pro-
creat, conferendas, operæ pretium est vi-
dere, & considerare diligenter, an aliqua
facultas, aut artis excellentia oscitantibus
nobis, otiosisque contingat. Virtus proprium
hominis bonum, ad quam non minùs
quàm equi ad cursum, ad arandum boves,
canes ad venandum, cameli ad onera fe-
renda, sumus a naturâ procreati, magno stu-
dio, magno labore nobis acquiritur. Quod H
ni ita esset, numquam cum omnium assen-
su dixisset Hesiodus; ante virtutem sudo-
rem Deos posuisse, & arduam ascensu, &
asperam esse viam, qua ad eam contendi-
mus; nec quisquam prudens rerum æsti-
mator poetam mentitum redarguet; quis
enim non videt, quantum sit in studio vir-
tutis laborandum? Ætatem contrivit in
quærendâ virtute Socrates: Antisthenes,
& Diogenes Herculis labores exantlarunt,
quum omnes alias curas, alias cogitationes, I
alia negotia omisissent. Semper est enim a-
nimus intendendus, semper in nos ani-
madvertendum severè, semper cavendum,
ne quid iracundè, ne quid inhumaniter,
ne quid imprudenter, ne quid libidino-
sè, dissoluteque faciamus; voluptati resisten-
dum, cum qua bellum gerimus inexpiabile,
& sempiternum componendæ perturbationes,
nes, eradenda cupiditatum elementa, vitandæ
pravorum hominum familiaritates, optimis
exemplis assuescendum, ex malis etiam u- K
tilitas capienda; quod Platoni fuit familia-
re, qui quotiescomque in aliquem incidis-
set, cujus mores non probaret, cujus in
facto, vel dicto vitium animadvertisset;
numquid ego talis, ajebat: repudiandæ o-
piniones, quibus a pueris innutrimur, præ-
parandus animus ad asperrima quæque per-
ferenda, ducendus moderatè secundam fer-
re fortunam, ad cœlestium contemplatio-
nem erigendus: Historicorum, poëtarum,
rhetorum, philosophorum dicta pulcher- L
rima decerpenda, & animo altiùs infigen-
da, & factis exprimenda, ab omnibus, quæ-
cumque accidunt, ducenda virtutis docu-
menta; quod Brasidas egregiè est assequu-
tus, qui a mure, quem comprehenderat
manu, cepit exemplum fortitudinis; nam
ejus morsu appetitus dimisit mordentem;
& hercules, inquit, nihil est tam exiguum,
aut infirmum, quod se tueri non possit,
si vitam audeat defendere; & Diogenes,
qui mure cenæ reliquias, quas ipse proje- M
cerat, arrodente didicit paucis esse con-
tentus. Quid autem de artibus dicam? num
putatis Philippum, aut Alexandrum inge-
nii solùm magnitudine, & non diuturno stu-
dio, & disciplinâ tantos repente bellatores
extitisse? Illi verò nihil unquam præter-
mise-

miserunt, quod ad summam scientiam rei
A militaris conducere videretur; quorum alter Epaminonda præceptore clarissimo omnium Græcorum duce, cujus domi adolevit, omnes belli gerendi vias, rationesque cognovit, & ex Lysidis Pythagorei disciplinâ avidissimè hausit quæcumque ad regias artes, & bellicas pertinerent; alter Philippi præcepris eruditus, prœliis, quæ patris ductu committebanrur, ab ineunte ætate exarcitus nullum studiorum genus non appetivir, quod conferret futuro ma-
B gno imperatori; adeout Homerum, quòd optimum bellicæ virtutis magistrum arbitraretur, e manibus nunquam dimitteret. Philopœmen senescentis in Græciâ gloriæ militaris ulrimum, sed clarissimum lumen tanto studio fuisse fertur, ut nullo non tempore de ratione belli administrandi cogitaret; itaque & quum iter facerer, & quum animi causâ ambularer, ut in quemque locum venerat, ejus naturam contemplari, & vel a peritis quærere, vel secum
C meditari solebat; si in eo loco ab hostibus deprehenderetur, quomodo esset acies dirigenda, hostiles impetus sustinendi, angustiæ superandæ, insidiæ cavendæ, ubi equitatus, ubi subsidia collocanda; ita omnes bellorum casus multo antea provisos, & meditatos habebat, nec unquam in hostes imparatus ad pugnam incidebat. Non commemoro alios duces, non Miltiadem, non Themistoclem, non Cimonem, non Alcibiadem, non Cononem, non Epaminon-
D dam, non Camillum. Fabios duos, Papirium Cursorem, Marcellum, Scipiones, Marium, Syllam, Cæsarem, Pompejum; quos omnes probare possem non sine studio summo tantam scientiam rei militaris consequutos. Sed quid ego de bellatoribus disputo? illæ ipsæ artes, quibus in ludis Veteres corporis vires, & celeritatem ostentabant, magno studio parabantur,

> *Qui cupit*, inquir Horatius, *optatam cursu contingere metam,* E
> *Multa tulit, fecitque puer, sudavit, & alsit,*
> *Abstinuit venere, & vino.....*

Vix ullus Philosophus tantum in animi cultu, quantum athletæ in corporis curâ laborarunt; qui assiduè in palæstris exercebantur, intolerandos labores, pulverem Solem, famem, sitim perferebanr, voluptatibus, quæ corporis robur enervant, abstine-
F bant, cibis non jucundissimis, sed ad firmandas vires aptissimis vescebantur; nec quisquam fuit tam validis viribus naturâ præditus, ram compositus, & aptus ad certandum, quin eosdem labores toleraret, eadem ratione victus uteretur. Ipse Crotoniensis Milo, ipse Euthymus pugil, & quicumque alii celebrantur, non magis naturâ ceteros, quam exercitatione superarunt. G
Ad Olympicos verò ludos quum athletæ venissent, & nomina promererentur, jure jurando affirmare cogebantur sese omnem operam, studiumque posuisse decem continuos menses, ut se optimè ad futurum certamen compararent. Ergo illi corporis motus, & ludos tantâ diligentiâ procurabant; nos ingenii motus, & serias disciplinas nulla pæne curâ indigere putabimus? Referre libet Barbari cujusdam factum, quo admonemur, quantum etiam in parvis e- H
xercitationis, & studii requiratur; is quum tantâ arte sagittam mitteret, ut per anulum suspensum e satis magno intervallo, anulo non tacto dexterâ nunquam fallente transmitteret, captus est ab exercitu Magni Alexandri; qui cupidus rei cognoscendæ jussit hominem specimen artis dare, sed Barbarus recusavit; Rex incensus irâ, cujus erat alioquin impotens, ad capitale supplicium duci hominem imperavit; quærentibus iis, qui aderant, cur mori mallet, quàm I
Regis morem gerere voluntati, respondit sese veritum, ne successu artis careret, quia se aliquot dies non exercuisset; admiratus Alexander animi magnitudinem supplicio virum liberavit, quòd existimationem vitæ prætulisset. Barbarus homo non confisus est arti suæ, quam a puero summopere elaborarat, quia exercitationem aliquantulum intermiserat; & putamus maximas artes perfici posse eorum ingeniis, qui non intermiserunt aliquandiu studium, K
sed nunquam seriò susceperunt? Apelles ille, cujus arte vinci naturam Veteres crediderunt, excellentiam, qua vicit omnes, acceptam referebat, industriæ, qua nunquam tam occupatam diem egisset, quin lineam ducendo manum exerceret; quod Apellis dictum proverbii loco postea est usurpatum: Protogenes alterum vetustæ picturæ lumen omnium diligentiam, studiumque superavit; cujus quantus fuerit in arte labor cum multa declarant, tum illud, L
quod quum Jalysum pingeret, ne cibo mentis aciem hebetaret, madidis lupinis victitavit, nec breviore, quàm septem annorum, intervallo illud opus confecit; cui hostes pepercerunt, quod immortalitas consequuta est. Verumtamen picturæ summa est difficultas, cui propositum est falsa verum indiscretâ similitudine repræsentare; num aliæ artes faciliores ingeniis dumtaxat artificum contentæ non desiderant longam disciplinam, diuturnum studium, M
assiduam meditationem? Immo verò nullam videmus artem tam tenuem, & exiguam, neque tam humilem, & contemnendam, cujus excellentia artificum ingenio soli debeatur; omnes præter ingenii solertiam, industriam, laborem, cu-

ram

tam non modicam requirunt, nec in aliis
A animum occupari facilè patiuntur. Idcir-
co Citharœdus ille nobilis Philippum de
ratione fidium pulsandarum differentem,
& nonnulla emendare conantem memo-
rabili dicto refutavit, quum diceret: illud
avertat Juppiter, ut tu, Rex, melius de iis,
quàm ego, possis judicare. Putavit nimirum
citharœdi artem tantum studium postula-
re, ut nemo possit & Rempublicam excel-
lenter administrare, & in eâ multum pro-
fecisse. Et Plato quum Annicerin spectas-
B set agitantem mirabili artificio currum, ne-
gavit posse in magnis excellere, qui tan-
tum curæ in parvis, contemnendisque po-
suisset. Quod si omnes artes quantumvis
leves, si ludicræ corporis exercitationes,
si res bellicæ, si virtus ipsa, quæ Dei do-
num videtur, magno studio comparantur,
& labore venales, ut ita dicam, reperiun-
tur; nonne summæ dementiæ est arbitra-
ri disciplinas reconditas, artesque pulcher-
rimas, quarum studia suscepistis, Adole-
C scentes, nihil habere difficultatis, posse
cujusquam ingenio sine impensâ operâ com-
prehendi, posse perfici, & perpoliri, pos-
se novis inventis augeri, & amplificari?
Quid afferre causæ possunt hujus opinio-
nis auctores, cur aliæ artes vigilantibus,
industriis, laborantibus pateant, studia lit-
terarum ingenio solùm, non etiam indu-
striâ summâ elaborentur? An sunt illæ dif-
ficiliores? at nihil difficilius rerum scien-
tiâ: an magis reconditæ? at nihil magis
D reconditum veritate, quam eruunt studia
litterarum: an pulchriores, & admirabi-
liores? at quid pulchrius, quid admirabi-
lius sapientiâ? an latiùs patent? at ne sunt
quidem cum doctrinæ studiis magnitudine
comparandæ. Cogitate quanta sit cujusque
disciplinæ magnitudo, quàm latè diffunda-
tur, ex quàm multis libris liberalium ar-
tium singularum scientia hauriatur; quàm
multa percipi debeant, quàm multa exco-
gitari, quàm multa perpendi, & dijudica-
E ri, in quantâ varietate versari, & rerum
obscuritate cogamur; quantis tenebris ve-
ritas circumfundatur, quot sit controver-
siis, & erroribus implicata; quàm abdita,
quàm recondita, & ab oculis vulgi remo-
ta arcana Sapientiæ. Plato cum iis præ-
clarè actum putavit, quibus in senectute
non scientia, sed opinione rectæ conti-
gerunt: Hippocrates queritur vitam esse
brevem, nec sufficere satis ad ea, quæ ad
artem medendi pertinent, cognoscenda:
quæ fuit etiam querela Theophrasti; qui
F quum nonagesimum ætatis annum exces-
sisset, eo se tempore, quo veritatis lumen
quasi per nebulam videre cœpisset, extin-
gui querebatur. Tanta est in liberalissimis
disciplinis magnitudo, ut longissimis ho-
minum ætatibus, acerrimis studiis non pos-
sint comprehendi. Nemo putat artificem,
qui pervenit ad summam senectutem, non G
satis ad proficiendum in arte suâ tempo-
ris habuisse; in studiis litterarum quælibet
ætas angusta censetur, quodlibet spatium
breve ad quamlibet disciplinam penitus
cognoscendam. Accedit eodem, quod a-
liæ artes suis quæque finibus includuntur,
aliarum cognitione haudquaquam indigent;
at liberales disciplinæ ita inter se aptæ sunt,
ita affinitate quadam conjunguntur, ut qui
unam expetit, aliarum quoque cognitionem
cogatur assumere. En cur confidamus in- H
genio, cur subsidio nobis diligentiam non
comparemus; cur voces audiamus imperito-
rum, qui putant non multum laboris esse
litteris impendendum. Singularum disci-
plinarum tanta est magnitudo, ut ingenio-
sissimorum hominum ætates contriverit;
& non singulæ sunt, sed pleræque iis, qui
in unâ qualibet præstare volunt, addiscen-
dæ. Quod si magnos in studiis habere pro-
gressus possumus nullam omittentes volu-
ptatem, ludo, & nugis dediti, non mul- I
tum laboris adhibentes; & ut Ægyptius
canis currens e Nilo metu serpentum bi-
bit, sapientiam cursim molestiæ fugâ deli-
bantes, miseret me tui, Plato; cur non
contentus doctrinâ, quam ex Græcis Do-
ctoribus hauseras, intolerandos labores,
itinera longinqua suscepisti? cur in Ægy-
ptum, cur in Italiam profectus es, ut Æ-
gyptios sacerdotes, & Italicos philosophos
audires? cur quum octogesimum primum,
eumdemque vitæ supremum ageres annum, K
adhuc in indagandâ veritate assiduè versa-
baris? miseret, Aristoteles, tui, miseret,
Theophraste; cur plura scripsisti, quàm
plerique legerunt, plura legisti, quàm ple-
rique esse legenda sunt suspicati, plura in-
venisti, quàm plerique conquisiverint? non
didiceras istam præclaram sapientiam, non
acceperas horum præcepta, non gustaras
doctrinam; qui somniculosis, delicatis, i-
nertibus, aleatoribus, ventri, penique dedi-
tis hominibus volunt patere Sapientiam; L
cur enim laborabas, cur dies noctibus jun-
gebas; si nihil proderat labor, nihil vigi-
liæ; si poteras omnis expers incommodi,
sine magno studio; deliciis affluens, & vo-
luptatibus ad summum philosophiæ fasti-
gium pervenire? Quid autem de Chrysip-
po dicam ingeniosissimo, acutissimo, acer-
rimo Stoicorum philosopho, qui tam ve-
hementer in studia incumbebat, ut inten-
tum animum ad curam corporis non re-
flecteret, & immemor cibi, & potionis a- M
lienis manibus ad vires alimento reficien-
das indigeret; qui septingentos libros di-
citur edidisse ita sententiis nobilium au-
ctorum, & exemplorum copiâ refertos; ut
appareret non plus in scribendo tempo-
ris, quàm in legendo consumpsisse? quid

de Epicuro, qua nemo fertur plura con-
A scripsisse? quid de Carnesde, qui tantâ est
in studiis assiduitate versatus, ut negligeret
corporis cultum; nec unquam secaret un-
gues, nec capillum, barbamque tonderet,
ne quid tempori detraheret, quod erat con-
templationi rerum tribuendum? Et ne phi-
losophorum dumtaxat testimoniis utar, ce-
lebre est Archimedis in geometriâ, cele-
bre Euripidis in poëticâ studium; quem
hominum consuetudine repudiatâ in spe-
luncas ferunt sese abdidisse, & divinas tra-
B gœdias elaborasse: celebre Demosthenis in
oratoriâ facultate, qui totos menses inclu-
sus domi meditatione eloquentiam, scri-
ptione stylum, exercitatione memoriam, &
actionem excolebat: Cicero sic philoso-
phiæ, & liberalissimis artibus operam de-
dit, ut iis dumtaxat studuisse, tantum in
eloquentiâ elaboravit, ut alias disciplinas
neglexisse videatur: Galenus quanto stu-
dio fuerit, declaravit operum magnitudi-
ne, & multitudine, qua vicit omnes, qui-
C bus philosophiam, & medicinam illustra-
vit. Mitto alios innumerabiles, quorum
quanto fuit excellentius ingenium, tanto
studium acrius extitit, tanto major indu-
stria, & labor in sapientiâ, & clarissimis
artibus excolendis. His exemplis commo-
veri debetis, Adolescentes, & non eorum
vocibus, qui vobis blandiuntur, qui igna-
viæ lenocinantur, qui incendunt cupidi-
tatem, qui vobis persuadent non opus es-
se multo labore, liberalissimas disciplinas
D ingenio, non studio; felicitate naturæ,
non laboris diuturnitate cognosci; licere
acutis, & sagacibus impunè feriari, impu-
nè marcescere desidiâ, & otio, impunè in-
dulgere voluptati; eorum quippe oratio
ipsius auctoritate naturæ, quæ nihil præ-
clarum, & pretiosum facile, & parabile
esse voluit, confutatur: confutatur exem-
plis aliarum facultatum, & artium, & insti-
tutorum, quæ summum studium, diligen-
tiamque desiderant: denique locupletissimis
E testibus viris in omni doctrinâ principibus
confutatur; qui si præstare scientiâ se non
posse putaverunt, nisi ingenium cupiditate
discendi, cupiditatem discendi labore, labo-
rem animi contentione superassent; quis est
tam arrogans, tam mirator sui, qui facilio-
rem sibi doctrinæ viam fore arbitretur, quàm
fuit illis litterarum proceribus, & ingenio
principibus omnium sæculorum? Est igi-
tur etiam excellentibus ingeniis vehemen-
ter in litteras incumbendum, atque omni
F ope enitendum, ne præstantiæ naturæ de-
fuisse, ne expectationem hominum fefel-
lisse videantur. Atque ego haud scio, an
quo quisque magis mentis acumine excel-
lit, eo magis debeat in studiis elaborare;
nam sicut ager ubertatis nunquam effetæ,
nisi agricolarum industriâ frequenter exer-
ceatur, solet faciliùs, quàm sterilis, malis
herbas procreare, lappisque, & tribulis, & a
spinis obsideri; ita ingenia, quo sunt fe-
liciora, & igneâ mobilitate magis excitan-
tur, nisi bonarum artium studiis diligen-
tiùs excolantur, ingenerant promptiùs pra-
vas opiniones, ingenerant stultam fidu-
ciam sui, ingenerant arrogantiam, contu-
maciam, contemptum disciplinæ, petulan-
tiam, protervitatem, cupiditatibus, qua-
si silvestribus quibusdam stirpibus, obso-
lescunt. His malis adhibenda cultura lit-
terarum, excidenda stultitia, errorum stir- b
pes radicitus evellendæ, implendus animus
fruge Sapientiæ. Quo magis ingenio præsta-
tis, eo magis ingenii quærenda sunt ornamen-
ta; feminæ quanto sunt pulchriores, tanto
studiosiùs in excolendâ formâ sunt occu-
patæ, tanto exquisitiore corporis cultu de-
lectantur; quia pulchram faciem exquisi-
tus ornatus decet, turpem dehonestat; quod
in ceteris animantibus etiam observamus.
Equus excepto homine omnium pulcher-
rimus diligentissimè comitur, insternitur c
stragulâ veste pretiosâ, aureis frenis, ar-
genteis phaleris, aureis monilibus, gem-
matis frontalibus exornatur; simiam tur-
pissimam bestiarum nemo nisi ridiculi cau-
sâ studiosiùs composit, & excoluit ornamen-
tis. Eodem sanè modo, qui animi pulchri-
tudine antecellit, intentiùs debet in ani-
mi cultu elaborare, ut augeat, & ornet
dona naturæ, nec per socordiam, igna-
viamque obsolescere patiatur. Atque eo
magis præstanti ingenio adolescentibus im- d
pendendus labor; quo majora sunt ipsis
proposita præmia; proposita est nominis
immortalitas, proposita præsentis ævi glo-
ria, proposita dignitas, & amplitudo; quæ
excellentibus ingeniis, si laboris onus non
detractarint, multo major, quàm aliis, con-
tingat, necesse est. Cogitate in quanto fa-
stigio Homerum, Hippocratem, Platonem,
Demosthenem, Aristotelem, Archimedem,
Ciceronem, Virgilium, Ptolemæum, ve-
teres Jurisconsultos, & Theologos doctri-
na, & eloquentia collocarit; eorum gloriam e
nulla vetustas temporum obscuravit: eorum
voces, tanquam oraculorum effata, audimus:
in eorum scriptis evolvendis, illustrandis,
interpretandis doctissimi homines summâ
cum laude versantur. Ad eorum gloriam vo-
bis licet aspirare, si ingenii præstantiam, quæ
vobis a naturâ tributa est, pari industriâ, pari
studio putabitis excolendam. Neque enim
illi immortales, nisi famâ, fuerunt, sed eadem
naturâ, qua vos, præditi, nec aliâ re, quàm
studio, & ingenii dotibus, præstiterunt. Nec f
vos laborem exhorreatis; suavis est labor,
qui in rerum cognitione suscipitur, quem
si paulisper gustaveritis, si paulatim studiis
assueveritis, nullam aliam voluptatem requi-
retis; pascitur enim animus rerum scien-
tiâ

tiâ, tanquam proprio alimento, & in eâ li-
A bentissimè acquiescit. Quæ non eo dico,
quo vobis carendum putem omni laboris
laxamento, nunquam animum remitten-
dum, numquam oblectationibus, quæ aliun-
de, quàm ex litteris petuntur, indulgen-
dum; distinguendus quietis intervallis labor,
neque animus nimis onerandus; sed curis
avocamenta, ludo studium, intentio remis-
sione miscenda est; ita vobis accidet &
post laborem voluptas gratior, & labor post
voluptatem tolerabilior. Nam qui in ani-
B mo excolendo ita sunt occupati, ut non
respiciant corpus, præstantissimam quidem
sui partem colunt, & jucundissimâ, dum
vigent vires, voluptate perfruuntur; sed
interdum, oppresso corpore, animi deliciis,
quas adamarunt, carere coguntur; & nec
animo, nec corpori se prospexisse serò in-
telligunt. Sed ut hi fortasse reprehenden-
di, ita nullo modo ferendi, qui ingenii fi-
duciâ elati, quæ plerumque falsa est, & o-
ritur ex errore animi sibi nimium blandien-
C tis, putant se, quum nihil, aut parum labo-
ris impenderint, quum litteras oscitanter
attigerint, quum omnes cupiditates exple-
verint, excellentem doctrinam consequu-
tos. Nam ne ipsi quidem Jovi nectar sine
magno labore parari poetæ voluerunt; qua-
propter a columbis duabus per symplega-
das petras portari suavissimam illam po-
tionem tradiderunt. Nectar est animi sa-
pientia; eâ porro quò perfruamur, licèt
ingenio divino simus, ingentes difficulta-
D tes superandæ, ingentes labores exaurien-
di, & velut per symplegadas petras tran-
seundum. Sed vos nolite defatigari, nolite
animum despondere, nolite facilis, & inho-
nora arduis, sed æternam gloriam allaturis
anteponere; & si quando subrepet animo
laboris tædium, si quando voluptas a stu-
dio dehortabitur, si quando mentem des-
peratio occupabit; imitamini Hannibalem
illum Pœnum, qui quum milites alpium
ascensu defessos, & suis rebus desperantes
E videret, ostendit illis subjectos Italiæ cam-
pos uberrimos, amœnissimos, pulcherrimos,
& eâ specie labantes confirmavit, erexit,
desiderio beatissimæ regionis excitavit: su-
bjicite cogitationibus vestris non Italiam,
sed illam Sapientiæ Regiam immortalem,
ubi non opes fluxas, sed æternas estis pos-
sessuri, non obnoxiam fortunæ, sed huma-
nis casibus altiorem felicitatem adepturi,
non de Romanis, sed de vitiis triumpha-
turi. Vos reficiet ea species, mihi cre-
F dite, & recreabit; nam ibi, quidquid est
expetendum, videbitis; eò intuentes & qui
ingenio sunt acriore, exemplis præstantissi-
morum hominum, qui ingenium summum
cum studio summo conjunxerunt, ad su-
scipiendum laborem commovebuntur; &
qui sunt hebetiore Xenocratis, & Clean-
this exemplo, qui quum essent tardiores,
tamen labore, & industriâ sempiternam si- G
bi gloriam pepererunt, ad bene sperandum
de se excitabuntur. His cogitationibus im-
morari, hæc vobiscum meditari vos volo,
hæc animo volutare; & quemadmodum So-
crates formosis in eo laborandum cense-
bat, ne formam corporis animi turpitudi-
ne inquinarent; turpibus autem, ut defor-
mitatem oris virtute decorarent; sic ego
ingeniosos cavere, ne Dei donum corrum-
pant ignaviâ; eos, qui paulo sunt hebetio-
res vigilantiâ, industriâ, labore naturæ vi-
tium jubeo emendare.

ORATIO XXIII.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1699.

In solemni instauratione Studiorum.



In Studiis litterarum opus esse perseverantiâ.

Est sanè laudandum, amplissimi Pa-
tres, Auditores ornatissimi, con- H
silium Juvenum optimorum, qui
ad animum liberalibus disciplinis
excolendum suavissimas amico-
rum, cognatorumque consuetudines, de-
licias Patriæ, qua nihil dulcius, paternæ
domus commoda reliquerunt; & in hanc
urbem bonarum artium altricem, & ma-
gistram, in hanc Sapientiæ Regiam, in hoc
augustissimum Musarum templum frequen-
tes convenerunt. Quid enim pulchrius,
quid laudabilius, quàm animi cultum om- I
nibus corporis oblectamentis, omnibus
commodis, omnibus illecebris voluptatum
anteponere; nec itinera longinqua, nec
diuturnum laborem doctrinæ causâ refor-
midare? Paruerunt adolescentes egregii I-
socratis eloquentissimi viri, sapientissimi-
que præcepto, qui longam viam ingredi
non cunctanter censet oportere; ut eos,
qui se quidpiam utile docturos esse profi-
tentur, audiamus: venerunt ad doctissimo-
rum hominum cœtum, quo Pisana Gym- K
nasia celebrantur, ut eorum sapientiâ do-
ctiores, exemplo meliores, consilio pru-
dentiores evaderent: non refugerunt la-
borem, non tædium viæ exhorruerunt,
dulcedinem soli natalis præ Sapientiæ dul-
cedine sunt aspernati. Quis eorum con-
silium non laudet, constum non exoscu-
letur, præclararum rerum studium non ad-
mire-

miretur? Sed quanto pulchrius est vobis, A Adolescentes, & ad laudem præclarius, ad rationem discendi conducibilius, eam urbem Patriæ prætulisse, ubi domicilium Musæ collocarunt; tanto magis cavendum est, ne quod consilium vobis æquum est esse gloriosum, dedecoris causam afferat; unde alii laudem sempiternam sibi compararunt, ex eo turpitudinis aliqua labes aspergatur; unde sapientiam haurire debetis, stultitiæ culpam contrahatis. Nam nisi propositum acriter urgebitis, vertetur in B probrum inceptum suapte naturâ laudabile, & prædicandum; & frustra tantum laborem suscepisse, frustra tantas fecisse impensas redarguemini; & non stultitiæ solùm, verùm etiam inconstantiæ crimen subibitis. Id ne accidat, Adolescentes, ego, qui pro virili parte debeo, quæ vobis pro futura arbitror, subjicere cogitationibus vestris; hodierno die quàm brevissimè demonstrabo, quàm turpe sit vobis, quàm flagitiosum, quàm fugiendum in hac ur- C be versari, & propter ignaviam, propter cupidinem voluptatum in studiis parum promovere, & Venerem Minervæ, Sirenas Musis, gravitati nugas anteponere. Quod argumentum orationis meæ ad perseverantiam cohortantis erit dignum indole vestrâ, Adolescentes, dignum amplissimorum Patrum consessu, dignum splendidissimâ Auditorum coronâ, dignum hujus auctoritate loci, & diei tantâ lætitiâ, & celebritate; nam cum in omnibus constan- D tia laudabilis, tum in his præcipuè studiis, quæ maximam omnium judicio laudem promerentur.

Et sanè quàm pulchrum est mutare consilium non rectè initum, absistere incepto turpi, aut periculoso, tam turpe est in eo non perseverare, quod rectum, quod honestum, quod laudandum, quod profuturum est. Quapropter apud Homerum laudatur Agamemnon, quòd quum Achillem offendisset, & Achillis ira maximas Græcis E clades attulisset, mutatâ voluntate non solùm ad Achillem placandum principes exercitus viros mittit oratores; verùm etiam infinitam munerum multitudinem se daturum pollicetur. At contra Ulysses commendatur, quod ab incepto nullis laboribus, nullis incommodis, nullis periculis deterretur; non blanditiis flectitur, non voluptate delinitur, non longinquitate itinerum commovetur; & reditum in Patriam ad parentem senem, ad uxorem pudicissi- F mam, ad amantissimum filium immortalitati, & Deæ nuptiis anteponit. Et ut fabulas omittamus, fuit gloriosum Themistocli, fuit Cimoni præstantissimis imperatoribus, quum ineunte ætate vitam desidem, & otiosam, & deliciis affluentem sequuti essent, repente tanquam e somno gravi, & perniciali ad Rempublicam capessendam excitari, colere studia rei militaris, labore, G & industriâ certare cum æqualibus, cum majoribus natu continentiâ, & gravitate vitæ contendere; & non solùm eorum, qui tum vivebant, sed etiam Antiquorum gloriam æmulari; atque ea mutatio morum infamiam vitæ superioris obruit laudibus consequentis, ut in utroque initium adolescentiæ taceatur; media, & extrema, & totius ferè vitæ cursus omnium scriptorum eloquentiâ celebrentur; nec in iis potuerit desidiæ crimen hærere, nec anteactæ H vitæ obscuritas accusari, quos omnes viderunt semper arma tractantes, insignes trophæis, Barbarorum spoliis onustos in tantâ rerum gestarum luce versari. Sed in Lucullo clarissimo imperatorum, quod mediis extrema discreparunt, vix laudes juventutis, tot exhausti labores, tot de Barbaris trophæa constituta senectutis otium, & delicias, & luxum a dedecore, atque infamiâ defenderunt; & Mithridatem secundùm Alexandrum maximum Regum profligatum, I fractum, atque abjectum opulentissimum Tigranem, capta Tigranocerta, tot urbes expugnatas, tantas hostium clades, prolatum longiùs Romani exercitus terrorem, quàm quisquam superiorum protolerat, florentem Asiam Luculli legibus, & institutis cenæ in Apolline, amœnitas hortorum, deliciæ, & magnificentia villæ Tusculanæ, & in Campano litore immissum terris mare, perfossi montes propemodum obscurarunt. Nec tota vivendi ratio repente K immutata solùm, sed unus vitæ actus multis rebus præclarè gestis obscuritatem attulit, aut certè multum detraxit de gloriâ excellentium virorum. Antiochus ille Magnus, quum Græciam in suam potestatem redacturus, & Romanis, qui Græcorum libertatem tuebantur, bellum illaturus in Europam ex Asiâ exercitum trajecisset, & Chalcide hibernaret, amore captus est pulcherrimæ virginis Chalcidensis; quam sibi privatam indecoro tanto Regi matri- L monio conjunxit, & totam hiemem non in apparatu belli, sed in deliciis conquirendis, atque explendâ cupiditate consumpsit. Ea res Antiochi famam penitus dedecoravit, & in contemptum nomen adduxit, & universam belli gerendi rationem pervertit; nec illi res gestæ profuerunt, nec Imperii magnitudo, quibus Magni cognomen invenerat; quæ omnia hac unâ intemperantiæ infamiâ conciderunt. Si magnis exemplis in modicis uti licet, ea- M dem turpitudo, quæ Antiochum sequuta est, vobis dedecoris notas inuret; quæ non facilè delebuntur, nisi in incepto constanter persistatis. Venistis in hanc urbem non Græciam subacturi, sed iis, quæ Græcis æternum decus attulerunt, potituri; non

cum

cum Romanis bellum gesturi, sed cum animi mollitie, quibus obnoxia est ætas vestra, certaturi; si in ipso curriculo studiorum transversos egerint cupiditates, si discendi tempus ludus, & desidia occupabit; quis dubitet, quin ejusdem culpæ affines vos omnes sint judicaturi? Atque eo magis, quod ille hiemem, qua tempestate bella terrâ, marique conquiescunt, contrivit in otio, contrivit in voluptate; & tunc cessavit a bello, quum etiam strenuissimos cessare cogit natura, & tempestatum magnitudo; vos tempus illud, quod studiis aptissimum est, in inertiâ, in deliciis, in voluptatibus traducetis; & ille quidem anteactæ vitæ laudibus, multisque rebus præclarè gestis exigui temporis infamiam, & non diuturnæ segnitiæ crimen deprecabatur; vos autem si hîc paululum ostenderitis, quum propter ætatem nondum nominis claritatem consequi potueritis, præsentis temporis culpam nullâ præteriti laude redimetis. Hoc enim mihi credite, Adolescentes, initium vestræ gloriæ est: hîc fundamenta jacienda laudis, quibus futuram amplitudinem extruatis; hactenus industria vestra publicâ luce caruit, in umbrâ ferè latuit vester labor; nunc in hoc celeberrimo ingeniorum Theatro studia in Solem vobis proferenda; permagni verò interest ad famam nominis vestri initia vestræ existimationis esse quàm præclarissima. Nam si principium cujusque rei esse dimidium verè poeta sapientissimus Hesiodus affirmavit; si gravissimus Auctor non solùm dimidium, sed prope etiam totum principio dixit contineri; cogitate quantum laboris, quantum curæ sit vobis impendendum, ut hæc initia curriculi vestri a laude, & præclarâ hominum existimatione proficiscantur, a quibus ferè pendet & tota ratio studiorum, & futura nominis vestri claritudo. Hîc enim gloriæ fundamentis pulcherrimè jactis facillimè tueri poteritis famam, quam ineunte ætate vobis comparastis; sin autem, quòd Deus omen avertat, in hac urbe præclararum artium sede, & officinâ Sapientiæ nihil profeceritis, in vobis perpetua, aut certè diuturna valebit opinio tarditatis; quod ingeniosis adolescentibus, quales vos estis, magnopere fugiendum est; quum omnes ingenii gloriam appetant, &, ut ait Poëta non ignobilis, nemo sit, qui cuiquam velit ingenii laude concedere. Quis enim vos tam incogitantes, tam stultos fuisse credet, ut, quum tot annos in studiis, quæ nihil habent, aut parum jocunditatis, laboris, & molestiæ plurimum, contriveritis, quò aliquando possitis in hac urbe jucundissimis disciplinis, & iis, quæ fructus uberrimos ferre possunt, operam dare, & diuturnam sitim explere Sapientiæ, & ornamenta consequi, quæ amplissima studiosis hæc gymnasia pollicentur, præsente jam occasione discendi voluntatem abjeceritis, & ad inertiam, ad nugas, ad levissimas voluptates animum converteritis, quo quid dici turpius, aut flagitiosius potest? An putatis ullum athletam fuisse tam ignavum, tam turpem, tam sui decoris oblitum, tam dissolutum, ut quum diuturnâ exercitatione corpus firmasset, & intolerandis laboribus ad certamen se comparasset, & ad Olympicam, aut Isthmiam, aut aliam ludorum celebritatem certandi causâ venisset, in ipso stadio, circumfusâ innumerabili spectatorum multitudine certamen detrectaverit, coronam non appetivit, quiescere, quàm cum adversario congredi maluerit? Fustuarium milites merentur, qui deserunt signa, qui non servant ordinem, qui in ipsâ acie non prœlium ineunt, sed locum fugæ circumspiciunt; non minor est turpitudo adolescentium, qui in hoc Sapientiæ curriculo ignaviam pro labore, ludum pro studio, turpes corporis voluptates pro honestissimis, & jucundissimis animi oblectationibus consectantur. Siquidem nemini athletarum ita convenit exercere corpus, ita ad certamen parari, ut studiosis adolescentibus mentem eruditis exercitationibus perpolire, & alacri animo, & erecto contendere cum æqualibus de scientiæ principatu, & ad præcellentium in suâ facultate virorum gloriam aspirare: nemo bellatorum ita audacter debet inire prœlium, ferire hostem, subire pericula, loco non pelli, ut cupidi litterarum juvenes cum ignaviâ, cum libidine tæterrimis animi monstris colluctari, & a laudabili incepto nullis illecebris, & delinimentis avocari. Atque ego haud scio, an sit turpius vobis, Adolescentes, in hoc pulvere non desudare, quàm athletæ, quum in stadium certandi causâ venerit, quiescere, aut bellatori, quum in aciem processerit, pugnâ abstinere. Nam & athletæ possunt adversarii virtute, & inusitatis viribus deterreri, & bellator potest circumfuso terrore perculsus exire de potestate; vos nulla res deterret, multæ invitant, multæ cohortantur, sed præcipuè studiorum voluptas, & varietas, & disciplinarum, quæ in his gymnasiis explicantur, pulchritudo. Quidquid aut mentem erudit, aut linguam perpolit, aut mores format, hîc consequi intellectu potestis: in hoc clarissimo disciplinarum emporio omnigenæ sapientiæ merces non venales, sed quò vos magis invitent, gratuitæ exponuntur: earum tanta copia, tanta varietas, & splendor, tanta pulchritudo, ut quemlibet non prorsus hebetem, non ab humanitate penitus abhorrentem commoveat, alliciat, irretiat, incendat cupiditate

tate discendi. Socrates quum in mercatu
A celebri, & copioso expositas merces vide-
ret, quæ ad luxum, delicias, voluptatem,
ornamentum corporis, instruendam ma-
gnificè domum pertinerent, dixisse fertur:
quàm multa non desidero! Quàm laudan-
dus ille est, quia comtempsit res leves, &
quæ ad inanem oblectationem, ad fastum,
non ad usum vitæ, non ad mores compo-
nendos, non ad bene, beateque vivendum
spectarent; tam vos eritis reprehendendi, si
in hoc quasi mercatu Sapientiæ gravissimas
B disciplinas, quæ ad ornandam orationem,
ad ingenium expoliendum, ad instruen-
dam beatam vitam conferunt, contemne-
tis. Nam si unum, aut alterum doctrinæ
genus non magnopere concupisceretis, pos-
set, qui vellet, hanc inertiam vestram in
mitiorem partem interpretari; siquidem non
omnia omnes movent, atque delectant, non
omnibus omnes apti, & nati sumus; om-
nem verò doctrinam aspernari, cunctam-
que Sapientiæ supellectilem nihili pen-
C dere est animi stolidi, & pulcherrima quæ-
que negligentis, & invalidi, & ægroti, &
nunquam ad sanitatem perventuri; quemad-
modum sani quoque solent interdum non-
nullos cibos aversari; fastidientis, & ægri
stomachi est ab omnibus abhorrere. Nisi
igitur ad aliquam ex multis, quæ in his,
ut ita dicam, Sapientiæ nundinis non a-
lio, quàm laboris, pretio addicuntur, atque
traduntur, facultatem animum appuleritis,
eamque quavis industriæ mercede com-
D parandam vobis putaveritis; ingenii stoli-
di, & stultitiæ deploratæ vobis fama su-
beunda est, sed maximè levitatis crimen
pertimescendum est. Ingeniosus, & face-
tus poeta irridet hominem severissimum,
quem Catonem appellat, quod quum sci-
ret in theatro Floræ ludos celebrari, in
theatrum venerat, & statim ludis non spe-
ctatis excesserat; adeo levitas irridenda est,
ut qui ad turpe spectaculum accessisset, &
spectare diutiùs non sustinuisset, propter
E levitatem, qua tam citò sententiam muta-
verat, irrisione dignus esse videretur; & ne
rectè quidem facta cum levitate conjuncta
laudentur. Vos non venistis ad Floræ ludos
nequitiæ spurcissimæ plenos, sed ad castis-
simum Sapientiæ ludum; venistis in thea-
trum artium laudatarum; si ex eo statim ex-
cesseritis, si non spectabitis ludos, quam
irrisionem, quem contemptum vestræ levi-
tatis futurum arbitramini? Excedetis au-
tem, nec spectabitis ludos, si discendi stu-
F dium abjeceritis; his quippe Sapientiæ lu-
dis non corpore, sed animo intersumus,
id spectaculum non oculis, sed mente con-
templamur. At quam oblectationem, quod
gaudium, quam animi voluptatem, quam
nominis claritatem vobis feret id spectacu-
lum? Videbitis retectam mentibus vestris
naturæ majestatem, rerumque causas abdi-
tas, & involutas è suis latebris, & tenebris G
evolvetis: divini Artificis opera, quibus
nihil pulchrius, nihil admirabilius, assiduè
spectabitis: omnes inveniendæ veritatis
vias, & rationes indagabitis: herbarum po-
testates, usumque medendi cognoscetis:
Cœlum ipsum innocenti audaciâ ascende-
tis, ejusque motus tam varios, tamque mul-
tiplices, & immensam magnitudinem geo-
metricis rationibus deprehendetis: dicendi
artes, & comendæ rationem orationis per-
videbitis, & sirenis illius, quam suadam La- H
tini dicunt, cantu, & suavitate gaudebitis:
memoriam vetustatis, monumenta rerum
gestarum pernoscetis, poëtarum flores de-
cerpetis: justitiæ præcepta vobis patebunt,
ejusque speciem augustam, & regiam ma-
jestatem pervidebitis, jurisque civilis fontes
reclusos, & apertos haurietis: rationem
bene, beateque vivendi, morumque leges
condiscetis, & virtutis formam, & admi-
randam pulchritudinem mentis oculis u-
surpabitis: Deum ipsum, quoad homini li- I
cet, immortalesque naturas contemplatio-
ne attingetis. O vestram, Juvenes, insci-
tiam singularem! o levitatem vestram non
ferendam! si eo spectaculo, cujus causâ ve-
nistis in hoc ingeniorum theatrum, spon-
te carueritis. Quare mihi estis, Adole-
scentes, ultimo loco admonendi, ne tan-
tam felicitatem contemnatis, ne putetis a
vobis alienam ullam facultatem, quam per-
tinere cognoscitis ad animum excolen-
dum, augendumque doctrinâ; ignaviam K
quasi tæterrimam pestem aversamini: vo-
luptates, quæ sunt cum dedecore conjun-
ctæ, odio habetote: delicias vestras in Sa-
pientiæ studio positas esse existimate, vo-
bisque persuadete verissimum esse, quod
dixit Plato, Sirenibus Musas esse longè
suaviores: ne putetis, quod a parentibus
vestris, & majoribus natu cognatis estis
longo locorum intervallo disjuncti, ideo
concessam vobis vitæ liberioris licentiam;
quin eos adesse, & præsentes monstrare, L
quæ recta sunt, putatote. Auctor gravissi-
mus morum, quum quid agendum est,
quid egisset in eâ re Socrates, quid Pla-
to, quid Aristoteles, jubet nos cogitare;
ego quid vestri parentes, quid præcepto-
res, omnesque, qui vos caros habent, in
hoc studiorum curriculo vos facere velint,
jubeo cogitare; eorum obsequi voluntati,
eorum auctoritatem maximam arbitrari,
qui licet absentes vos ad susceptum lau-
dis, atque gloriæ cursum videntur cohor- M
tari; & ne committatis, ut frustra tantos
faciant sumptus, frustra contabescant desi-
derio vestri, deprecari. Sed maximè Pa-
triæ sanctissimis vocibus æquum est ob-
temperare, quæ supplices tendit manus,
& vos videtur his dictis ad studium laudis
accen-

accendere. Ego vos, Adolescentes, genui, alui, educavi, & legibus institui, quas A
ad componendos civium mores aptissimas judicavi; vobis parentes, vobis praeceptores, vobis cognatos, & affines, vobis jucundissimas amicorum familiaritates, vobis opes, vobis etiam delicias praebui; & quia vos esse volebam quàm doctissimos, & omni laude ornatissimos, ad eam urbem misi, quae gymnasiis celeberrimis floret, floret doctorum hominum copiâ, floret omnibus disciplinis. Et nunc pro tot, ac tantis mu-
B neribus peto, ut incumbatis ad laudem, ne gloriam meam obsolescere patiamini; ut ita vos comparetis, ut mihi, & Majoribus, & Posteris vestris ornamento esse possitis. Non enim tam urbes ornat murorum firmitas, & altitudo, non splendidissimae, & pulcherrimae procerum domus, non viarum nitor, & latitudo, non templa augusta, & artificio mirabili, & pretiosâ materiâ constructa; non porticus, non theatra, non divitiae, non potentia, quàm copia ci-
C vium optimorum, & pulcherrimis artibus praecellentium, quales vos esse cupio. Nolite degenerare a Majoribus vestris, qui me laude cumularunt: nolite frustrari hominum de indole vestrâ expectationem, parentum vota, spes meas. Mihi ad hoc temporis non defuerunt, qui me gloriâ decorarent; ut ea laus propria, perpetuaque sit, nec unquam obsolescat in vestrâ manu est; nolite committere, ut in vos illud Horatii dictum possit convenire:

D

Aetas parentum pejor avis tulit
Vos nequiores mox daturos
Progeniem vitiosiorem,

sed illâ uti Sceneli apud Homerum gloriatione possitis;

Id decus est nostrum meliores patribus esse.

His vocibus, vos Patria cohortatur, quibus nihil addendum esse censeo; nam cujus oratione sperem posse vos commoveri, si Patriae sanctissima, & gravissima auctoritas non commoverit?



ORATIO XXIV.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1700.

In solemni instauratione Studiorum.



Ignaviam perniciem esse litterarum:

SI minùs multae forent illecebrae voluptatis, amplissimi Patres, Audito- E
res humanissimi; si non tam facilè subreperet animis adolescentium ignavia, & occulto quodam, & illabente sensim torpore improvidas mentes occuparet, & quasi Circaeis poculis deliniret; supervacaneum judicarem Juvenes optimos, qui in haec gymnasia disciplinae causâ frequentes convenerunt, ne desidiâ langueant, ne otio torpescant, ne se voluptati dedant corrumpendos, admonere. Quid enim minùs conveniret, quàm in eo F
laborare, ut Etruscam juventutem ab inertiâ deterrerem; quum Tuscis a naturâ insitam solertiam, & hanc esse virtutem hujus inclytae nationis propriam omnes prorsus consentiant? Enimverò nec indoles vestra, Juvenes, nec ingenium alacre, & vividum hujus generis orationem desiderare videretur; sed quoniam omnes homines laborem facilè reformidant, industriam aversantur, a studio laudis nequitiâ blandiente avertuntur; faciendum esse duxi, G
ut hodierno die, quo vertentis anni curriculum inchoamus, & quasi signum meâ voce datur futuri certaminis, quanta sit ingeniorum pestis ignavia, & quàm aliena ab humani generis excellentiâ, quod ad magna quaedam, & sublimia Deus procreavit, & quàm cum honestate conjunctus labor sit, appetendus, exponam. Caveto enim credatis ullam perniciem esse majorem, ullum turpius monstrum, & aetati vestrae magis H
metuendum, quàm pigritiam. Ea malis quibusdam venenis imbuta, tanquam Aspis, quae perniciali somno admorsos necat, quos afflavit pestifero veterno, conficit; nec tam corpori pestem affert, quàm animo, cujus indolem, quasi quadam tabe, consumit; & quemadmodum Lamias ferunt corpora formosorum, quos cupidè appetiverunt, quos ad libidinem illexerunt, devorare; ita quos praestigiis decepit, quos blanditiis induxit, eorum omnem ingenii I
florem depascitur, omnem virtutis pulchritudinem, omne animi lumen extinguit. Atque haec pestis, quò capitalior fiat, quò blandiùs animis illabatur, & potentiùs dominetur, assumit comitem omnem turbam vitio-

vitiorum, assumit voluptatem, cui nemo po-
A test resistere, nisi Sapientiæ armis muniatur. His malis animus obsidetur, his premitur, his urgetur, qui turpi otio delectatur; mors est ingenii segnities, mors virtutis, mors artium laudatarum, caligo vitæ, gloriæ bustum, venenum famæ, scopulus honestatis. Factutus igitur operæ pretium videor, Auditores, si ignaviam hodierno die detestatus fuero; si vos quantum dicendo consequi potero, ab inertiâ deterruero, & ad innatam generi vestro soler-
B tiam, & industriam excitaro. Quod ego dum conor, quæso vos, ut non ignavè, & oscitanter, sed diligenter, attenteque mea verba, immo vocem Naturæ, vocem Divini Conditoris audiatis. Non enim oratio mea solùm, quæ a veritate potest aberrare, desidiam execratur; sed ipse Mundus, & Mundi Architectus Deus, qui fallere, & falli nescit, vos ab inerti otio dehortatur. Nam si in ipsam rerum naturam animum intendatis, & ad veram rationem adhibea-
C tis, vosque ipsos, Deumque, qui vobiscum tacitus quodammodo loquitur, consulatis, omnia clamare intelligetis, nihil magis adversum esse Naturæ, nihil ab hominis præstantiâ magis abhorrere, quàm ignaviam. Summus ille videlicet rerum moderator, quum hominem ad vitæ societatem procrearet, quem in medio Universi quasi regem constitueret, cujus curæ, tutelæque & hominum cœtus communem utilitatem continentes, quos civitates appellamus, &
D omnes animantes, & cuncta inanima committeret, noluit esse otiosum, noluit nimis delicatum, noluit torpere somnu, sed ad agendum voluit tacito quodam Naturæ nutu excitari. Siquidem oportet, ut ait Græcorum Princeps Poëtarum, esse vigilantem eum, cujus consilio multa gubernantur, cui Respublica committitur, cujus curâ tam magna administrantur; itaque ingeneravit animis quendam appetitum rerum gerendarum, qui nos indormi-
E re desidiæ non patitur, nec sinit deliciis, ignavis acquiescere. Nisi verò putamus aut Sybaritam illum, quem epulantem folium rosæ, tanquam stimulus ferreus offendebat; aut Mycerinum Ægyptium, qui, ut oraculi sortem eluderet sibi vitæ brevitatem prædicentis, omissis omnibus curis dies, ac noctes perputationibus, & inertissimis voluptatibus indulgebat; aut Nysæum Dionysii Tyranni filium, qui tanquam paucos dies victurus in omnem libidinem effusus,
F omnibus gaudiis delibutus vitam, quum Syracusis regnaret, egit; nec unquam suscepit Regni curas, nec ullum Reipublicæ laborem impendit, ignaviæ suæ, suis deliciis acquievisse, aut ullam partem esse veræ tranquillitatis assequutos. Illi verò suis deliciis, quasi acerrimis tortoribus, cruciabantur, nunquam contenti præsentibus,
semper futuris imminentes, & dum vivere G
properant, miserrimâ peste pereuntes; qui satietate voluptatum voluptates aspernabantur, nec ab illis divelli poterant, & doloris, qui consequitur, sensum percipiebant, non percipiebant voluptatis, quem longâ assuetudine amiserant. Atque hujus rei appello testem nun aliquem e severissimis illis philosophis, qui nunquam id vitæ genus degustarunt; appello testem Tiberium Cæsarem, qui quantum esset miseriæ in otio
delicato, declaravit. Is quum abdicatâ curâ terrarum in illo Capreæ secessu famâ celebrato degeret, & hauriret ex toto Orbe terrarum accersitas voluptates, & nihil suis cupiditatibus denegaret; se se ignavissimâ illâ quiete miserrimè torqueri, angi, perire fatebatur; quod missis ad Patres Conscriptos litteris testatus est, quibus & summam desperationem rerum suarum, & summam animi perturbationem præseferebat. Ergo ille, cujus otium immensæ H
opes, infinita potestas, obsequia populorum, I
& Regum, undique conquisitæ jucunditates oblectabant, agitabatur animo, & quasi furiis quibusdam vexabatur, & cessationem, quam tanquam portum curarum expetiverat, tempestatum plenissimam experiebatur; cur putemus eos, qui longè paucioribus otii oblectamentis utuntur, quorum cupiditates ferè nunquam optata consequuntur, suâ desidiâ esse contentos? Sed quid ego antiqua commemoro? nonne videmus eos, qui sibi lauti, ac beati viden- K
tur, dum otio marcescunt, sibi ipsis displicere? quoties illi rem velocissimam tempus tardè labi queruntur? quoties æstuant tædio voluptatum, quoties deliciis ipsis læduntur, & qui maximè omnium quietem amplecti videntur, maximè inquietantur? Nec mirum; a suâ ipsi naturâ desciverunt; ut pisces ad natandum, aves ad volandum, ita homines ad agendum natura procreavit; & ut pisces, si nandi, aves, si volandi facultate spolientur, ita homines ab agen- L
do aliquid serium remoti contenti esse non possunt; ideo sapientissimi viri in actione secundùm virtutem non impeditâ beatam vitam collocarunt. En cur ignavi sperent se vero gaudio frui posse, ad veram felicitatem pervenire; felicitas in agendo cernitur; illi torpent ignaviâ: felicitas in virtute consistit; illi vitiis intercutibus madent. Quantum igitur a Gadibus Ganges, tantum a beatâ vitâ remoti reperiuntur; ex quo consequens est eos, dum beati esse volunt, in miseriâ summâ, & calami- M
tate versari, quum a felicitate quàm longissimè disjungantur. Atque utinam animum suum ipsi introspicerent! quæ ulcera ibi viderent, quas sordes, quam maciem, quam deformitatem, quàm eos igna-

viæ suæ, quam felicitatis effectricem pu- A tant, pœniteret? Sed animi turpitudinem, morbosque videre non possumus; possumus tamen conjecturâ consequi, quantùm ignaviâ animi depraventur, si in rerum naturam mentis aciem defigamus; omnia quippe motu convalescere, pigritiâ deformari, confici, interire cognoscemus. Nisi moveantur aquæ corrumpuntur: nisi ventis agitetur aër, nebulis obsidetur, & pestilentes halitus colligit: si tollatur motus, quo cietur ignis extinguitur: terra, quæ B non vomere proscinditur, non rastris frangitur, sterilescit, horret sentibus, fœda est aquis stagnantibus, squallet situ, & indurescit: Cœlum ipsum, & illi sempiterni ignes astrorum si paululum consistant, omnium rerum interitus consequatur. Nihil ignavâ mole torpet, omnia fluunt, & quidquid fluit conservatur, & viget; & quidquid torpet, interit. Torpeat sanguis in venis, qui in respirando spiritus reciprocatur, consistat, momento temporis vita extinguetur: C arescent plantæ, nisi fluat, & per occultos meatus assiduè feratur humor, quo nutriuntur: nihil denique sine præsenti interitu voluit Mundi opifex Deus omnino quiescere. Idcirco præclarè Plato docet eum, qui nomina rebus princeps imposuit, quidquid salutare, pulchrum, laudabile, expetendum est, a libero motu, quidquid contra pestiferum, turpe, vitiosum est, ab impedito appellasse; ignaviam nimirum, desidiam, torporem fontem malorum, D laborem, agitationem, motum bonorum judicavit; nec a conjecturâ Vir sapientissimus aberravit. Nam, ut omittamus externa perscrutari, nonne videmus in nobis ignaviâ corpus hebetari, & maturâ confici senectute; labore firmari, & diuturnâ juventute pubescere. Quod & vos vidistis, prudentissimi Græciæ Legumlatores; vos enim rem saluberrimam corporibus palæstras instituistis: vos non passi estis in ipso otio cives otiari: vos luctâ, pancratio, cursu, disco, saltu, cæstu quotidie exercuistis: E vos innumera laborum, & exercitationum genera excogitastis. Hoc ergo consilio, & valetudinem corporum confirmastis, & Rempublicam stabilistis; nam & vestri cives plerumque ad extremam senectutem pervenerunt, & Respublica fortissimis viris abundavit. Hinc illi bellatores acerrimi extiterunt, qui in Marathoniis campis congressi pauci cum infinitâ Persarum manu hostium copias deleverunt, & clarissimo post homines natos trophæo Græciam ho- F nestarunt; qui ad Thermopylas magis cædendo fessi, quàm hostili ferro cæsi super ingentem stragem Barbarorum ceciderunt; qui ad Salamina victores innumerabili classe deletâ Persarum inaudita clade maria cruentarunt; qui mox Plateas memorabili prœlio nobilitarunt, & Persarum cadaveribus Græciam constraverunt; qui cir- G cumjectam barbariem aut bello subegerunt, aut metu suæ virtutis coërcitam represserunt; & in extremas terrarum oras colonias, quæ testes essent, omnes ferè gentes cessisse Græcorum potentiæ, deduxerunt: hinc toties eorumdem armis concussa Asia, & tremefacta Regum Persarum magnitudo: hinc denique invicta Macedonum virtus effulsit, & ille par Orbi terrarum animus Alexandri; qui Herculis, & Liberi Patris res gestas æquavit, tresque H Orbis partes triumpho, victoriaque conjunxit. Quam virtutem, qua Græci Barbaris præstiterunt, non aliunde magis, quàm ex laboribus, quibus juvenes corroborabantur in palæstris profluxisse declaravit Agesilaus; qui, ut suis militibus ostenderet, quàm facilè posset Imperium Persarum everti, nudos in concionem produxit, quos ceperat, Persas, & eorum corpora non colorata, non expressa toris, non compacta nervis, non valida lacertis, ut Græcorum, I qui palæstris utebantur; sed candida, fluxa, mollia demonstravit, utpote quæ nunquam Solem, laborem, pulverem pertulissent; eoque argumento in contemptum adduxit Barbaros, qui inexercitati exercitatis pares esse non possant. Quid autem de Romanis dicam? illi quidem non tam umbratili pugnâ, quàm verâ; nec in palæstris potiùs, quàm in acie, nec discis, quàm pilis torquendis juventutem exercebant; quæ non minore quàm viginti annorum spatio K militiâ attinebatur. Sed tamen, si quando otium daretur a bellis, nunquam juvenes cessare patiebantur; sed equitando, cursu, natatu, gradu militari, palum tamquam hostem feriendo campestribus armis detinebant; & aut bellis, aut meditatione bellorum occupatos habebant. Quibus rebus effectum est, ut Romani ferocissimis nationibus, & inclementiâ sui cœli duratis robore corporis pares essent; animi virtute præstarent, & Imperium iisdem, quibus L Orbis terrarum, terminis definirent; tantùm labor vincit ignaviam, tantùm vires exercitatione convalescunt, tantum decus industriâ comparatur. Quod si corpus, quod suapte naturâ brutum est, quod ignavum, quod moventi reluctatur, labore gaudet, motu viget, otio languet, & interdum miserrimâ peste conficitur; quid animo evenire credendum est? An putamus vim ejus acerrimam, & immortalem inertiâ quasi sepeliri convenire? & non timemus, M ne desidiâ corrumpatur, ne torpore hebetetur, ne socordiâ, ut ita dicam, contabescat? Enimvero quanto mobilior est animus corpore, quanto magis abhorret ab animi, quàm a corporis naturâ torpor, & languor, tanto majorem animo, quàm corpori

poti pestem ab ignaviâ invehi putandum
A est. Nolite enim existimare aut ignem le-
vissimum corporum, aut lucem mobilissi-
mam mobiliorem esse, aut motu magis gau-
dere, quàm animum, a quo motus omnis,
tamquam a fonte, manat. Ut igitur, & i-
gnis extinguitur, & lux non illuminat, si
motu prohibeatur; ita animus, qui desidiâ
torpet, non ille quidem extinguitur (ne-
que enim id animi natura patitur cœlestis,
& immortalis) sed multum pristini vigo-
ris, multum dignitatis, multum splendoris
B amittit, & qua unâ potest, vitiorum tabe
consumitur. Quum enim consistere ne-
queat, quum semper aliquid agitare coga-
tur; nisi honestis cogitationibus immore-
tur, nisi ad altiores subinde curas excite-
tur, sese ad humiles, pravasque convertit,
& in profundissimum barathrum libidinum,
& voraginem cupiditatum delabitur. Sic
pro prudentiâ malitiosam astutiam, pro
sapientiâ stultas opiniones, pro gaudio
mentis turpissimas corporis voluptates,
C pro veritate mendacium consectatur; &
quum vacuum a bonis artibus reperiant,
earum occupant locum avaritia, vel ni-
mia profundendi libido, prava ambi-
tio, præceps iracundia, efferata crude-
litas. O miseram vitam, o turpem condi-
tionem eorum, qui desidiæ tamquam visco
tenaci adhærescunt! Quàm bene proditum
est fabulis poëtarum, Jovem, quum Saturno
pulso regnare cœpisset, fluentia rivis mella
repressisse, terram sine agricolarum indu-
D striâ fruges ferre vetuisse, serpentibus vi-
rus addidisse, jussisse prædari lupos, agros,
qui communes erant, dividi, terminisque
signari, sæpiri muris oppida, moveri na-
vibus mare, ver, quo perpetuo Mortales
fruebantur, contraxisse, & quatuor spatiis
annum distinxisse, & algere bruma homi-
nes, & æstuare Solis ardore, & immodicis
imbribus, & injuriis tempestatum vexari
voluisse; ut condocefacti malis ad excogi-
tandas artes acuerentur, & ignaviam, qua
E in illâ beatissimâ omnium rerum affluentiâ
utebantur, prorsus deponerent. Tantum
scilicet mali in inertiâ esse voluerunt, ut
ne cum aureo quidem sæculo conjunctam
censuerint expetendam; quod summum
Deorum, cujus judicium errare non po-
test, judicasse tradiderunt; qui quum ho-
minibus consuleret, maluit humanum ge-
nus tot malis conflictari, quàm vesci para-
tis voluptatibus, tranquillitate summâ frui,
sed ignaviâ torpescere. Majus igitur ma-
F lum socordia, quàm bellum, quàm pauper-
tas, quàm naufragia, quàm excidia urbium,
discordia civium, fames, morbi, lites, om-
ne genus calamitatum, incommodorum,
curarum, sollicitudinum, quibus hominum
vita vexatur. Et sanè si non ignaviam om-
nis vitiorum, & scelerum turba sequeretur,

ut argumentis nihil dubii relinquentibus
ostendimus, Auditores; tamen tantus est G
ignavorum stupor, tanta ignoratio sui, ut
vel hoc nomine deterrima omnium malo-
rum esse videatur. Neque enim Margites
ille, quem tam stolidum fuisse ferunt, ut
toto vitæ spatio nunquam ultra quinque
numerare didicerit; & in nuptiali thalamo
cum novâ nuptâ collocatum puellam non
attigisse, propterea quòd, ne sibi mater con-
vicium faceret, seque vehementer objur-
garet, verebatur, tantâ stultitiâ laboravit,
quantâ interdum ignavi laborant. Quis e- H
nim senis illius otiosi, &, ut sibi videba-
tur, beati, cujus meminit Seneca, stupo-
rem æquaverit; qui quum servorum mani-
bus esset in sellâ positus (est enim id igna-
vorum proprium, usum corporis partium
amiserunt, alienis manibus cibum capiunt,
alienis pedibus ambulant, alienâ operâ se-
dent, cubant, e strato surgunt, & erigun-
tur) jamne sederet, servos interrogabat?
Nec est, quòd putetis hunc accepisse, non
fecisse stultum ignaviam, quum etiam pru- I
dentissimos, & acerrimo ingenio præditos
infatuet. Lucullus ille, quo nemo pruden-
tior, nemo solertior, nemo eloquentior,
aut doctior inter Duces Romanos fuit, qui
tot urbes, tot populos, tot nationes opti-
mis & legibus, & institutis, & disciplinâ
temperavit, posteaquam Reipublicæ curam
abjecit, & se otio penitus dedidit, tantum
repente mutatus est; ut qui regendo Orbi
terrarum idoneus habebatur, seipsum rege-
re non p sset, & Callistheni liberto seque, K
remque familiarem committeret; qui qui-
busdam, ut ita dicam, veneficiis captum, &
devinctum habebat obnoxium. Itaqui con-
sueverat Regibus ipsis imperare, imperio
liberti regebatur, vel potius ad perniciem
trahebatur; ea quippe res in magnum ho-
minis malum evasisset, nisi fratris pietas
fratri subvenisset; quæ liberto amandato
Luculli curam suscepit, & senem triumpha-
lem repuerascentem otio, & suis deliciis
usque ad extremum vitæ spatium pæda- L
gogi more moderata est. O ignavia, quan-
ta vis est tui torporis ad homines immu-
tandos? quando ille acerrimus urbium ex-
pugnator, regum debellator, hostium ex-
tinctor, civitatum, provinciarumque re-
ctor sapientissimus in stipitem, atque trun-
cum tuis venenis transformatus est. Non
Medusa, quæ dicitur aspectu homines in
lapides convertisse, perniciosior pestis fuit;
nam illa terribilis visu, & horrendis impli-
cata serpentibus a se spectatorum oculos M
avertebat; tu specie tranquillitatis allicis,
tu blanditiis invitas; & quos allicis, per-
dis, & quos invitas, decipis: tu volupta-
tem polliceris, & cruciatum paras: tu pa-
cem promittis, & bellum molitis: tu re-
quiem præ te fers, & invehis tumultum,
&

& tempestatem: tu felicitatem ostentas, &
A miseriam summam creas: o omnium sentina vitiorum, o animi pestis, o vitæ summa calamitas! Huic, Adolescentes, monstro (ad vos enim extrema jam spectat oratio) ne, quæso, confidatia, neve ingenium socordiæ corrumpendum dedatis. Non est illa salutaris quædam tranquillitas, quam ignavia pollicetur; est perniciosa malacia, qua dum detinemur, numquam ad felicitatis portum possumus pervenire, sed misetrimo exitio pereamus, necesse est.
B Vos quidem optimè rebus vestris consuluistis; quum duo sint artium genera, quorum altero animus, altero corpus exercetur; vos illud genus elegistis, quod in animo excolendo versatur: noluistis rem augere metcaturâ, ne divitias fluxas, & caducas Sapientiæ opibus numquam perituris anteponere videremini: noluistis rem colere militarem, nc potiùs hominibus trucidandis, quàm donandis immortali gloriâ studeretis: nolnistis alio genere laboris, quo
C corpus perficitur, esse occupati; ne corpus animo, terrestre cœlesti, æterno mortale præferretis: confugistia in sinum Musarum, ut a turbâ, a tumultu, a vitiis quàm longissimè recederetis. Veruntamen quò vestrum laudabilius est inceptum, eo magis cavendum est, ne a summâ laude excidatis, & in Sapientum reprehensionem incurratis. Nam quanto tranquilliora sunt, & otio similiora studia litterarum, tanto faciliùs earum studiosi ad inertism delabuntur; quod
D vobis, Adolescentes, magnopere fugiendum, ac summâ ope enitendum, ne vitam silentio transigatis. Non inglorius vobis proponitur labor, proponitur plenus gloriæ, plenus claritatis, plenus existimationis, & qui viventes ornet, & mortuis pariat laudem sempiternam. Si vestra studia in tenebris, & obscuritate jacuerint, omnes vos credent non amore otii litterati, sed ignaviâ id vitæ genus appetivisse, & turpissimos arbitrabuntur; quod dedecus ut fugiatis, impenden-
E dus vobis labor, animus ad laudem excitandus, abjicienda segnities. Cogitate nihil esse in rebus humania, quod non labore comparetur; labore maria peragrantur, & metces ex alio Orbe advehuntur: labore terræ fecunditas constat, & alimenta Mortalibus procreantur: labore divitiæ congeruntur: labore coluntur artes universæ: labote quæsitæ voluptates existunt suaviores: labor est felicitatis effectot, fons gloriæ, pretium omnium expetendorum:
F indostriâ vincuntur hostes, & clari duces in curru triumphsli collocantur: industriâ Respublicæ præclarè administrantur: industria est, quæ latentia deprehendit, obscura profert, occulta cognoscit, tot utilia, vel jucunda vitæ inventa demonstrat; nec ullâ aliâ re magis, quàm industriâ hominum vita belluarum vitæ antecellit; qua-
re hominibus labor appetendus, est enim G
vitæ ornamentum. Atque eo magis vobis, quòd qui in aliis rebus labor suscipitur, est ferè injucundus; qui autem in litteris jucundissimâ voluptate conditur; nam animus ipso opete pascitur, & ut ita dicam, venatione veritatis oblectatur, quæ est verum nectar animorum. Sed ut est dulcis, pulcher, gloriosus, appetendus labor; ita ignavia turpis, molesta, inquies, detestanda; quam ita demum eo, quo par est, impetu, conatuque fugietis, si id, quod verissimè dicitur, altissimè in animo defigetis, identidemque reputabitis hominem ignavum nihil a sepulto discrepare.

ORATIO XXV.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1701.

In solemni instauratione Studiorum.

In dirigendo studiorum cursu consectanda Sapientum exempla; non imperitæ multitudini obtemperandum.

MUlta sunt, amplissimi Patres,
Auditores humanissimi, quæ H
juvenes a rectâ illâ studiorum ratione deflectant; multa, quæ a litteris prorsus deterreant, & ad ignaviam convertant; sed nihil magis animos ad magna tendentes remoratur, & ab amore laudis avertit, quàm vulgi opiniones, quàm voces imperitorum; quibos quotidie uniuscujusqoe nostrûm personant aures, quibus mentes assiduè delinitæ multis ertoribus implicantur. His ubsistere,
has aspernari, & veritatem potiùs paucis I
testibus fretam, quàm mendacium multorum testimonio, & patrocinio subnixum comprobare magni animi est, magnæ constantiæ, magnæ cujusdam consummatæque sapientiæ. Nam si Ulyssem poëtæ laudibus ferunt, & sapientissimum prædicant, quod Sirenum voces, qoæ unum scopulum maris obsidebant, contempserit, & unom locum moltorum clade terribilem incolumis fuerit cum socia prætervectus; quanto magis laudandus est ille, & Sapiens judicandus, qui vulgi sermonibus autes non patesc-

teseceritꝰ qui stultorum, quibus assuesci-
A mus, quibus innutrimur, dicta repudiarit,
quæ non uno in loco, sed ubique, semper-
que nos circumsonant; præsertim quum
inertiæ delinimenta, quum illecebræ vo-
luptatum Sirenum cantu suaviores non
desint, quæ populi opinionibus lenocinan-
tur, suadentque nobis, ut viam, quam ple-
rique omnes ineunt, pronam, facilem, a-
mœnam, deliciis affluentem insistamus; il-
lam alteram paucorum tritam vestigiis, ar-
duam, asperam, confragosam, dumis ob-
B sæptam relinquamus. Quare vereor, Audi-
tores, ne duram nimis dicendi provinciam
videar suscepisse, quum mihi propolui A-
dolescentes, qui me audiunt, adhortandos
ad eam rationem studiorum consectandam,
quam paucorum, eorumdemque Sapientum
præceptis, exemplisque vident comproba-
tam; non ad eam, quam imperita multi-
tudo, & similis imperitæ multitudini me-
dioeriter eruditorum hominum turba com-
mendavit. Nam quo pacto tam brevi tem-
C poris intervallo, tam tenui, qua utor, fa-
cultate dicendi, ingenio tam infirmo labe-
factare sententiam me posse confidam, quam
pæne omnium consensus corroboravit;
quæ si non valet auctoritate testium, non
valet ratione; valet numero, valet exem-
plorum copiâ, valet insiti plerisque libidi-
ne non optimum quemque, sed multitu-
dinem consequendi? qua ratione sperem
ita orationem meam in animis defigere, ut
numquam evellatur, nunquam suadentium
D diversa vocibus obruatur, nunquam lon-
ginquitate temporis excidat, nunquam de-
leatur; quum sint numquam defuturi, qui
ea, quæ hodierno die dixero, tamquam a-
niles fabulas irrideant, vellicant, carpant;
qui hanc viam, quam demonstraro, deser-
tam ostendant, illam alteram omni studio-
sorum frequentiâ celebrari? Sum ne ego
tantus ingenio, tantus eloquentiâ, ut ob-
viam ire possim contra nitenti multitudi-
ni, & mecum impellere animos Auditorum
E mihi potius, quam pæne omnium sermo-
nibus credituros? Enimvero temerarium
meum inceptum faterer, nisi mihi vestra,
Patres amplissimi, lux affulgeret, vestra,
Juvenes ornatissimi, indoles aspiraret; quo-
rum alteri exemplo ad id orationis genus
me invitastis; alteri propter ingenium non
vulgare dicturo spem præbuistis orationem
non vulgaria spectare jubentis vestris inge-
niis, vestrisque studiis fore accommodatam,
nec difficilem persuadendi rationem. Non
F enim omnes iisdem rebus commoventur,
& alia apud alios habenda est oratio; ita
Spartanos propositâ spe victoriæ, & specie
honestatis, Romanos gloriæ, amplitudinis,
& imperii, Ætolos prædæ, & rapinarum,
Sybaritas voluptatis, & deliciarum ad quid-
libet audendum perpulisses. Vos quoque,
Adolescentes, quorum plerosque altâ in-
dole præditos video, ingenio egregio ad G
profanum vulgus contemnendum, exem-
pla magnorum virorum, atque clarorum
intuenda, reconditam studiorum viam in-
grediendam non eloquentiæ meæ vi, quæ
nulla est, sed animi propensione, sed bo-
nitate naturæ facilè excitari posse confido.
Non abhorrebit igitur a vobis oratio, qua
sum hodierno die ostensurus, non ita in-
stituenda studia, quemadmodum vulgo pla-
cet in quo non ratio, non discrimen est;
sed quemadmodum doctissimos viros, & H
omnium sæculorum ingenio, sapientiâ, glo-
riâ principes instituisse accepimus; eoque
studiorum cursum dirigendum, quò præ-
cepta Sapientum vocant, non quò multitu-
do hominum imperitorum, aut similium
imperitis putat dirigendum.

Et sanè quis non videt paucorum judi-
cium multorum opinionibus ubique sa-
pienter anteponi; immo in rebus maxi-
mis, & gravissimis quibus multorum salus
continetur, unius hominis nutum specta- I
re, unius sententiam sequi, unius consilio
regi? Quis enim in navi vel tranquillo,
vel horrente fluctibus mari vectores, vel
nauticam turbam putat audiendam? unius
gubernatoris imperio omnes obsequuntur,
unum intuentur, uni parent, unius scien-
tiam præstare multorum sententiis arbitran-
tur: quis in affectâ valetudine consulit
vulgus? nemo est, qui non aliorum consiliis
repudiatis unius aut paucorum medendi
arte præcellentium præceptis obtemperet; K
paucis auctoribus perpetimur sitim, mediâ
corpus maceramus, torquemur, urimur, se-
camur, ab omni voluptate, licèt multis
jucundiora suadentibus, abstinemus: quis
in bello, quid sentiant milites, putat in-
quirendum? unius imperatoris consilio res
omnes administrantur; sive ille prædatum
mittat, prædæ sunt agendæ; sive concla-
mari vasa jubeat, movenda sunt castra;
sive dimicandum putet, in aciem exeun-
dum, sive castris militem continendum, in- L
tra vallum permanendum; sive trahi cun-
ctatione bellum velit, prœlio est abstinen-
dum; pessimoque exemplo, quod multis
sæpe cladibus expiatum est, non exercitus
imperatoris, sed imperator exercitus se-
quitur voluntatem. Ita Pompejus quum
signis collatis non dimicare, sed Cæsaris
copias fame, qua jam laborabant, urgere,
& sedendo bellum conficere statuisset, quo
consilio, haud dubiè hostes funditus dele-
visset, consensu Procerum, qui tam lon-
gam militiam gravabantur, impetu militum M
pugnam poscentium victus eduxit in aciem
copias, & Thessaliæ campos nobilitavit
clade Pharsalicâ. Sed quid majora perse-
quor? etiam in parvis multorum senten-
tia unius, aut paucorum consilio prævon-
derá-

derstur. Non in palæstrâ suo arbitratu e-
A xercentur; sed unius gymnasii principia
nutu reguntur palæstritæ: non in choro
quid sentiat multitudo, spectatur; sed om-
nia unius, qui chori magister est, scientia
moderatur: non in scholâ turba discen-
tium præceptorem, sed turbam præceptor
instituit, & regit; & si quid geometricum
est addiscendum, non populus, sed geo-
metræ; & si quid grammaticum, Gramma-
tici; & si quid dialecticum, Dialectici; &
si quid physicum, aut quod ad mores per-
B tineat, philosophi; & si quid musicum,
Musici consuluntur. Nec quo tempore sit
opportunum mandare terræ semina, agros
incendere, aut stercorare, vites, aut arbo-
res ponere, quid quæque regio ferat, &
quid recuset, multitudo meliùs, quàm pe-
ritus agricola præceperit: nec quo modo
ædificanda domus, templum extruendum,
condendum oppidum, vulgus potiùs, quàm
architectus docuerit: nec qua ratione ci-
vium mores oporteat temperare, quæ inji-
C cienda populari licentiæ frena, quibus præ-
miis virtus excitanda, quibus vitia suppli-
ciis excindenda, certiùs omnes alii, quàm
legumlator ostenderit: in omnibus deni-
que multorum judicia repudiantur, pauco-
rum Sapientum, aut unius comprobantur;
nec tam quàm multi sint, qui præcipiunt,
quàm quantâ scientiâ præditi, solemus at-
tendere. Quod si etiam in rebus non ad-
modum reconditis, de quibus aliquid vul-
gus potest judicare, tamen paucorum, non
D vulgi judicio stamus; quid in iis artibus,
quæ reconditis ferè, atque abditis e fonti-
bus hauriuntur, quid in ratione studiorum
moderandâ faciendum est? An putatis in
sapientiâ ipsâ comparandâ Sapientum ju-
dicio imperitæ multitudinis opiniones an-
teponendas? quid soli vos ignoratis vulgus
esse belluam multorum capitum sine men-
te, sine ratione, cæcam, & veritatis lumen
aversantem, se regere nescientem, & regi-
men prudentium respuentem; quæ impetu
E temerario fertur, & levibus momentis huc
illuc impellitur, numquam stabilis, num-
quam certa, semper avida rumorum, sem-
per præceps, semper inconsulta? Huic
monstro credetis? hoc duce quidquam e-
gregium, quidquam laudabile vos conse-
quuturos esse sperabitis? An nescitis gra-
vissimos, & sapientissimos viros, si quid a
vulgo probaretur, id non carere culpâ su-
spicatos fuisse? Antisthenes philosopho-
rum severissimus, quum quidam ex ami-
F cis affirmaret, ipsum in ore omnium es-
se, ab omnibus laudari; numquid, respon-
dit, turpe perpetravi? Phocion ille, quo
nemo eâ ætate melior, nemo prudentior in
Atheniensium Republicâ fuit, quum sen-
tentiam in concione dixisset, & multitu-
dinem oratione commotam videret, & ne-
minem esse ex tanto populo, qui dicta non
comprobaret, concione dimissâ conversus G
ad amicos: numquid, inquit, mihi pravum
excidit inscienti. Vix putabat Vir sapiens,
& altâ quadam mente præditus posse quid-
quam esse rectum, quod a vulgo probaretur.
Idem, quum oraculum monuisset, esse vi-
rum in civitate, qui omnium sententiis
adversaretur, cui, quæ sciret populus, om-
nia, & quæ publicè gererentur, displice-
rent, clamantibus cunctis, & hominem in-
quiri jubentibus, processit in publicum,
seque eum esse professus est, qui quæcum- H
que populus ageret, aut loqueretur, im-
probaret. Adeo ille præseferebat, & ma-
gnificè gloriabatur, sua consilia ab opinio-
ne multorum dissidere; quibus consiliis,
quantum in illâ conversione rerum, & ini-
quitate temporum fieri potuit, Respublica
sustentata est. Pudet post Phocionem quem-
quam inscientiæ multorum testem adhibe-
re; nam cujus auctoritas major, aut gra-
vior, quàm illius, qui propter integerri-
mos mores, gravitatemque vitæ vel iniquo- I
rum judicio boni cognomen est consequu-
tus? Nihilo tamen secius non abs re fue-
rit exemplum afferre, quo quantum po-
pulus aberret a veritate in iis quoque,
quæ ad populi judicium videntur per-
tinere, declaratur. Hippomachus insi-
gnis palæstræ magister, quum athleta co-
ram populo exerceretur, & ejus artem
multitudo ingenti plausu comprobasset;
hominem virgâ percussit, et si, inquit, ex
arte certasses, non tantum vulgi plausum K
excitasses. Eadem sententia fuit Hippo-
machi tibicinis, qui discipulum virgâ ca-
stigavit; quòd quum tibiâ cecinisset, cir-
cumfusa populi corona canentem mirifi-
cis laudibus extulisset. Existimarunt ni-
mirum homines haudquaquam hebetes ma-
gnos artifices non plausu multitudinis du-
ci; sed approbatione paucorum, qui ex
artificio judicent, contentos esse oporte-
re. Quod enim in vulgo judicium est,
quæ veri perspicientia, quæ certa senten- L
tia est? unus mehercule, unus, cui cor
sapiat, plus interdum videt, quàm multi-
tudo hominum non dico imperitorum,
sed eorum, qui non omnino sunt rerum
scientiâ destituti. Vidit unus ex omni A-
theniensium multitudine Themistocles in-
gruente Persici belli tempestate, & Asiâ u-
niversâ cum magnis minis in Europam se
se effundente, urbem relinquendam, con-
scendendas naves, maritimo prœlio de-
cernendum; & quod vidit unus Themi- M
stocles Atheniensibus attulit salutem, Græ-
ciæ libertatem, Themistocli gloriam sem-
piternam: vidit unus in angustiis maris,
quod Eubœam, & Atticam interfluit, cum
Barbaris confligendum, nec ad sua tuenda
discedere, & classem dissipare Græcos o-
pot-

portere; & quod vidit unus Themistocles, A multis repugnantibus, & ratio, & eventus comprobavit: vidit unus Alcibiades, quum in exilium ab ingratis civibus pulsus ad Spartanos sese contulisset, Lacedæmoniis Deceliam esse muniendam; & unius Alcibiadis consilium Athenienses in eas angustias redegit, ut ad eam diem victores de suis rebus pæne desperarent: vidit unus e Samnitibus Herennius Pontius, quum Romanus exercitus Caudinis saltibus interclusus teneretur, Romanos omnes extem- B plo esse incolumes sine ignominiâ dimittendos, vel omnes trucidandos; irrisere ceteri consilium Senis, & delirum putaverunt; sed negotio, & clade Samnitium compertum est Herennium Pontium vidisse plurimum; ceteros, inprimisque Ducem delirasse: vidit unus Fabius Maximus urente Pœno Italiam bello, prœlio esse abstinendum; ut Romani tot cladibus fessi respirarent, & Hannibalis exercitus pastus Italiæ cladibus omnium rerum ino- C piâ premeretur; itaque contentus Hannibalem ab effusâ populatione prohibere, contentus tegere oppida Sociorum instituit Pœnos modò insequi, modò antecedere, modò in summis jugis montium apparere, numquam æquo se campo committere, modò in tuto positus extremum hostium agmen carpere, modò palantes opprimere, modò angustias ingressos urgere, omnique bellandi arte hostes eludere; plerique omnes Fabium contem- D nebant, mordebant, cavillabantur Hannibalis Pædagogum appellantes; sed experientia docuit unum Fabium invenisse rationem Pœnos debellandi; ceteros omnes, qui Fabium carpebant, esse in magno errore versatos; nisi enim importuna pugnandi libido, & mutatus imperator occasionem rei gerendæ Pœnis præbuisset, Hannibal Italiæ possessione excidisset; nec illi Ticinus, Trebia, Thrasymenus Romanorum sanguine redundantes, profuissent; E sed fatum fuit, ut Cannensis clades alias, quas Romanis intulerat Hannibal, magnitudine suâ obscuraret, & post Fabium imperatorem Italia quatuordecim ferè annis Afrorum bello pessumdaretur. Dies me deficiet exempla congerentem, quibus declaratur in iis etiam rebus, quæ non prorsus intelligentiam multitudinis fugiunt, vulgi judicium contemnendum, paucorum comprobandum, & unum hominem omnes alios prudentiâ sæpenumero præstitisse. Atqui F si quid est in rebus humanis, quod non populari trutinâ, sed artificis staterâ sit expendendum, & paucorum consilio, non vulgi temeritate moderandum; id est maximè studium Sapientiæ, & omnium liberalium disciplinarum; quid enim populo cum Sapientiâ, quid cum liberalissimis disciplinis? in altero nihil est, nisi temerarium; in alteris nihil sine summâ ratione; G in altero levitas; in alteris gravitas, & constantia: alter sequitur, quod est maximè pervulgatum; alteræ quod maximè est ab opinione populari, intelligentiaque disjunctum. Ideo fabulis proditum Musas non in populi cœtu, frequentiisque versari; sed in altissimis rupibus, in semotis recessibus, atque in speluncis, & silvis habitare longissimè a contagione vulgi separatas. Nec defuerunt, qui in Cœlo studiorum præsides Deas collocarent, & cœlestes Orbes H dicerent suavitate vocis moderari; quasi tantum a vulgo litterati debeant dissidere, quanto Cœlum a terrâ distat intervallo; & poëtæ sese profanum vulgus odisse profitentur; nec aliis, nisi studiosis Pythagoras præcepit populares vias esse fugiendas; nam si populum sequamur auctorem, nullam sapientis viri similitudinem assequemur. Polycletum ferunt statuarium cumprimis nobilem duo signa fecisse; alterum ex artis præceptis, alterum secundùm judicium I populi elaboratum; nam omnibus visere cupientibus ostendebat, & quod quisque mutandum, addendum, detrahendum censuisset, mutabat, addebat, detrahebat; quum utrumque absolvisset, alterum ipsius populi judicio ita probatum est, ut non humano, sed divino artificio perfectum crederetur; alterum ita rude, ita pravum, absurdumque omnibus visum est, ut spectatum admissi risum tenere non possent. Tum Artifex; atqui, inquit, quod laudibus K in cœlum fertis, quod admiramini, ego, quod contemnitis, & irrideris, ipsi fecistis. Quod Polycleti statuis accidit, idem accidet nobis, Auditores, qui volumus animum nobilissimis disciplinis conformare, & ad illud exemplar Sapientiæ divinum, & immortale quàm proximè accedere; si præcepta Sapientum audiemus, si ratione studia nostra moderabimur, non contemnendam Sapientiæ formam exprimemus; sin autem multorum judicia spectabimus, L & vulgo placere concupiscemus, nullam Sapientiæ speciem referemus, & ipsi vulgo, cujus præceptis usi fuerimus, ridiculi, & contemnendi videbimur. Cogitate, quàm variæ sint populi opiniones, quàm absurdæ, quàm leves, quàm inter se discrepantes; his credere, his regi, & studiorum suorum curriculum gubernare nihil aliud est, quàm Olympiæ stadium ingredi certaturum curru, qui ferocientibus equis, & jugum detrectantibus, excusso rectore temere M feratur; aut discordibus ventis agitato mari, & huc, illuc volvente fluctus navim sine gubernatore, sine gubernaculo committere. Neque enim minor in populo temeritas, quàm in curru, qui aurigam amiserit, aut in navi, quæ turbato mari fluctuet,

ctuet gubernatore, & necessariis armamentis A destituta. Nam alii vos illuc impellent, quò vocant cupiditates, & animum jubebunt non aliquando remittere, sed deliciis prorsus resolvere, studia verò leviter, & aliud agentes delibare: alii lucrum spectare dumtaxat, tamquam sellularios opifices, aut non magni nominis mercatores: alii laborem aspernari, ingenii bonitati confidere: alii mediocritate contentos esse, quæ quàm in morum disciplinâ, & in animi motibus temperandis probatur, tam B in scientiâ rerum, quæ quo major est, eo melior habetur, laudari non solet: alii tristitiam vitæ, & animum numquam vacuum, numquam curas remittentem, semper intentum, demissum, mæstum probabunt. Quàm multos reperietis, qui vos videri doctos, quàm esse malint; quàm multos, qui relictis fontibus disciplinarum rivulos jubeant consectari; quàm multos, qui ab optimorum Auctorum lectione deterreant, & corruptissimum quemquo vobis proponant C ad imitandum; quàm multos, qui non satis doctrinis perpolitos, & prorsus rudes ad agendas causas compellant, & de scientiâ rerum sollicitos esse nolint; sed tantummodo volobilitatem linguæ, profluentiamque verborum velint incitare; quàm multos, qui non summos viros; sed rabulas, sed circumforaneos medicos censeant imitandos, inanes rerom, stoltitiâ plenos, omni barbarie inquinatos? Horum voces aspernari, horum inscitiam irridere D non ego jubeo, sed jubet ratio, jubet Sapientia, jubet indoles vestra, Adolescentes; quæ nec humilia spectare, nec levissimi cujusque sermones in aures demittere, nec mediocritate laudis, & scientiæ contenta esse debet. Proponite vobis animo, non quid vulgus, quem pessimum veritatis interpretem Seneca jure appellat, existimet, sed quid doctissimus quisque judicet; nec modò quid doctissimus quisque eorum quos audire potestis, judicet; sed quid doctissimi E eorum, qui sæculis elapsis floruerunt, judicarint; nec solùm quid doctissimi Veterum judicarint, sed quid mens, & ratio judicet. Excutite intelligentiam, & explicate involutam animo Sapientiæ notionem; majus illa quiddam, & augustius vobis apparebit, quàm ut a vulgo species ejus perspici possit, aut quo pacto ad eam perveniamus, ostendi. Non sunt arcana Sapientiæ nota vulgo: citiùs mehercule aliquis e turbâ profanorum mysticas cæremonias F cognoverit, quàm sacra Sapientiæ vulgus indoctum, aut mediocriter eruditum. Circumfunditur illa immensâ luce, cujus magnitudine oculi minùs perspicaces obruuntur, nec sustinent tantam claritatem; in qua si parumper mentis aciem intenderis, irridebitis impudentiam eorum, qui sapientiæ prorsus expertes, aut litteris tincti leviter sese vobis ad eam contendentibus G duces futuros, & quam numquam noverunt, viam ostensuros esse profitentur; & alios vobis auctores quærendos esse censebitis. Hi verò vobis numquam deerunt, si ad illum doctissimorum hominum chorum, quos præteritæ ætates extulerunt, animum convertetis. Pleriqve morum præceptores, quum quid, quod animadversione, curaque non vulgari sit dignum, est agendum, quid egisset in eâ re Plato, quid Socrates, quid Epaminondas, quid Aristides, H quid Cato, jubent cogitare; ego verò vos non jubeo divinare, quid facturi fuissent; sed animadvertere, quid fecerint illi Sapientiæ proceres, illa lumina litterarum. Veniat vobis in mentem magni illius Hippocratis, veniat eruditissimi, atque eloquentissimi Galeni, veniat ceterorum, qui medicinam scriptis pulcherrimis, & immortalibus illustrarunt, si ad medendi artem animum appulistis; sin autem jurisprudentiæ studium suscepistis, cum veteres illos I jurisconsultos, quorum prudentiâ jus civile constitutum est, tum doctissimos viros, qui responsa eorum luculentissimè explicarunt, in oculis habetote. Si verò vobis in animo est rerum naturam contemplari, aut divinitatis investigatio, aut cognitio vetustatis, aut eloquentiæ studia placuerunt; illos clarissimos auctores intelligendi, & Sapientiæ principes Pythagoras, Democritos, Platones, Aristoteles, Theophrastos; illos augustissimos, & sanctissimos K divinitatis interpretes Gregorios, Chrysostomos, Augustinos, Ambrosios, Hieronymos; illos apices prudentiæ civilis, illos uberrimos eloquentiæ fontes, illos omnium elegantiarum Patres Homeros, Herodotos, Thucydides, Isocrates, Demosthenes, Cicerones, Salustios, Virgilios, Livios cogitate. Quàm latè patuit eorum scientia, quantum fuit acumen disserendi, quanta vis eloquendi, quanta ubertas orationis, quanta rerum copia? Num Hippocratem L creditis aliquid ignorasse, quod eâ posset tempestate cognosci, & ad rem medicam pertineret? ille verò etiam alias artes, quibus ornari, augeri hanc salutarem facultatem posse censebat, ad excellentissimam medendi scientiam adjunxit, & in Rhetoricis usus est Gorgia Leontino, in philosophiâ Democrito præceptore; idcirco & tantâ rerum copiâ exuberat, & orationis elegantiâ floret. Nam quid de Galeno dicam, qui non contentus medicinam M doctissimis commentariis illustrare, Dialecticam, geometriam, Grammaticam, philosophiam luculentissimis libris editis explicavit; jam verò tantus in eloquentiâ est, ut ejus ubertatem, latitudinemque orationis, & perspicuitatem, & ornatum, & vim disse-

differendi, qui non admiretur, nihil pror-
A fus intelligat. Quid de antiquis jurifcon-
fultis? num putatis illotis, ut ajunt, ma-
nibus jurifprudentiam attigiffe? erratis; il-
li grammaticen, illi dialecticen, illi reli-
quas philofophiæ partes, Stoicos in primis
auctores fequuti, illi rationem civitatum
regendarum, illi cognitionem vetuftatis, &
rerum Romanarum ad ftudium juris adfci-
verunt. Quid de illis eruditiffimis juris in-
terpretibus, qui paucis ab hinc ætatibus
floruerunt; quorum tanta fuit eruditio, tan-
B ta interpretandi folertia, tam preffum, tam
fubtile, tam elegans dicendi genus, ut ad
veterum Jurifconfultorum gloriam proxi-
mè accederent? Jam philofophos antiquos
quis jure non admiretur? quod enim do-
ctrinæ genus non penitus cognoverunt,
quam rerum naturæ partem indictam reli-
querunt? Num quia funt in Phyficis tam
accuratè, diligenterque verfati, ut ad mi-
nima quæque defcenderent, & omnium a-
nimalium, lapidum, plantarumque naturas,
C hiftoriam, caufafque enarrarent, dialecti-
ca neglexerunt? num quia in Dialectico-
rum laqueis enodandis, & in reperiendis
argumentorum fontibus elaborarunt, mo-
rum difciplinam, rationem adminiftrandæ
Reipublicæ, reique privatæ non attige-
runt? an quia hæc omnia funt diligen-
tiffimè perfequuti, aftrorum motus, geo-
metriam, muficen ignorarunt, quas artes
philofophiæ anfas appellabant? an quia re-
rum omnium fcientiam funt mente com-
D plexi, fermonis elegantiam, eloquentiæ
copiam, antiquitatis memoriam, poëticæ
ftudium funt afpernati? qui & dicendo
tantùm valuerunt, ut alii ab orationis di-
vinitate nomen invenerint, alii Mufarum
ore loqui, alii oratione, quæ Jovem de-
ceret, uti dicerentur; alii veteres dicen-
di magiftros relictâ fcholâ admiratione e-
loquentiæ fuos effe auditores coëgerint;
& omnem antiquitatem cognoverunt, ref-
que geftas litteris mandarunt, & poëticæ
E leges condiderunt. Jam fanctiffimos divi-
nitatis Interpretes nulla pro dignitate e-
xornare poffit oratio; non illi, quod qui-
dam faciunt, rerum divinarum fplendo-
rem, quas profitebantur, horridâ, rudi,
incomptâ oratione, & barbarie verborum
obfcurarunt, inquinarunt, & quafi qua-
dam teterrimâ caligine involverunt; nec
ad illam difciplinam, quæ fapientiæ eft a-
pex, non per aliarum difciplinarum gradus
afcenderunt; nec illa fanctiffima myfteria
F non initiati litterarum facris afpexerunt;
fed oratione ufi funt, quæ altitudinem re-
rum, & majeftatem non dedeceret; in
plerifque verò ea fuit eloquentiæ copia,
tantum verborum flumen, tantus orna-
tus, ut de rebus divinis divinitus loquuti
videantur; in difciplinis verò, quibus om-

nia humanitas continetur, tantùm profe-
cerunt, ut nemo queri poffit hanc difci- G
plinarum quafi reginam reliquarum facul-
tatum comitatu effe deftitutam. Jam in e-
loquentiffimis viris, qui vel caufas ora-
runt, vel res geftas condiderunt, vel ma-
fas amœniores fequuti poëticæ ftudio flo-
ruerunt, quanta cognitio fuit rerum maxi-
marum? vix quemquam e doctiffimis phi-
lofophis magnitudine fcientiæ illis antepo-
nas; idcirco non inani verborum fonitu
delectantur, nec tantummodo funt in elo-
quentiæ flofculis colligendis occupati; fed H
eorum mirabiliter affurgit oratio, & fcien-
tia rerum cum eloquutionis nitore certat,
& copia verborum, & venuftas, & ornatus
gravitate fententiarum, & pondere fupe-
ratur. Hos vobis proponatis oportet ad i-
mitandum, quos nemo Sapiens non imi-
tandos effe fateatur; hos duces habeatis,
& non vulgus, aut eos, qui non multum
difcrepant a vulgo, quum a vulgi judicio
pendeant, & inflentur inani opinione fa-
pientiæ. Zeno Cyttieus, quum oraculum I
confuluiffet, quo pacto vitam poffet opti-
mè traducere, refponfum accepit; vitam
optimè traducturum, fi cum mortuis ver-
faretur, cum mortuis iniret focietatem;
mortuos appellabat oraculum libros, & in
eorum lectione philofophum jubebat o-
tium confumere. Idem vobis confilium ca-
piendum; mortuis iis, qui præftantiffimâ
gloriâ floruerunt, adhærere cenfeo vos o-
portere; quod non eò folùm fpectat, ut
eorum monumenta affiduâ lectione conte- K
ratis; fed ut eorum inftituta, & doctrinæ
magnitudinem æmulari contendatis. Quod
fi cui, quominus in omnes partes, latiffi-
mèque fufam Veterum fapientiam, & om-
nium ferè difciplinarum complexum imi-
tetur,

Frigidus obftiterit circum præcordia fanguis,

At licebit ex illâ copiâ, quantum cuique
videbitur, circumcidere, & amputare;
dum ad præclariffimas difciplinas prorfus L
non rudis, non barbarus, non indoctus
accedat, & facra litterarum illotis manibus
audeat attrectare: at licebit Veterum in-
ftituta æmulari, licebit eorum exempla fem-
per intueri, legemque, quam fervare per-
petuò debeat, vitam arbitrari. Non illi
fapientiæ lucrum anteponebant; fed puta-
bant, fi quàm plurimum fcientiæ effent
confequuti, & honeftas divitias, & famam,
& gloriam, & omnia, quæ prima Mortales
putant, fequutura; itaque ad illam excel- M
lentiffimam doctrinæ laudem animum fem-
per intentum, tamquam arcum habebant;
nec fi aliquantum in ftudiis profeciffent,
magnificè fe circumfpiciebant, & inani fa-
ftu efferebantur; nec ftudiorum fucceffu
ad remittenda, fed ad intendenda ftudia
mo-

movebantur; nec longam ingredi viam A detrectabant, ut Sapientum colloquiis fruerentur præceptis erudirentur, exemplo meliores evaderent. Quapropter nonnullos ad Indos, & Æthiopas usque, quò fierent eorum sapientiâ doctiores, contendisse accepimus; nec levitate mentis adducti se facilè præceptoribus anteponebant; sed ætatem in his audiendis conterebant, eorum lateri adhærebant, eos parentum loco observabant, colebant, mirabantur; nec intererant solùm publicis eo- B rum sermonibus, sed & in privatis colloquiis si quid memoriâ dignum excideret, adnotabant, excerpebant; & quum jam tantum in studiis processerant, ut alios docere possent, si quem excellenti scientiâ virum cognoverant, ejus auditores, quàm aliorum præceptores esse malebant. Ita Plato quum admiratione suæ doctrinæ Græciam implevisset, ad Italicos philosophos, Ægyptiosque Sacerdotes audiendos navigavit: ita Clitomachus, quum Carthagine, ubi natus C erat, scholæ præfuisset, Carneadi philosopho summo, atque eloquentissimo se se in disciplinam tradidit; nec erubuit quadraginta natus annos inter studiosos philosophiæ adolescentes sedere; & qui in Patriâ familiam duxerat, Athenis sectator alterius esse: ita Cicero quum Romæ regnum fori posset obtinere, se se Rhodiensibus dicendi magistris reformandum, ac velut recoquendum dedit. Quæ summorum virorum instituta, tamquam certissimas discen- D di leges observantibus vobis ad non mediocrem sapientiæ laudem aspirare, & multitudini, cujus opiniones fueritis aspernati, esse admirationi licebit; alia via non datur ad aliquam scientiæ, virtutisque præstantiam pervenire. Nam quemadmodum navigantes non ad ea signa, quæ latiùs vagantur, sed ad illam parvulam Cynosuram,

Quæ cursu interiore brevi convertitur orbe,

E vel potiùs ad immotum Mundi cardinem dirigunt cursum; ita cupidis litterarum, non ad errantes multorum opiniones, sed ad constantem paucorum sententiam, sapientiamque cursus est dirigendus; pauci sunt habendi auctores doctrinæ. Nam in vulgo quid non vulgare, quid non contritum, atque plebejum? Hoc igitur duce uti vultis, a quo nihil excellens, nihil egregium vobis commonstretur? Quid proderit vobis indoles, quid ingenium eximium, F & singulare, si nihil, nisi vulgare, concupiscetis? Erigite igitur mentem ad altiora, excellentem laudem cogitate, & Sapientiam Sapientum consilio consectamini; nec magis idoneum ad Sapientiam ducem populum, qui eam nec novit, nec quæsivit, quàm tot doctissimos viros, qui summo studio quæsiverunt, & inventam numquam dimiserunt, putatote.

ORATIO XXVI.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1702.

In solemni instauratione Studiorum.



Publica Gymnasia maximos alunt profectus in litteris.

MAximè vellem, Patres amplissimi, Auditores ornatissimi, ut G mihi liceret semper hoc tam celebri, tam læto die, quo nostros litterarios labores instauramus, in celebrandis potiùs laudibus litterarum, quàm in pravis nonnullorum opinionibus confutandis operam, & studium meum collocare. Nam & Sapientiæ splendurem, qui lucet in tenebris, aliquid orationi meæ lucis allaturum esse confiderem; & non dubitarem, quin hujus diei celebritati magis laudatio pulcherrimarum H artium, quàm ulla contentio, & opinionum dissensio conveniret. Sed quoniam gliscit quotidie, & invalescit opinionum perversitas, quibus tanquam nocentibus herbis fruges obruuntur; ita in animis juvenum omnis virtutis ubertas extinguitur, omnis doctrinæ seges suffocatur; evellendæ sunt inscitiæ stirpes, eruendæ stultitiæ radices, ignaviæ semina extinguenda, omnique ratione pugnandum, ne mentes adolescentium, qui ad ingenii cultum capien- I dum in hos amœnissimos hortos Musarum convenerunt, amissâ virtutis indole sterilescant; ne malis erroribus implicentur, ne opinionum pravitate obsolescant; sed ad Sapientiæ fatus accipiendos præparentur. Inter omnes autem opiniones, quibus juvenes ab hoc curriculo laudis, & doctrinæ deflectuntur, haud scio, an ulla sit perniciosior eâ, quæ nuper increbuit; quæ nisi evellitur ex animis, frustra fuerit Majorum consilium, qui hæc gymnasia studiosorum industriæ patere voluerunt: in- K cassum ceciderit omnis labor, quem, Patres amplissimi, in erudiendâ juventute suscepistis. Disputant homines imperiti in publicis gymnasiis tempus nequidquam teri; scientiam juris non esse e purissimis Jurisprudentiæ fontibus hauriendam; nec in explicandis veterum Iureconsultorum responsis, Prætorum edictis, Cæsarum placitis

tis elaborandum; ſed adhærendum alicu-
A jus celebris cauſidici lateri, ejus domum fre-
quentandam, uſum forenſem ſtatim diſcen-
dum; infinita illa concertationumque, &
opinionum inter ſe diſcrepantium plena
pragmaticorum volumina pervolutanda,
premendum forum, in Curiâ prope habi-
tandum; ac ne medendi quidem artem ex
clariſſimorum Auctorum libris ediſcendam;
nec philoſophiam, nec ceteras diſciplinas,
quæ ſaluberrimæ facultati quaſi facem præ-
ferunt, aſſumendas; ſed his artibus ne a
B primo quidem limine ſalutatis, aliquem ex
iis, qui medicinam faciunt, conſectandum,
& miſerorum periculo artem, quæ ſe mor-
tis pericula depellere profitetur, cognoſcen-
dam; publica verò gymnaſia, quia lex co-
git, non quia proſint, celebranda. His vo-
cibus adoleſcentes a labore deterrentur,
ab induſtriâ daducuntur, a rectâ diſcendi
viâ coguntur aberrare; & quia inanem pu-
tant omnem operam, quam in præclara-
rum artium doctoribus audiendis conſum-
C pſerint, ſupervacaneum exiſtimant in hoc
erudito pulvere deſudare, ſupervacaneum
veſtris, Patres, diſputationibus intereſſe,
ſupervacaneum, quæ a vobis didicerunt,
memoriâ recolere, & in evolvendis Vete-
rum monimentis elaborare. Ita ingenia re-
langueſcunt, intenduntur cupiditates, &
in hac urbe plerique verſantur, tanquam
non ad percipiendas diſciplinas, ſed ad ex-
plendas venerint voluptates; non ad ani-
mum bonis artibus excolendum, ſed igna-
D viâ, ludo, omni denique ratione relaxan-
dum, & corrumpendum. Quod quis, qui
litteras amet, qui mores adoleſcentum quàm
optimè formari velit, æquo animo ferat?
Cum hac igitur opinione confligendum
nobis, & quaſi pro aris, & focis dimican-
dum: conſtituenda majeſtas Gymnaſiorum,
quæ ad imbuendam bonis artibus non u-
nius urbis, ſed pæne Orbis juventutem
Majores inſtituerunt; quod aptiſſimè co-
nari poſſe videor, ſi vobis hodierno die
E oſtendero, quantum in his gymnaſiis inge-
nia acuantur, & excitentur ad laudem, &
quantæ fruges, & quanta ſapientiæ ubertas
iis, qui seriò volunt in ſtudiis artium ma-
ximarum, & rerum cognitione verſari, ſo-
leant provenire. Quod argumenti genus
& veſtræ, Patres ampliſſimi, dignitati, &
veſtræ, Juvenes ornatiſſimi, utilitati, &
ſtudiis erit accommodatum; nam alteri,
dum gymnaſiorum, in quibus, & ingenii,
& doctrinæ laude fulgetis, utilitas, & ſplen-
F dor oſtenditur, quanta ſit veſtra dignitas,
& quantum veſtri labores proſint, recogno-
ſcetis; alteri, dum, quàm præclara detur oc-
caſio proficiendi, proponitur vobis, ad ca-
peſſendam rei litterariæ curâ incendemini;
& ſi quam huc attuliſtis pernicioſam ſtudiis
veſtris opinionem, forſitan deponetis.

Quo igitur pacto poſſim vobis, Adole-
ſcentes, demonſtrare, non ſtultum fuiſſe G
parentum veſtrorum conſilium; qui non
contenti progreſſu, quem in Patriâ feci-
ſtis, vos in hanc urbem Muſarum altri-
cem, præclararum facultatum parentem,
Sapientiæ Regiam, ingeniorum theatrum
cum rei familiaris diſpendio miſerunt, ut
doctrinæ compendia quæreretis? Equidem
nullum huja rei majus argumentum poſ-
ſum invenire, quàm conſenſum omnium
ſæculorum; nam ſi tantum unius viri gra-
vis, & ſapienris auctoritati tribuimus, ut H
ejus conſilio res maximas adminiſtremus,
quibus & noſtra, & multorum ſalus con-
tinetur, quantum judicio unjus ætatis tri-
buemus, qua innumeri ſapientes viri flo-
ruerunt; & ſi judicium unius ætatis ipſius
vocem veritatis arbitramur, immenſum eſt
id, quod omnium ſæculorum judicio tri-
buendum eſt. Enimvero teſtimoomum om-
nium ſæculorum ipſius judicium naturæ,
ipſius veritatis oraculum, ipſius Numinis
vocem putare debemus. Quid autem con- I
ſenſus omnium ſæculorum magis confir-
mavit, quam hos doctorum hominum cœ-
tus, hæc emporia nobiliſſimarum faculta-
tum auctoritate Principum, vel liberarum
civitatum conſtituta; ad quæ ex omnibus
terris adoleſcentes litterarum ſtudioſi di-
ſciplinæ causâ confluunt, conferre pluri-
mum ad excellentiſſimam ſapientiæ laudem
comparandam, eſſe ornamenta Reipubli-
cæ, eſſe lucem Orbis terrarum, eſſe virtu-
tis, & Sapientiæ officinas? quod ni ita eſ- K
ſet, numquam publicorum gymnaſiorum or-
tus ab ultimâ antiquitate repeteretur. Vix
Græcia parens diſciplinarum ad cognitio-
nem rerum fuerat excitata; vix artes in-
venerat, quibus homines ad omnem hu-
manitatem informantur; quum Athenis in
urbe celeberrimâ gymnaſia ſunt inſtituta,
ad quæ ſtudioſa juventus ex remotiſſimis
terris confluebat. Quæ fuit ibi doctiſſimo-
rum hominum copia, quæ dignitas, &
ſplendor litteris deditæ multitudinis? L
Ex omnibus populis, quibus aliqua Sa-
pientiæ lux affulſerat, homines doctrinæ
cupidi omiſſis aliis negotiis, relictâ Patriâ
ſe ſe Athenas conferebant. Non Eleuſi-
nem illam ſanctam, & auguſtam, ubi Poë-
tâ vetuſto teſte initiabantur gentes orarum
ultimæ, ad ſacra ſuſcipienda major multi-
tudo frequentabar, quàm Athenarum gy-
mnaſia, non ut myſticis cæremoniis, ſed ut
Sapientiæ ſacris initiaretur. Quid autem
dixi initiaretur? non ſolùm qui primori- M
bus, ut ajunt, labris diſciplinas deguſta-
rant; ſed etiam qui in ſtudiis multùm pro-
ceſſerant, & in aliis urbibus ingenuarum
artium doctores eruditiſſimi, eloquentiſſi-
mique habebantur, Athenas, non ut tra-
derent, ſed ut acciperent ſcientiam rerum

ex

ex transmarinis, & longinquis regionibus A commeabant. Clitomachus, qui patriâ linguâ Asdrubal dicebatur, quadraginta natus annos, quum Carthagine, ubi natus erat, scholæ diu præfuisset, summamque sapientiæ laudem esset in Patriâ consequutus, Athenas migravit, & Carneadem acerrimum, & eloquentissimum novæ Academiæ propugnatorem audivit; & inter ejus discipulos diu sedit, qui Carthagine philosophiæ præceptor acutissimus, & vivendi magister gravissimus censebatur: Crantor, B quum Patriam sapientiæ suæ admiratione complesset, Athenas navigavit, & Xenocrati auctori summo intelligendi se se in disciplinam tradidit, & Athenis discere, quàm in Patriâ docere maluit, & sapientiæ principatum obtinere. Sed quid exempla colligo; id non fuisse novum, sed translatitium, & usitatum declarat sententia, qua Veteres affirmabant eos, qui in aliis urbibus præclari disciplinarum Doctores judicabantur, vix dignos inveniri, C qui Athenis discipuli dicerentur. Illi ipsi rerum domini Romani, qui urbem habebant, ubi quidquid egregium in Orbe terrarum prænitebat, imperii fortuna, & industria civium collocarat; non adolescentuli modò, sed viri omni humanitate perpoliti, eloquentiâ florentes, & usu rerum maximarum, tamen ad animum sapientiâ excolendum Athenas proficiscebantur. Quod quum illi faciebant, nihil aliud judicabant, quàm id, quod nobis proposuimus D ostendendum; ad ingenii cultum permagni interesse, in quibus quis gymnasiis exerceatur; utrum in iis, quæ Orbis terrarum admiratione celebrentur, an in iis, quorum fama urbis unius terminis angustis fanè includatur. An enim Romæ deerat illis Præceptorum copia? at habebant non solùm in urbe, sed etiam domi doctissimos: an fastidio, ut fieri solet, rerum domesticarum externa domesticis, longinqua præsentibus anteponebant? at E nullam urbem putabant cum Româ comparandam, nullius populi prudentiam Romanis ingeniis præferebant: an scientiam administrandæ Reipublicæ se magis Athenis assequi, quàm Romæ posse censebant? at nullum erat imperium, nulla nisi Romæ Respublica. Profectò Gymnasiorum auctoritas homines commovebat, spes consequendæ sapientiæ in tantâ doctrinæ luce ad Patriam clarissimam relinquendam, quam qui cœlestem urbem, Orbis terrarum compendium dixit, a veritate non aberravit, F incitabat. Quanquam autem Athenæ litterarum principatum sibi jure vindicabant; non tamen soli Athenienses ad publicam humani generis utilitatem sapientiæ ludum aperire voluerunt; sed & Macedones, ubi rerum potiti sunt, Alexandriæ in urbe clarissimâ, & propter splendorem, & magnitudinem, pulchritudinemque Alexandro G conditore dignissimâ undique doctissimis viris accersitis Sapientiæ domicilium collocarunt. Consequi dicando non possum quantâ magnificentiâ Reges illi opulentissimi, liberalissimique gymnasia instruxerint, auxerint, ornarint; quot, & quales viros ad docendi munus, & quantis impensis invitarint. Illud haudquaquam prætermittendum, quò nihil studiosorum industriæ deesset, bibliothecam tantâ librorum copiâ refersisse, ut quum ea Alexandrino bello H esset incensa, quadringenta, vel, ut alii tradunt, septingenta librorum millia conflagrarint. Quid Rhodienses, nonne & sapientiæ, & artium liberalium, & præcipuè eloquentiæ celeberrimos Doctores magnis impensis aluerunt; ad quos non solùm dicendi rudes, verùm etiam doctissimi quique, & ipse Cæsar, ipse Cicero, quum jam regnum fori prope obtineret, discendi causâ commearunt? Qui profectò nunquam illud iter suscepissent, nisi magnum I in celebritate loci, & Doctorum ad studia adjumentum esse censuissent. Jam Romani pace constitutâ, & pacato Orbe terrarum nihil antiquius habuerunt, quàm ut Romæ quoque quasi quasdam sapientiæ nundinas publicæ studiosorum utilitati proponerent; ad quas ex toto Orbe juvenes convenirent, & Athenas in Latium transferrent; nec eo contenti Carthagine celeberrimam sapientiæ officinam, & laudatarum artium emporium esse voluerunt; K ut illa imperii æmula non solùm vetustâ gloriâ rei militaris, verùm etiam doctrinæ laude conferetur, & exutâ barbarie doctissimas urbes provocaret; & in omnibus ferè provinciis gymnasia erudiendæ juventuti constituerunt, quod Juvenalis non tacuit, qui dixit:

Jam totus Grajas, nostrasque habet Orbis Athenas,
Gallia Causidicos docuit facunda Britannos, L
De conducendo loquitur jam Rhetore Thule.

Ipsi Barbari in tantis inscientiæ tenebris hanc lucem veritatis non ignorarunt; nam Indorum Bracmanes, & Gymnosophistæ, Ægyptiorum Sacerdotes, Persarum Magi, Æthiopum alii Gymnosophistæ, quid aliud fuerunt, quàm publici sapientiæ Professores; ad quos ex ipsi Græciâ superbâ repertis, & perfectis disciplinis doctissimos viros ad augendas Barbarorum M scientiâ grajas artes profectos fuisse accepimus. Jam verò postesquam omnis e sedibus suis excita barbaria populis universis magnâ clade vexatis, eversis clarissimis urbibus, deletis gymnasiis, incensis bibliothecis omne literarum lumen extinxerat, to-

tique

tique Europæ, atque adeo Orbi terrarum A inscientiæ tenebras, & stultitiæ caliginem superfuderat; non defuerunt Reges, & prudentissimi civitatum Rectores, qui sarcire Sapientiæ detrimentum magnis sumptibus niterentur. Itaque & Lutetiæ Parisiorum, & Bononiæ, & Ticini gymnasia sunt instituta, quæ incredibili juvenum litteris deditorum ex totâ Europâ confluentium multitudine floruerunt; quorum studiis litteraria Respublica respirare visa est, & paulatim quasi refocillari; donec majori- B bus fomentis recreata pristinum robur, splendoremque recuperavit. Nam ubique terrarum ædificatæ litteratorum palæstræ, & doctorum hominum cœtus magnis impensis congregati, qui non unius urbis, sed totius Orbis commodis inservirent; & nunc publicis gymnasiis floret Italia, floret Gallia, florent Hispaniæ, floret Britannia, floret Germania, floret finitima Germaniæ regio Sarmatarum; quæ sapientiæ arces, speculæ perspiciendæ veritati, Reipublicæ lit- C terariæ propugnacula, emporia nobilissimarum facultatum, & habita sunt, & habentur. Quæ Majores tanto studio coluerunt, ut iis augendis, ornandis, & omni ratione celebrandis præcipuam curam impenderent; omnesque, qui ad aliquam doctrinæ laudem cuperent pervenire, in iis diu, & diligentissimè versarentur. Consenserunt igitur omnes ætates, consenserunt omnes nationes, consenserunt Sapientes, consensit vulgus imperitum, omnes cujus- D cumque generis homines consenserunt nullam aliam esse viam, quæ ducat ad doctrinæ gloriam eximiam, & singularem, quàm hujusmodi gymnasia, quibus uniuscujusque studia in clarissimâ luce collocentur; Reges denique, & Rerumpublicarum Principes consenserunt, qui numquam tantam auri vim profudissent; nunquam inter publicas curas hanc non postremam duxissent, nisi in his gymnasiis utilitatem summam esse perspexissent. Quos E igitur alios testes desideratis, Auditores? paucis testibus in judiciis rerum maximarum credimus, paucis testibus maximæ controversiæ transiguntur; vos non credetis testimonio omnium sæculorum, non credetis, quum omnes Mortales, qui umquam fuerunt, testes adhibeamus? Quod si vos magis exempla, quàm testes movent, possum uti exemplorum copiâ; sed non aliorum rhetorum more colligam pauca, aut rursus omnia singillatim, quæ F proferri possent, exempla recensebo; neque enim unquam exitum inveniret oratio; rem paucis comprehendam; omnes ferme, qui artis alicujus liberalis, aut disciplinæ gloriâ floruerunt, ex his fontibus ad hominum famam, ad summam scientiæ laudem profluxerunt. Nam & ex Veteribus illis, quorum sapientiam, & doctrinæ magnitudinem, & varietatem, & copiam admiramur, G neminem reperiemus, qui non Athenis, aut in alio celebri gymnasio professus fuerit sapientiam; aut certè summo studio, magno temporis intervallo egregios auctores & dicendi, & intelligendi audiverit, sectatus fuerit, omni ratione coluerit, & observarit. Et si recentioribus exemplis magis delectamur, omnes ferè deprehendemus, quorum auctoritate nititur Jureconsultorum scientia; omnes, qui in causis agendis, & judiciis exercendis olim H floruerunt; omnes, qui medendi arte celebres, clarique extiterunt; omnes, qui philosophiæ studio, vel aliarum facultatum præstiterunt, in aliquo gymnasio principe summos habitos esse juris Interpretes, aliarumque disciplinarum doctores clarissimos, vel summâ cum industriâ, & acuminis laude ingenium diu, multumque exercuisse. Nuper isthæc præclara sapientia magno cum malo studiosæ juventutis exorta est, quæ non jactis fundamentis putat I inædificari posse exaggeratam doctrinæ altitudinem; nec sinit adolescentes per gradus ad summum fastigium pervenire; sed imperitos rerum, expertes bonarum artium, omni barbarie inquinatos propellit in forum; aut ægris jubet non cognitâ rerum naturâ, non perspectis morborum causis, non exploratis herbarum potestatibus carnifices dicam, an medicas manus admovere? Idcirco laudatissimæ disciplinæ contemnuntur, negliguntur que, gymnasia K non eâ, qua solebant, juvenum multitudine, & splendore celebrantur; vestri, Patres amplissimi, doctissimi, disertissimique sermones oscitanter audiuntur; juventus a labore ad inertiam, a libris ad aleam, a curis ad voluptates, a Minervâ ad Venerem defluit; tantusque stupor mentes occupavit, ut rabulis, & circumforaneis medicis, & imperitissimis quibusque fides habeatur; judicia omnium sæculorum, omnium nationum, Sapientium exempla, Majo- L rum instituta repudientur. Quam stultitiam nolite, Adolescentes, amplexari, contemnite voces indoctorum, judicia Sapientum vulgi opinionibus anteponite; & quoniam tam præclara vobis offertur occasio proficiendi, eam ne prætervehi sinatis, ne postmodum frustra pœniteat omisisse. Nisi enim in hac ingeniorum luce aliquam doctrinæ lucem perspexeritis; quum juris obscuritates, & legum ænigmata vobis erunt interpretanda, aut de rerum naturâ, causisque morborum disserendum, & de rebus M occultis explicanda sententia, quanta vobis caligo offundetur? quàm hæsitabitis? quàm hæc, quæ neglexistis, adjumenta scientiæ requiretis? quàm vos pudebit ignorare ejus, in qua magni haberi voletis,

tis, elementa disciplinæ? Quod profectò
A vobis accidet; qui enim fontibus relictis
rivulos consectatur, turbidam hauriat a-
quam, & interdum lutulentam, necesse
est. In omnibus rebus, Auditores, consi-
derare etiam, atque etiam oportet, quid
rei natura postulet, antequam ad agendum
accedamus; verissimèque Salustius dixit:
priusquam incipias consulto, postquam
consulueris, maturè facto opus est. Ita le-
ges antiquitus non sanciebantur, nisi tri-
nis nundinis populo considerandæ priùs
B proponerentur: ita non bellum aggredi-
mur, antequam de bello consultemus: non
pacem componimus, nisi, an ea expediat,
etiam, atque etiam deliberemus: nihil de-
nique publici, privatique negotii gerimus,
nisi prius diu, multumque momenta ratio-
num perpendamus, omninoque semper in
omnibus contemplatio actionem antece-
dit. Hæc studia, quæ suscepistis, tota in
contemplatione versantur; quæ suscepturi
estis, posteaquam in hac palæstrâ satis in-
C genium exercueritis, ad agendum perti-
nent; hæc igitur antecedant, illa conse-
quantur, necesse est. His nunc, dum o-
tium est, dum fert ætas, immorari, hæc
seriò colere, ad hæc toto pectore oportet
incumbere; ne imprudentium more, quum
erit agendum, discendi tempus frustra re-
quiratis; quod, si præsentem occasionem
de manibus elabi passi fueritis, numquam
revertetur. Hæc enim ætas percipiendis
apta disciplinis, hæc doctorum hominum
D copia, hæc studiosorum frequentia, qua
studia incenduntur, hæc gymnasia, quæ
tantâ semper litterarum claritate fulserunt,
sola vobis discendi sunt opportunitatem
præbitura. Imperatores Græci, Romanique
licèt adolescentes diu militassent, licèt au-
dire possent rei bellicæ peritissimos viros;
tamen antequam ad rem gerendam profi-
ciscerentur, antequam ducerent exercitus
de instruendâ acie, de ratione castra me-
tandi, de totâ arte militari disertissimos
E viros disputantes diligenter audiebant; li-
bros imperatoriæ artis præcepta continen-
tes accuratè lectitabant; in rebus gestis le-
gendis, & consilia ducum cognoscendis
multum temporis consumebant. Vos, qui
militiam fori meditamini, non scientiam
juris ex ipsis fontibus priùs haurietis, non
legum latebras, & abditos jurisprudentiæ
recessus penitus peragrabitis? non doctis-
simos viros subtilissimæ facultatis nodos
quotidie solventes, ambigua explicantes,
F obscuris lucem afferentes attente, stu-
diosèque audietis? non in eorum fami-
liaritatem vos insinuabitis, ne quotidia-
næ quoque consuetudinis, & sermonum
sitis expertes? Sed hæc gymnasia tan-
quam Sirenum scopulos, occlusis auribus
prætervecti in alicujus Pragmatici discipli-
nam vos tradetis; qui de jure vobiscum
raro colloquatur, nullas explicet leges, G
nulla det præcepta discendi, & intentus
Clientium negotiis progressum in studiis
vestrum non magis curet, quàm ea, quæ
nihil ad se putat pertinere. Cogitate quàm
vobis hæc futura sit difficilis, & impedita
ratio studiorum; nisi vobis hic subsidio di-
ligentiam comparetis, & præsenti studio
ad futurum quasi aditum, & januam reclu-
datis: cogitate hanc rationem tanto illi
præstare vel celebritate, vel fructu, vel ju-
cunditate, quanto claritas obscuritati, lux H
tenebris, frequentia solitudini antecellit.
Hic enim quantum in animis ardorem pu-
tatis excitari exemplis, & multitudine a-
dolescentium eadem studia colentium?
quantas in pectoribus flammas alere æmu-
lationem; quum omnes quibus ingenium
non hebes, non languidum natura largita
est, ferè ab æqualibus vinci, & in hoc cur-
riculo, tanquam in sacro certamine non
coronari molestissimè patiantur? quantum
animos accendi, quantum studia promo- I
veri; dum quotidie inter studiosos oriun-
tur de gravissimis rebus quæstiones; de-
que iis, quæ pertinent ad disciplinas, quas
quisque sibi expetivit, contentio, & con-
certatio excitatur? quàm verò lætus aspe-
ctus in unum locum congregatæ juventutis?
quanta jucunditas, ubertasque Sapientiæ
nascitur ex varietate disciplinarum, quæ
in his gymnasiis explicantur? quantum a-
lacritatis affert hic splendor, hæc amplitu-
do loci, hæc Professorum gravitas, hæc K
multitudo, hæ scholæ doctissimorum ho-
minum vocibus personantes? quantum
ingenia acuuntur, quòd in celeberrimo
theatro Musarum, nec cujusquam latere
potest acumen, & industria, nec tarditas,
& stultitia ignorari; quòd ex multis oppi-
dis, urbibusque, & longinquis regionibus
confluunt adolescentes cupidi litterarum;
quorum ingenuis augetur solertia, prædica-
tione fama ad exteras gentes propagatur?
ipsa memoria clarorum virorum, atque ma- L
gnorum, qui hæc gymnasia ingenii magni-
tudine, & scriptorum immortalitate illu-
strarunt, ingens est calcar, acerque stimu-
lus ad laudem. Præclarè Cicero de fini-
bus bonorum animadvertit, non tam sum-
morum virorum imaginibus, non tam scri-
ptis, aut rebus gestis legendis, quàm locis,
in quibus nati, versatique, aut artes præ-
claras professi fuerunt, nos commoveri.
Quod si non abhorret a veritate; quantum
studium laudis, quantam doctrinæ cupidi-
tatem in his gymnasiis, in hac gravissimâ M
civitate necesse est commoveri? ubi tot
præstantissimi viri floruerunt, ubi, quo-
cumque te converteris, impressa cernas
vestigia præcellentium in omni doctrinæ
genere Professorum; qui Orbem terrarum
inge-

ingenii gloriâ compleverunt. Atque hæc
A Pisanum Athenæum habet cum ceteris fortasse
communia; illa verò sunt hujus proprie
gymnasii; eorum, qui disciplinas profitentur,
comitas, quæ neminem aditu, neminem
congressu prohibet; licet studiosis
adolescentibus, quotiescumque voluerint,
eorum doctrinâ frui, privatis colloquiis
interesse, uti familiaritate; non severitate
nimiâ, non supercilio deterrentur, quominus
percontari possint, & quærere, si
quid parum intellexerunt. Accedunt eodem
B dam vestri, Patres amplissimi, labores,
quibus litteris deditam juventutem exercetis;
de superiore loco, de plano doctissimas
quæstiones explicatis, privatim, &
publicè docendi munus expletis: domum
vestram juvenes de gravissimis, atque altissimis
rebus disputaturos congregatis:
hexedras in quas litterarium initura certamen
studiosa joventus convenit, non
solùm præsentiâ vestrâ honestatis; verùm
etiam ejus concertationibus præsidetis, &
C ingenii vestri, vestræ doctrinæ lumen adhibetis:
ipsi in aciem descenditis, in discrimen
venitis, & de famâ, de existimatione
vestrâ cum Collegis quotidie dimicatis;
& auditorum circumfusa corona periculo
vestro discit, quomodo possint acutè dicta
refelli, ambigua distingui, obscuris lumen
afferri, argumenta confutari; firmissimis
rationibus nixæ convelli, labefactarique
sententiæ, labefactatæ confirmari, & gravissimè,
copiosissimeque explicari. Accedit
D dit elegantia sermonis, perspicuitas orationis,
& lucidus ordo, & concinnitas, &
non barbara loqnutio, quibus & aures eruditæ
delectantur, & delicatæ non offenduntur,
nec a studio deterrentur: omnia
denique sunt plena dignitatis, plena gravissimæ
disciplinæ, plena doctarum exercitationum:
ubique calent studia, ubique
voces disputantium audiuntur, ubique fervent
certamina studiosæ juventutis, ubique
impigris, & non jacentibus animis offertur
E tur occasio proficiendi. Cur ergo, dixerit
quispiam, plerique in hac Officina Sapientiæ,
& litterarum minùs elaborant, minùs
laudi studant, minùs ad sublimia eriguntur?
cur progressus in studiis non respondet
hujus amplitudini loci, & doctissimorum
hominum laboribus, & Gymnasii Pisani
præstantiæ famâ per terrarum Orbem
celebratæ? quia plerique adolescentium
huc præjudicatam opinionem attulerunt,
quæ in animum induxerunt inanes omnes
F asse, qui hic suscipiuntur, labores; quia
libenter auditur, quæ ignaviæ lenocinatur,
oratio, quam vos, Adolescentes, quæso,
repudiate. Moveamini consensu omnium
sæculorum, omnium auctoritate populorum,
omnium exemplo Sapientium: ne
properetis ad vota, antequam ea, quibus
votorum compotes fieri potestis, complectis,
& ad exitum perducatis: ne speretis C
quidquam præclarum vos assequuturos;
nisi fundamenta jeceritis, quibus impostorum
vestra laus innitatur, & ad summam
doctrinam per hos gradus ascendite, sine
quibus nemo potest ne ad mediocrem quidem
rerum scientiam pervenire: hæc verò
adjumenta doctrinæ, hæc incitamenta
studiorum, hanc alacritatem, quam vobis
hæc gymnasia sunt allatura, ne contemnatis.
Veniet illa dies, qua vestrorum laborum
fructum colligetis, & eò, quò tenditis, D
tandem aliquando pervenietis; sed ne
progressum vestrum festinatione corrumpatis.
Hîc priùs desudandum, hîc cum inertiâ,
cum voluptate, cum ceteris delinimentis,
quibus ætas vestra capitur, certamen
ineundum: in hæc studia seriò incumbendum,
quæ si non sunt vobis profutura,
cur ego tamdiu ad hæc alacriter excolenda
vos hortor? cur hodierno die hæc gymnasia
aperiuntur? cur adsunt doctissimi
viri, cur vestris commodis inserviunt, cur E
laborant, ut suo muneri satisfaciant? cur
impensis regiis aluntur? cur alii subinde,
atque alii ad docendi munus invitantur?
cur edicto Principis jubentur adolescentes,
antequam summum in jurisprudentiâ, vel
in medendi arte, vel in rerum divinarum
scientiâ gradum consequantur, quinquennium
in hac Musarum palæstrâ exerceri?
cur denique jussu parentum vestrorum in
hanc urbem convenistis? Videte nedum
hanc studiorum rationem contemnitis,
Majores nostros, qui studiis vestris his conditis
gymnasiis prospexerunt, ineptiarum;
parentes, & cognatos, qui vos huc misarunt,
inscitiæ; Principes ipsos, qui hæc
studia promovent, stultitiæ condemnare
videamini.



ORA-

ORATIO XXVII.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1703.

In solemni instauratione Studiorum.

Scientiam artium maximarum cum elegantiâ doctrinæ conjungendam.

QUum optimorum Adolescentium studia contemplor, amplissimi A Patres, Auditores humanissimi, qui ad hæc Gymnasia se se disciplinæ causâ contulerunt; mihi temperare non possum, quin eorum laudem voluntatem, præclaros ad laudem impetus mirer, plenam dignitatis, & gloriæ provinciam prædicem suscepisse. Nam eorum alios ad jus civile, & æquitatis, & justitiæ præcepta cognoscenda, alios ad medendi vias indagandas, alios ad rerum divinarum scientiam video animum appulisse. B Quid autem, quæso, præstantius, quid conducibilius, quàm esse quasi quemdam Justitiæ sacerdotem, & civitatis oraculum, legesque nosse, quibus Reipublicæ salus continetur? quid præclarius, & magnificentius, quàm habere cognitam rationem vel tuendæ, vel restituendæ sanitatis; & frequenumero, quod cujusdam divinitatis esse videtur, ingruenti fato resistere? quid excelsius, augustius, divinius, quàm omissis omnibus curis in divini Numinis contemplatione versari, & in terris beatarum C mentium gaudia, quoad homini licet, delibare? Enimvero tribus his disciplinis & societas hominum farta, tecta, inviolata servatur, & singulorum bona ab injuriâ defenduntur; & vita feliciter traducitur salubritate corporum constitutâ; & perspiciendis rebus divinis, & spe futuræ felicitatis ad virtutem mentes accenduntur; paucæque omnino ex liberalissimis doctrinis cum his possunt vel dignitate, vel fructu, D vel excellentiâ, vel gravitate comparari. Augustæ sunt, humano generi salutares, multarum artium, & disciplinarum Reginæ; & cum publicè mirum in modum prosunt, tum privatim homines vel ad opes, vel ad potentiam promovent, & in altissimo dignitatis gradu collocant, vel tantam suis cultoribus venerationem conciliant, ut non mortalem inter Mortales, sed cœlestem vitam ducere videantur. Sed quo sunt eæ pulchriores, & in majori luce versantur, eo magis verendum vobis, Adolescentes, ne barbari, indocti, incultique earum studium attingatis. Qui sunt E sacra facturi puro fonte se abluunt; qui Mysteria Cereris erant inspecturi, quinquennium instituebantur, antequam sacrum illud arcanum contemplarentur; vos illotis, ut ajunt, manibus ad sacerrimas disciplinas accedetis, & animo non præparato Eleusiniis augustiora sacra spectabitis? Videte, quæso, ne quemadmodum ii, qui e profundis tenebris, in quibus dio versati sunt, prodierunt; nisi priùs dubiæ, hebetiorique luci paulatim assueverint, cla- F rissimo Solis lumine offenduntur, & Sideris lucidissimi splendorem ferre non possunt, & in mediâ luce caligant; ita vos e densissimis inscitiæ tenebris emergentes, insueti lumen veritatis intueri, si ingenii aciem ad præstantissimarum facultatum splendorem repente converteritis, insolitâ claritate obruamini, & in clarissimâ luce lucem videre nequeatis. Quid igitur faciendum vobis censeo, quomodo expiatos hæc mysteria Sapientiæ contemplari jubeo? G non jubeo perfundi vivo flumine, non ablui marinis aquis; non sulfure, ovisque, non ramo lauri, tædisque lustrari, non si quid aliud ad expiandum corpus pertinet, adhibere; sed jubeo mentem elegantissimarum artium, & disciplinarum scientiâ collustrare: jubeo exuere omnem barbariem: jubeo gravissimis doctrinis, quibus vos dedidistis, eruditionis, & elegantiæ lumen adhibere. Quocirca id erit argumentum hodiernæ orationis meæ; vobis H conabor, Adolescentes, ostendere scientiam rerum, quarum studium suscepistis, cum studiis humanitatis, & elegantiore doctrinâ esse conjungendam.

Elegantia doctrinæ, & sermonis ubertas, & nitor, & cognitio vetustatis eodem modo ceteras disciplinas commendant, exornant, illustrant, quo animantium corpora, vel artificum opera, aliasque res inanimas concinnitas, amœnitas, jucunditas, pulchritudo; sunt igitur omnibus littera- I rum studiosis asciscendæ. Circumspicite, Auditores, Cœlum, terras, maria: circumspicite omnia opera naturæ: circumspicite omnia hominum inventa, omnes artificum labores; in his omnibus utilitatem cum venustate summâ, & jucunditate conjunctam esse intelligetis. Solis obliquus cursus multis terrarum partibus, multisque Mortalibus salutem præstat, & vitam, & salubritatem, qui vel intolerabili frigore torpescerent, vel immodicis ardoribus K torrerentur; idem efficit temporum varietatem, & veris, & æstatis, & autumni, & hiemis gratas vicissitudines, quibus nihil pulchrius potest, nihil jucundius inveniri. Illi stellarum collucentes oculi, quos Cœlo disseminavit omnipotentis Artificis ma-

manus, noctem illuminant, dirigunt na-
A vigantium cursum, significant agricolis a-
randi, serendi, metendi tempora, significant
nautis vel tranquillitatem maris, vel hor-
ribiles ventos, & tempestates; multa præ-
terea vel animantibus, vel universæ natu-
ræ commoda præbent, & opportunitates,
quas fortasse nos humi strati, & circumfusi
crassâ inscitiæ caligine ingoramus; neque
enim mihi persuadeo tot, ac tantos astrorum
ignes esse penitus otiosos. At quàm jucundo
spectaculo oculos reficiunt! quàm pulchrâ,
B quàm admirabili varietate Cœlum distin-
guunt? satiari delectatione non possnnt
animi Sapientum, quum eorum motus tam
certos, tam status, tam varios contemplan-
tur. Atque hæc est illa suavissima siderum
musica, jucundissimus ille concentus, quem
Pythagoras Cœlestium orbium circumactu
cieri est arbitratus. Sed consequi dicendo
non possumus, quàm multa sint in Cœlo,
quæ summam habent utilitatem cum in-
credibili pulchritudine, & jucunditate co-
C njunctam; e Cœlo in hunc orbem, qui e
terrâ, & mari constat, descendamus. In-
sulæ in mari & navibus præbent appul-
sum, & multas commoditates naviganti-
bus; & ornant maris faciem, quæ multo
pulchrior apparet, ubi crebris terris distin-
guitur, quàm ubi in immensum, & inter-
minatum pelagus diffunditur, & eos, qui
prætervehuntur, aspectus varietate dele-
ctant; quod qui in Ægæo navigant, expe-
riuntur, quo species nulla jucundior pro-
D pter insularum frequentiam, & amœnita-
tem. In terris verò stagna, lacus, fluvii,
fontes, nemora, montes incredibiles hu-
mano generi afferunt utilitates; nam &
montes multa producunt, quæ alibi frustra
requiruntur, & oppositi ventorum impetus
frangunt; & lacus, & stagna suppeditant
nobis piscium copiam, & multis in locis
fluvios navigabiles fundunt; & fontes
sunt quasi quædam magnæ matris ubera,
quæ animantibus potum saluberrimum præ-
E bent, & multis morbis medentur; & flu-
minibus quasi quibusdam venis terra irri-
gatur, & quæ ad usus vitæ pertinent, fa-
cilè convehuntur; in nonnullis autem re-
gionibus fluminibus agrorum debetur uber-
tas; ita Ægyptus Nilo, Mesopotamia Eu-
phrate, India Gange inundante fecunda-
tur; & silvæ nobis materiam præbent, qua
naves ædificantur, & ædificia construun-
tur, & multa, quæ partim spectant ad usus
hominum, partim ad voluptates conficiun-
F tur; & ignis alitur tum ad cibum calore co-
quendum, atque molliendum, tum ad frigora
depellenda, tum ad plerasque artium exer-
cendas necessarius. Quantam verò hæc vel
ipso aspectu pariunt voluptatem? quàm e-
nim jucundum videre terram, quæ alibi
assurgit in montes, alibi sinuatur in valles,
alibi magnis curvatur anfractibus, alibi in
immensa camporum æquora dilatatur, ali- G
bi præruptis rupibus coarctatur; horrescit
cautibus, distinguitur fluviis, fontibus sca-
tet, rivis irrigatur, pratorum viriditate ve-
stitur, riparum amœnitate luxuriat, stagno-
rum perspicuitate collucet, nemorum opa-
citate inumbratur? Quæ quanto sunt ju-
cundiora, quàm si una esset terrarum fa-
cies, quæ tota in vastam planitiem effun-
deretur? Nec verò in magnis utile dulci
natura miscet; & non in parvis etiam utili-
tatem copulat cum elegantiâ, & venustate, H
sed ubique eadem arte utitur, ubique pro-
dest, & delectat. Infinitum est ire per sin-
gula; licet tamen paucis exemplis artifi-
cium naturæ, quod in omnibus lucet, de-
clarare. Arboribus frondes a naturâ tri-
buuntur, ut Solis nimios defendant ardo-
res, ne immodico fructus calore corrum-
pantur; si tolles ex arboribus frondes, om-
nem pæne sustuleris arborum decorem, &
venustatem; quod hieme cernitur maxi-
mè, quum illæ spoliatæ foliis, omni de- I
core nudatæ mærere quodammodo viden-
tur, & contristari; ex quo quæ semper vi-
rent, in deliciis habentur, & licèt infru-
ctuosæ frugiferis anteponuntur. Animanti-
bus autem natura dedit cutem, corium,
villos, plumam, vellera ad frigus arcen-
dum, ad tutelam corporis, ne quolibet
levi ictu sauciuntur, atque lædantur; si hæc
animantibus detraxeris, omnem pulchritu-
dinem extinxeris; nec Helena fuerit He-
cubâ jam anu pulchrior; nec Achilles, aut K
Nireus Therside, nec Socrate Alcibiades
formosior. Quid autem aut in homine co-
loris illâ suavitate, illis extremis lineamen-
tis, quæ cute continentur, & absolvuntur,
jucundius; aut in ceteris animalibus spe-
ciosius villis, velleribus, plumis, quæ tan-
tâ colorum varietate pinguntur, tantam
habent venustatem, ut pulchritudinis dum-
taxat habuisse rationem natura videatur?
Video in quam uberem, & spatiosum di-
cendi campum orationem demiserim: vi- L
deo nullum finem, nullum sermonis exi-
tum me reperturum, si velim singula re-
censere, quæ in animalibus cum ad uti-
litatem, tum ad speciem, elegantiamque
natura machinata est. Itaque non abutar
diutiùs patientiâ vestrâ, Auditores, rem
verbo absolvam; nullum est in animanti-
bus membrum, quod non & deceat, &
prosit, quo detracto non summa deformi-
tas consequatur. Nec de cibis dicam, quos,
quum sint ad vitam sustentandam necessa- M
rii, incredibili jucunditate natura condivit:
nec persequar cetera, quæ sunt innume-
rabilia; ab artificiis naturæ ad hominum
artes venio, quæ in hoc vel maximè na-
turæ solertiam imitantur. Vestis frigoris
depellendi, & pudoris causâ reperta est;

num autem id solùm in veste requiritur?
A immo multo magis elegantia, concinnitas,
ornatus, nitor; nec ulla res magis formæ
lenocinatur, quàm vestis, & quæ pudoris
ergo inventa est, ad impudentiam plerum-
que solet homines incitare. Architectura
molita est domos, ut nos a Solis ardori-
bus, a vi ventorum, & tempestatum, ab
inclementiâ cœli tuerentur; num autem
id tantummodo spectat, & nihil ampliùs
desiderat architectura? num contenta est
arcere Solem, arcere frigus, arcere vim
B imbrium, & ventorum impetum, & pro-
cellarum? immo nihil habet antiquius,
quàm ut elegantiam operum consectetur,
quàm ut quæ construit ædificia amplitu-
dine, magnificentiâ, decore, aptâ partium
compositione oculos teneant, & admira-
tione defigant; nec quisquam architectum
jure miretur, qui tantùm sciat, qua ratio-
ne frigus, aut æstus, aut pluviæ arcean-
tur; nihil de ædificii venustate cogitet,
pulchritudinem operis ad artem non pu-
C tet pertinere. Omnes denique artifices id
habent propositum, & in eo maximè ela-
borant, ut usum cum jucunditate, com-
moditatem cum venustate, opportunitatem
cum decore conjungant; & vilissimi quo-
que opifices elegantiâ suorum operum ma-
ximè gloriantur. Et quid ni glorientur?
sequuntur naturam ducem, quam omnes
artifices debent pro virili parte consecta-
ri. Quam & nos, qui non opus manufa-
ctum, sed ingenio elaboratum omnibus
D numeris absolvendum suscepimus, debe-
mus æmulari; nec elegantiam doctrinæ,
nec dicendi leporem, nec quæ ex historiâ
petuntur documenta rerum, nec poeta-
rum veneres aspernari; his enim artibus
omnis ars liberalis, & disciplina condi-
tur. Quàm enim turpe nobis, qui altissi-
mas disciplinas profitemur, qui legum in-
terpretes esse volumus, qui divinitatis in-
dagatores, qui valetudine corporum pro-
curandâ Regibus ipsis imperare medita-
E mur; fabrorum, sutorumque, & sellula-
riorum opificum prudentiâ, industriaque
superari? qui se muneri suo non putant sa-
tisfecisse; nisi utilitatis, & elegantiæ, & ve-
nustatis omnes numeros expleverint. Litte-
ratorum hominum labores apum laboribus
nonnulli meritò compararunt; quemadmo-
dum ergo illæ non utilissimum vitæ solùm,
& saluberrimum, sed etiam dulcissimum,
jucundissimumque succum elaborant; ita
nos si modò litterati hominis gloriam tue-
F ri, & personam volumus sustinere, non
solùm contendemus, ut nostri labores pro-
sint, sed etiam quadam venustate floreant,
& jucunditate commendentur; nec tantùm
pectus implebimus scientiâ rerum maxi-
marum; sed etiam linguam excolemus, &
elegantiam, & nitorem quemdam consecta-
bimur; nec solùm Minervæ, sed gratiis
quoque, quod Xenocrati Plato præcipie- G
bat, sacrificabimus. Quod præceptum tan-
quam ex oraculo missum venerari, & se-
qui debetis, Adolescentes; nec eorum e-
xemplis, & vocibus commoveri, qui om-
nem elegantiam doctrinæ aspernantur, qui
in omni barbarie, tanquam sues in luto,
libentissimè volutantur; ac summâ ope ni-
ti vos decet, ut non solùm mentem uti-
lissimis, gravissimisque doctrinis instruatis,
verùm etiam ornetis pulcherrimis, & ju-
cundissimis; cujus rei præsens occasio sum- H
mam vobis præbet facultatem. Venistis in
hoc Sapientiæ sacrarium Minervæ, & Mu-
sis operaturi; ubi omnium artium libera-
lissimarum doctores quidquid frugiferum,
quidquid elegans, & suave est, atque ju-
cundum in studiis litterarum, pro summâ
scientiâ, qua abundant, vobis exhibent,
& quasi quodam apparatissimo vos exci-
piunt epulo Sapientiæ. Licet, vos ingurgi-
tetis in omnem, quæ vobis apponitur, co-
piam: licet, & quæ utilia putabitis, avido I
animo hauriatis, & quæ jucunda, quantum
videbitur, delibetis; nec solùm frugiferas
disciplinas, verùm etiam pulcherrimas sp-
petatis. Videte, ne sit summi, intoleran-
dique fastidii: videte, ne ineptum, & stul-
tum habeatur, omnem elegantiam asper-
nari, omnem, quæ percipitur ex cogni-
tione rerum pulcherrimarum, voluptatem,
omnes Musarum delicias repudiare. Nam
quemadmodum, si quis exceptus opiparo,
lautoque convivio sit; ubi conquisitissimis K
extructa sit mensa dapibus, abundet suavis-
simis vinis, abundet unguentis pretiosis, &
odoribus, abundet scitamentis, cupediis,
bellariis, irritamentis gulæ universis; &
omnes delicias respuat, aquam potet, ac
solo pane vescatur; rusticus, absurdus,
injurius quodammodo in convivatorem ju-
dicetur; ita vos agrestis cujusdam, & barba-
ræ stultitiæ notâ non vacabitis, & Sapien-
tiæ facietis injuriam, quæ tantam vobis
copiam comparavit; si omnibus ingenii L
deliciis fastiditis ea dumtaxat, quæ neces-
saria creditis, appetetis. Atque eo magis in
reprehensionem hominum incurretis, quòd
ingluvies, liguritio, cupedia solent repre-
hendi; cupiditas discendi in laude poni-
tur; quocirca Cato librorum helluo non
a reprehensoribus, sed a laudatoribus di-
cebatur; & quòd qui in splendido con-
vivio omni lautitiâ abstinet, præsenti dum-
taxat caret voluptate, & a convivis fortas-
se irridetur, jocisque perstringitur; nihil M
sibi imposterum nocet, nec ob eam rem
fit imbecillior, aut contemptior; at si in
præsentiâ ab omni studio elegantioris Mu-
sæ abhorrebitis; hærebit in vobis opinio
stultitiæ sempiterna; rudes eritis, & impe-
riti artium cognitione dignissimarum; ir-

ridebitur a vulgo, si quid indoctè, stulte-
A que dixeritis. Nam quod Quinctilianus
gravissimus Auctor de sæculo suo dixit, id
etiam de nostro verè possumus affirmare:
rusticani etiam homines quædam, quæ a
philosophis traduntur, hac ætate non igno-
rant: etiam patres familias a litteris alie-
ni, & in re suâ occupati, etiam cerdo-
nes, & propolæ multa ex rerum gestarum
petita monimentis, multa a poëtis elegan-
ter, sciteque dicta cognoverunt; quibus,
nisi mentem multâ, variaque eruditione
B compleveritis, quum ea, quæ plerique
sciunt, nescire vos deprehendent, risum
movebitis. In quàm multos ego incidi,
qui gravissimam personam sustinebant, &
sapientes sibi videbantur; qui quum cœ-
perant loqui de studiis humanitatis, ea ef-
futiebant, quæ Crasso, qui numquam ri-
sisse dicitur, risum excussissent; quorum
nec sermo cohærebat, nec ullum præfere-
bat indicium hominis liberaliter instituti.
Quàm autem pudendum altissimarum di-
C sciplinarum magistrum se ferre, & Sapien-
tiæ gloriam sibi vindicare, & ab imperitis-
simo quoque contemni, ac propter insci-
tiam irrideri; reconditas artes scire se pro-
fiteri, & res cognitu dignas notissimas vul-
go ignorare; scientiam divinorum sibi as-
sumere, & in summâ rerum humanarum
ignoratione versari; habere se mentem
gravissimis disciplinis excultam gloriari,
sermonem præseferre rudem, inscitum,
inconditum, barbarum, & non cohæren-
D tem? Non ita veteres illi Jurisconsulti,
quorum prudentissima responsa legum
pondus habuerunt; sed & linguam exco-
lebant, & eloquentissimi habebantur, &
cognitione vetustatis, & dialecticis disci-
plinis, & philosophorum præceptis pectus
implebant: non ita principes illi Medico-
rum, in quorum scriptis interpretandis,
vertendis, illustrandis omnis posteritas e-
laboravit; sed & dicendi copiam, & ora-
tionis elegantiam assumendam sibi putave-
E runt; & plantarum, & lapidum potestates
indagarunt, & rerum naturam studiosissi-
mè perspexerunt. Quod ni ita esset, num-
quam Hippocrates ab auctore clarissimo fa-
cundiâ, & arte insignis diceretur: num-
quam idem, quum summâ artis gloriâ flo-
reret, Democrito auctori maximo naturæ,
verique sese expoliendum tradidisset; nec
Galenus tantâ suavitate sermonis afflueret,
tanto rerum, & verborum flumine redun-
daret; nec, ut doctissimi Auctores prodide-
F runt, tot scripsisset volumina, quæ ad stu-
dia humanitatis, & philosophiam pertine-
bant; nec quidam non postremi Medico-
rum tantum Musis tribuissent, ut meden-
di artem elegantissimis, & doctissimis ver-
sibus exponerent; qui verè Apollinis cul-
tores dici potuerunt, quoniam utramque
Apollinis artem sunt assequuti. Quid au-
tem dicam de divinis illis viris, qui nobis G
divinitatis arcana reserarunt? quantam il-
li, & quàm admirabilem humanarum litte-
rarum doctrinam cum divinarum scientiâ
conjunxerunt? quod ex eorum scriptis
adhuc animadverti potest. Quis enim Pla-
tonicorum sermonum peritior Augustino,
major in omni genere sapientiæ Basilio,
eloquentior Chrysostomo, eruditior Cle-
mente Alexandrino? Fuit id quondam,
fuit pulcherrimum doctorum hominum in-
stitutum, quam quisque coleret artem, ab H
aliis disciplinis ornatu sumpto quàm ma-
ximè honestare. Plato summus auctor in-
telligendi & geometricis disciplinis, & mu-
sicis præstitit, & tantus in arte poeticâ fuit,
ut Homero par esse potuisse videatur; tan-
tus in eloquentiâ, ut judicio Criticorum
Demosthenem ipsum compositione verbo-
rum vicerit, vel æquaverit; atque harum
omnium artium luminibus immortales il-
los, atque divinos de philosophiâ dialogos
illustravit: Aristoteles orationis flumen au- I
reum fundit, cujus opera omnium disci-
plinarum fruge referta, & omnigenæ eru-
ditionis conspersa floribus omnis ætas ad-
mirata est: Theophrastus a divinitate lo-
quendi nomen invenit, qui non minùs,
quàm superiores, hæc aliunde accersita do-
ctrinæ ornamenta quæsivit. Stoici prope-
modum soli e philosophis dicendi copiâ,
& sermonis lepore, & dulcedine caruе-
runt; tamen Zeno eorum princeps multa
conscripsit, quibus Homerum illustravit, K
& poëticæ flores cum philosophiæ fruge
miscuit; & Chrysippi opera poëtarum te-
stimoniis redundabant. Qua quidem in re
jocus celebratur cujusdam hominis haud-
quaquam inficeti, qui quum Chrysippi li-
brum legeret; in quo Philosophus crebris
petitis ex Euripidis Medeâ sententiis ute-
batur, totamque pæne eam tragœdiam tran-
scripserat, quid legeret interrogatus, lege-
re se Chrysippi Medeam argutè respondit.
Videbant nimirum sapientissimi viri gra- L
vissimas disciplinas amœnitate studiorum
esse condiendas; quæ tum demum placere
possunt, quum severitatem cum jucundi-
tate conjunxerint. Apelles ille, in quo
quantum posset ars, & ingenium declara-
vit, a præcellentissimis pictoribus, qui eâ
ætate florebant, se ceteris rebus vel æquari,
vel vinci fatebatur; venustate artis neminem
sibi parem esse prædicabat; hac solâ puta-
bat cujusvis quantumlibet egregii artificis
posse virtutes, artemque superari. Id Apel- M
lis dictum convenit in ceteras disciplinas;
qui elegantiam doctrinæ magnitudini adjun-
xerunt, ii jure magni habentur, ii princi-
pes, ii longè omnibus antecellunt. An
verò non Asclepiades ætate Magni Pom-
peji, quum ad medendi artem animum ap-
pulis-

pulisset, propter elegantiam orationis, & A dicendi flumen omnes, qui in medicinæ studio ætatem contriverant, ipse in rhetorum scholis educatus, & hospes in eâ facultate, quam profitebatur, antecessit; potuitque novam medendi rationem invenire, & plurimos habere sectatores, Urbemque totam urbium principem, & parentem, Orbemque terrarum in se convertere? Sed quid singulos commemorem; quum omnes Veteres, qui dederunt operam & orationis nitori, & elegantiæ doB ctrinæ, possim audacter affirmare hac arte ceteris præstitisse, & eorum scripta sempiternæ gloriæ fuisse commendata? Epicureos Cicero testatur, qui omnem sermonis venustatem, omnem eruditionis laudem contemnebant, ab iis tantùm legi solitos, qui Epicuri placita comprobabant, a ceteris ne attingi quidem; sed alios, quorum comptior oratio, quorum multiplex eruditio, quorum elegantior doctrina, etiam eorum manibus teri, qui eorum senC tentiis non assentiebantur. Quid ergo mirum si postea quam Epicureorum decreta probari desierunt, tot illa volumina Epicuri, & Metrodori, & omnis illius gregis vetustas funditus abolevit; Platonis, Aristotelis, aliorumque eloquentium, & omni doctrinæ copiâ affluentium Auctorum libri

Consistunt sæclis innumerabilibus.

Quamquam Epicurus, ejusque sectatores non barbarè, non inquinatè loquebantur; D quo vitio nonnulli hodie laborant; qui mihi videntur injuriam summam facere nobilissimis disciplinis, quas profitentur. Nam quemadmodum injurius esse videatur ille, qui nobili matronæ subtraheret omnem mundum muliebrem, & cogeret in publico versari fordidam, & fordidatam, & laceris amictam pannis, non veste pretiosâ (nam matronarum forma meretricis munditiis coli non debet; nec tamen omnino inornata esse debet, ac multo minùs sorE dibus inquinari) ita qui gravissimas disciplinas ab omni elegantiâ doctrinæ sejungunt, rudique sermone, & indocto, & barbaro de rebus altissimis balbutientes disputant, cum illas dedecore summo afficiunt, tum seipsos populo præbent irridendos. Hippocrates in Medico vestis habitum elegantem desiderat, desiderat munditiem non exquisitam, desiderat odorem non insuavem; quanto magis in omnibus doctis viris desideranda orationis ornatio, desideF randa cognitio rerum plurimarum, desiderandus animus his artibus perpolitus, quibus ad omnem humanitatem informamur? Non habeat sermo viri de gravissimis rebus differentis nimis conquisitas argutias, careat fuco, careat calamistri vestigiis, non præseferat eruditionis affectationem panegyricam, & theatralem; sed non sit rudis, G non barbarus, non horridus, non inconditus, non inconcinnus; nec ea, quæ decent, negligat ornamenta, & quadam nun incultâ gravitate commendetur, & eruditionis gloriam, quamvis non appetat, assequatur. Quamquam quid ego tandiu hic ago, tanquam studiorum amœnitas, & cognitio politioris doctrinæ vobis dumtaxat futura sit ornamento, & non dico futuram adjumento, & propemodum studiis vestris esse necessariam? Nam & cognitâ philosophiâ, quæ pertinet ad mores, & ad H administrandam Rempublicam, fundamenta juris civilis cognoscuntur; & scientia latini sermonis non vulgaris, sed perfecta, & exquisita, & antiquitatis cognitio ad perspiciendam veterum Jurisconsultorum mentem, & interpretandas leges non solùm plurimùm prodest, sed est etiam apprimè necessaria; sine quibus Jurisconsultum, tamquam in tenebris sine facibus ambulantem sæpius offendere, & labi necesse est, & a rectâ viâ aberrare. His artibus eI ruditissimi viri, qui superiore sæculo, aut paulo ante floruerunt, multa vetustiorum errata interpretum, qui his præsidiis culpâ temporum destituti ad jus civile explicandum accesserant, multam inscitiam deprehenderunt, & legum studiosis clarissimam facem prætulerunt. Jam verò quis prudens rerum æstimator audeat pernegare rerum naturæ scientiam, geometricas disciplinas, & notitiam Græci sermonis meK dicinæ studiosis afferre plurimum adjumenti; quibus & humani corporis fabricam, & herbarum, fruticum, plantarum, lapidum formas, & potestatem, quibus omnis artis medicæ materia continetur, ignorare, neminem, cui cor sapiat, arbitror concessurum. Quid illi, qui in altissimâ Sapientiæ parte versantur, & divina scrutari omissis humanis concupiscunt, nonne ad tantam altitudinem debent gradibus quibusdam ascendere? Nam quum cognoL scendis operibus Dei ad cognoscendam illam divinam, immortalemque naturam evehamur; perspectaque hac pulcherrimâ, & admirabili Mundi mole, ad perspiciendum artificem, qui latet, accendamur; cui potest esse dubium, quin divinorum contemplator priùs debeat rerum naturam contemplari; nosse quibus causis quæque efficiantur, animadvertere, & diligenter considerare pulchritudinem Universi, ordinem rerum, nec esse rudis in doctrinâ morum, M nec in dialecticis, quibus vera a falsis dijudicantur; his enim subnixus artibus ad omnium altissimam disciplinam potest pervenire? Illud verò quis non fatetur divinitatis interpretem sacræ, profanæque historiæ peritissimum esse oportere; ut sciat quibus incrementis Christiana religio adoleve-

levetit, quibus Patrum ſit conſtabilita de-
A cretis, quibus, & quo tempore agitata tur-
binibus, & tempeſtatibus clariùs effulſerit,
& de ſuis hoſtibus divinitus triumpharit?
At enim dixerit quiſpiam: tu nimis ma-
gnum onus imponis litterarum ſtudioſæ
juventuti; verendum eſt, ne multitudi-
ne, ac magnitudine rerum obruamur; non
vacat & maximas artes condiſcere, & hæc
doctrinæ ornamenta conquirere. Quem
ego ſermonem ſtultiſſimum judico; vaca-
vit Hannibali in medio curſu rerum maxi-
B marum, in turbulentiſſimâ illâ belli pu-
nici tempeſtate, trepidiſque rebus audire So-
ſilum Græcarum litterarum doctorem, &
nonnullos libros grajo ſermone accuratè,
ſcienterque conſcribere: vacavit Cæſari,
quum, Galliam, Germaniamque bello con-
cuteret, & Britanniam Romanis ducibus
patefaceret, quum civilium armorum terro-
re circumfunderetur, Ægyptum in ſuam re-
digeret poteſtatem, Pharnacemque Magni
Mithridatis filium prœlio victum ſuperaret,
C & tot inſuper negotiis publicis, & con-
cuſſam, diſtractamque Imperii molem com-
ponendi, conſtituendique curâ diſtinere-
tur, operam navare Muſis, & elegantiſſi-
mos rerum a ſe geſtarum commentarios,
& alia monumenta complura mandare lit-
teris, & memoriæ Poſterorum: vacavit Ci-
ceroni inter Catilinæ ſicas, inter tribuni-
tios Clodii furores, quum Cæſaris, & Pom-
peji primùm infidâ ſocietate, ac mox aper-
tis diſcidiis jactaretur, quum diſtrictus eſ-
D ſet adminiſtrandæ Reipublicæ curâ, diſtri-
ctus cauſis agendis, tantum operæ manſue-
tioribus Muſis impendere; ut & artem di-
cendi luculentiſſimis libris traderet, & poë-
mata conderet, & philoſophiam pæne uni-
verſam eloquentiſſimè, copioſiſſimeque ex-
plicaret; non vacabit Adoleſcentibus otio-
ſis rudimenta juriſprudentiæ, aut medicæ
facultatis addiſcere, aut de divinitate ſer-
mones attingere, & aliquid temporis in
ſtudiis lætioribus conſumere? Tempus,
E quod nobis a naturâ datum eſt, licèt exi-
guum videatur, latiſſimè patet, niſi ipſum
ſtultitiâ noſtrâ contrahamus; verùm ubi
per luxum, atque ſocordiam ætatem tran-
ſegimus, de brevitate temporis querimur.
Ceterùm nemo eſt adeo occupatus, quin
ſucciſivis temporibus in diſciplinis, qui-
bus animus perpolitur, multum operæ poſ-
ſit, & ſtudii collocare; in quas & vobis,
Adoleſcentes, quamvis aliò induſtriæ ve-
ſtræ curſum contendatis, cenſeo incum-
bendum; nam eæ vobis & ornamento eſſe
F poſſunt, & adjumento. Quæ ſi a vobis ne-
gligantur, ceteriſque, qui diſciplinas co-
lunt magis ad quæſtum, & opes, & digni-
tatem accommodatas, deſertæ omnino ja-
ceant, & nos ad antiquam barbariem re-
volvamur, neceſſe eſt. Avaritia ſæculi, &
luxus, & abundantes voluptates effecerunt,
ut nemo eloquentiam, nemo ſtudia huma- G
nitatis, nemo philoſophiam, nemo mathe-
maticas diſciplinas per ſe putet expeten-
das. Si a vobis eæ, veſtrique ſimilibus re-
pudientur; quis in ſtudiis rerum pulcher-
rimarum verſabitur? Has omnes manus ad
vos tendere ſupplices, & ne ſe deſeratis
orare, & his vocibus uti putatote. Nos,
Adoleſcentes, quæ olim aliarum faculta-
tum principes habebamur; nunc veſtris
inſervire ſtudiis, & diſciplinarum, quas
appetiſtis, adjutrices, & comites eſſe, & H
quaſi pediſſequæ non recuſamus; ac tan-
tummodo a vobis petimus, ne ſpretas om-
nino, & abjectas relinquatis. Nos Græcos,
nos Latinos immortali gloriâ affecimus, &
eorum res geſtas in Cœlo collocavimus:
nos ſolæ, ut utraque natio Barbaris longè
præſtare videretur, effecimus. Nam & Bar-
bari leges, & legum interpretes, & aliquam
medendi rationem, & ſacrorum antiſtites,
qui de cultu Deorum, & naturâ diſſere-
rent, habuerunt; ſed quia noſtris orna- I
mentis, noſtris præſidiis deſtituebantur,
vix habiti ſunt in hominum numero, &
eorum facta in tenebris jacuerunt; & po-
ſteaquam Græciæ, Latiique gloria exole-
vit, & terris infuſa barbaries nos ab omni-
bus regionibus exterminavit; nobiſcum
omnis humanitas, omnis ingenii cultus
exulavit, jacuitque gloria litterarum, &
fortium virorum laudes tenebris obrutæ
ſempiternis; quamvis nec Juriſconſulti,
nec Medici deeſſent, nec qui de rebus di- K
vinis loquerentur; ubi verò ſummorum
virorum beneficio, & ingeniis fuimus ab
interitu vindicatæ, nobiſcum revixit hu-
manitas, revixit doctrinæ ſplendor, & ni-
tor; Veterum denique præclara facinora
revixerunt, & recentiorum heroum virtu-
tes dignos præcones invenerunt; & ſæcu-
lum novâ luce Sapientiæ colluſtratum eſt.
Quam ergo ſæculo gloriam peperimus, ſin-
gulis vobis pollicemur, pollicemur animi
cultum, pollicemur honeſtiſſimam volupta- L
tem. Nos exilii fidæ comites, otioſæ vitæ
oblectamenta, occupatæ levamenta: nos
in adverſâ fortunâ ſolatia, in ſecundâ ſu-
mus ornamenta; cum ruſticis ruſticamur,
cum peregrinis peregrinamur, cum luden-
tibus ludimus, convivia ipſa jucundiſſimis
ſalibus, & ſermonum ſuavitate condimus:
exercemus pueritiam, regimus juventu-
tem, ſenectutem ornamus, & poſt mortem
lucis hujus jacturam immortalitate nomi-
nis compenſamus. Hæc vobiſcum pulcher- M
rimas diſciplinas loqui creditote; quibus
niſi moveamini, ſcitote vos utilitati veſtræ
parum commodè, voluptati non rectè, glo-
riæ, & elegantiæ ſtudiorum peſſimè con-
ſulturos.

ORA-

ORATIO XXVIII.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1704.

In solemni instauratione Studiorum.



Studiosos adolescentes doctrinâ, quam a Praeceptoribus acceperunt, contentos esse non oportere.

A Nimadverti, Praesul amplissime, praestantissimi Patres, Auditores humanissimi, duas esse vias, rationesque dicendi, quae nobis ex hoc loco, hoc tam celebri, tam laeto die verba facturis proponuntur; alteram planam, amoenam, spatiosam, jucunditatis uberrimae plenam, quam ingredimur, quum Sapientiae laudibus celebrandis litterarum studiosos adolescentes ad laudem excitamus; alteram magis arduam, & paulo asperiorem, & fortasse non nihil offensionis habituram, sed frugiferam, & salutarem; qua utimur, quum & vitia reprehendimus, & oratione severâ eosdem admonemus, & quid fugiendum sit, aut consectandum, ostendimus. Ego autem, qui vicies quinquies in solemni instauratione Studiorum habui orationem, & hodierno die sum habiturus, utramque rationem usurpavi; nam & doctrinae laudes, & si non pro rei dignitate, tamen pro eâ, qua utor, ingenii tenuitate, & mediocri exercitatione dicendi sum copiosè, & splendidè satis persequutus; & si quod salubre praeceptum videbatur, in medium afferre non destiti: non destiti monstrare viam, quae ducit ad altissimum scientiae, & gloriae fastigium: non destiti castigare quorumdam ignaviam, evellere ex animis pravas opiniones, quae segetem virtutis omnem, & Sapientiae suffocant. Quo genere orationis quum uterer, Auditores, facilè perspexi id esse aptissimum, & muneri meo maximè accommodatum, & hodiernae celebritati, qua studia vertentis anni inchoamus, inprimis convenire.

D Nam quemadmodum rusticae rei scientes, & navi, & industrii agricolae, qui incultum, & silvestre solum colendum susceperunt, antequam ligonibus frangant, aratro proscindant terram, semenque proscissae committant, exscindunt vepres, & dumos, & innata humo virgulta, stirpesque noxias tollunt, agrumque ab herbis nocentibus purgant; ne laetae segetes, ne fecundae vites, ne frugiferae arbores silvestrium germinum exuberante luxuriâ, vel crebris radicum fibris laedantur, opprimantur, enecentur; ita nos, qui adolescentes harum artium rudes, quae in hoc gymnasio addiscuntur, ad accipiendum ingenii cultum oratione non insalubri praeparamus, exstirpare radices vitiorum, delere ex animis inscientiae errores, inertiae stirpes radicitus execare debemus; ne surgentem virtutis, & Sapientiae messem strangulent, & eogant interire. Atque utinam ea omnia proferre, quae pertinent ad animos adolescentium erroribus liberandos, & ad studia litterarum acuendos, & praeparandos, me temporis angustiae paterentur; efficerem profectò, ut ne cupidis litterarum aut monitor fidelis, aut diligens recti monstrator, aut acer objurgator defuisse, nihilque e me, quod spectet ad mentes rectis opinionibus imbuendas, praetermissum esse videretur. Sed quoniam statuendus est sermoni modus, nec aures auditorum infinitâ oratione sunt onerandae; unum e multis eligam vitium, quo plerosque studiosorum video laborare; id carpam, id reprehendam, id ut fugiant adolescentes, etiam, atque etiam hodierno die monebo. Sunt enim multi, qui suos praeceptores nec indiligenter in scholis audiunt, nec infrequenter; & fortasse domi audita recolunt, & memoriâ repetunt; sed nihil ipsi comminiscuntur, & tanquam hirundinum pulli semper hiantes ea, quae acceperunt, transmittunt, & si verum fateri oportet, non satis concoquunt, quorum in auribus, non in mente habitat sapientia: nihil illis cum libris commercii est: aliquid per se conari, & excogitare, sermones inter se serere de eâ facultate, quam profiteri volunt, alias artes vel a primo limine salutare flagitium putant, & quum haec gymnasia silent, prorsus otiantur; nec unam, aut alteram diem sine lineâ, sed menses totos praeterfluere patiuntur. Horum ego languorem, & desidiam excitare conabor, ostendamque eorum ineptissimam studendi esse rationem; nec eâ quidquam praeclarum effici, aut ad aliquam Sapientiae laudem posse perveniri; nec solum praeceptores assiduè, & diligenter audiendos, sed multa privato studio meditando, legendo, commentando, aliorum sententiam inquirendo, disputando, scribendo esse addiscenda; si modò volumus, quam appetivimus, doctrinae gloriam nobis comparare. Nec me praeterit, Auditores, teneras adhuc adolescentium mentes, quae nondum studiis insueverunt, praeceptoris ope & praesidio semper indigere, nec quidquam posse conari ejus auxilio destitutas; & quemadmodum satae recena arbusculae, nisi pedamento fulciantur, rectae stare non possunt, & inclinantur, & distorquentur, & ventorum turbinibus convelluntur; ita animus adolescentis, qui prima doctrinae rudimen-

dimenta ponit, nec dum se confirmavit;
A nisi alicujus docti viri disciplinæ adhæreſcat,
& præceptis innitatur, non potest ad ma-
gna surgere, non potest a recto non aber-
rare; sed falsis opinionibus imbuatur, vel
rerum difficultate a studio deterreatur, ne-
cesse est. Non igitur jubeo Juvenes, an-
tequam initia artis, quam discendam susce-
perunt, & fundamenta cognoverint, sta-
tim suis viribus fidere, & legendis Au-
ctoribus ejus, quam ne primoribus quidem
labris degustarint, disciplinæ latebras, &
B penetralia perscrutari; tunc enim susci-
peretur omnis incassum labor, ipsique in
magnis versarentur erroribus, & non co-
gnitis principiis extrema consequi non pos-
sent; sed ubi paululum se corroborarunt,
tum verò auctor sum majora tentandi, nec
iis esse contentos volo, quæ a præcepto-
ribus acceperunt. Nec (mihi credite, A-
dolescentes) diu vobis tam molli, tam i-
gnavâ ratione, ut nihil nisi mollitum, su-
bactumque a præceptore in animum admit-
C tatis; alenda sapientia est, & ingenii vires
nutriendæ; nisi semper infirmis uti viri-
bus, semper tyrones esse vultis. Infantes
lacte nutrimus, quod genus alimenti leniſ-
simum animantibus ferè universis natura
comparavit, & si quid teneris ingerimus
cibi, mansum damus. Veruntamen non
longum tempus hoc genere victus eorum
vitam sustentamus; sed ubi paulum adole-
verunt, firmioribus uti cogimus alimentis,
& quæ majores vires desiderent; ut natu-
D ra consuescat etiam difficiliora concocta
in vitalem succum, nutrimentumque con-
vertere. Eodem planè modo suadeo vobis,
Adolescentes, qui ad jurisprudentiæ, vel
philosophiæ, vel medicæ facultatis, vel re-
rum divinarum studium novi prorsus, &
rudes accessistis; ut principio utamini ve-
lut molliore cibo sapientiæ, & nihil assu-
matis, quod non præceptorum industriâ,
& labore digestum vobis offeratur, & id
diligenti meditatione, ac summo studio con-
E coquatis; sed post breve tempus, quum in-
genii vires paulum susceperint incremen-
ti (nam citiùs, & facilius, ubi non deest
disciplina, animi robur, quàm corporis
convalescit) non vos quidem ea, quæ a
præceptoribus traduntur, negligatis, aut
relinquatis, volo; sed insuper adjungatis
assiduam lectionem Auctorum præstantissi-
morum, & commentandi, & disserendi la-
borem, & multa vestro marte reperiendi;
& velut validioribus alimentis, quam per-
F cepistis, doctrinæ copiam nutriatis, atque
augeatis. Nihil quippe ignavius, nihil tur-
pius, nihil homine indignius, quàm non
posse quidquam condiscere, nisi a præce-
ptore sæpius traditum, vel potius diù, mul-
tumque inculcatum; nam mutæ quoque
animantes, quibus deest intelligendi soler-
tia, monstrantibus magistris multa discunt,
quæ ab hominibus percipi, nisi longo stu- G
dio, & exercitatione non possunt. Ele-
phantos inter se gladiatorum more con-
currisse, & Pyrrhicam saltationem edidis-
se, & incessisse per funes Auctores non
contemnendi memoriæ prodiderunt, u-
numque ex his Græcarum litterarum ductus
didicisse: Sybaritas accepimus ita equos in-
stituisse, ut ad tibiarum, fidiumque can-
tum, quàm optimè saltitarent, quæ res e-
xitio Sybaritis fuit: Namquum bellum ge-
rerent adversùs Crotonienses, & cum ho- H
stibus dimicaturi in aciem copias eduxis-
sent; Crotonienses hujus rei non ignari
jussere tibicines, & citharœdos, quos de-
ditâ operâ in aciem secùm duxerant, in-
cinere modos, quibus hostium equos ad
ducendos choros incitari sciebant; quibus
illi auditis ad saltandum, tripudiandumque
conversi in Crotonienses dirigi non potue-
runt, sed dominos hostibus trucidandos
præbuerunt; ita Sybaritæ luxus immodici,
& deliciarum gravissimam pœnam depen- I
derunt. Jam luscinias audire magistras a-
ves, & earum cantum æmulari, & intelli-
gi profectum discentis, & docentis repre-
hensionem pervulgatum est, easdem & hu-
manum sermonem doceri; & ne suos In-
dia psittacos admiretur, omnes ferè aves,
quæ didicerant, verba reddidisse notum est
eruditis; nam & corvos, & turdos; &
sturnos, & cornices dociles ad loquen-
dum esse Veteres testatum reliquerunt. O
miram igitur vestram solertiam, o inge- K
nium sagax, o industriam singularem, qua
nihilo præstantiores eritis mutis animan-
tibus, quæ natura projecit ad pastum, at-
que libidinem; si nihil præter ea, quæ a
præceptore tanto labore, tantaque curâ tra-
duntur, addiscetis! Est verò cur glorie-
mini, cur vos gloriosè jactetis, cur ma-
gnificè circumspiciatis, quod non multo
bestiis ingenio, & industriâ præstetis; quin
istam animi mollitiem abjicitis, & vos ho-
mines esse meministis, & velle inter ho- L
mines cognitione rerum, solertiâ, ingenio,
perspicientiâ veri, prudentiâ tenere prin-
cipatum. Atqui id hominis maximè pro-
prium est, & præcipuè ejus, qui præstare
ceteris hominibus concupiscat; quum par-
va a Naturâ, vel a doctore doctrinæ semina
acceperit, ea sic augere studio, & industriâ,
ut brevi in ingentem sapientiæ messem a-
dolescant. Nam si ceteras animantes, &
homines contemplemur, id inter eos in-
teresse discrimen intelligemus; quod ce- M
teræ animantes quodammodo solertiores,
homines omnium rudes videntur a naturâ
procreari; sed illæ insitam a naturâ soler-
tiam non augent industriâ, nec per se quid-
quam ad vitam commodiùs traducendam
excogitant; hi verò, ubi accessit discipli-
na,

na, eò sapientiæ procedunt, ut similes
A Cœlestibus esse videantur. Hirundines, &
pleræque aves tanto artificio nidos con-
struunt, ut earum ars nullâ possit arte su-
perari: araneæ telas texunt tantâ solertiâ,
tantaque subtilitate, ut quum poëtæ earum
artificium mirarentur, tradere non dubita-
rint; id animal olim excellentissimam fuis-
se textricem, quæ Aracne diceretur, quæ
cum Minervâ de artis præstantiâ certave-
rit, & victa victricis irâ fuerit in animal
tam contemnendum conversa: apes do-
B cente Naturâ fingunt sexangulas cellas,
perinde ac si arcana geometriæ, quæ pauci
hominum vix assequuntur, suâ sponte per-
spexerint: Pompilus verò, qui facer pi-
scis appellatur, credi potest ostendisse ho-
minibus artem navigandi; nam emergit e
fundo Maris, & supinus natat, & duo bra-
chia subrigit, & membranam, quam inter
illa habet, miræ tenuitatis extendit, & eâ
utitur pro velo, ceteris brachiis remorum
vice, mediam caudam habet loco guber-
C naculi, quâ dirigit cursum; & quum sit
ipse navis, & remex, & gubernator velo-
cissimarum navium, & velis, remisque in-
citatarum celeritate non vincitur; &, ut
scias, tanquam invento suo, artificio gau-
dere navigandi, naves libentissimè comita-
tur, & in summâ aquâ alludens, quadam
cum nautis æmulatione contendit: testu-
dines autem origano sibi mederi traduntur,
mustelæ rutâ, quum angues comederunt;
leones, & tigres, & lupi inediâ valetudini
D suæ consulunt, quum se cibo nimium graves
esse intellexerunt. Quapropter Democritus
maximus auctor scientiæ naturalis, hirundi-
nes, & aves monstrasse nobis ædificandi,
araneas texendi, multas animantes meden-
di scientiam arbitratur. Sed neque hirun-
dines, neque aves, quæ quum nidificant,
tantâ utuntur arte, hanc tam admirabilem
solertiam aliis in rebus ostendunt; quin
hoc ipso artificio numquam sibi ædiculas
construxerunt, in quas quum se condide-
E rint, vitent nimium Solis ardorem, & ven-
torum turbines, & ruentes nimbos, & gran-
dinem, & nives, & frigorum magnitudinem,
quibus interdum enecantur: neque araneæ,
neque apes, neque pompili, neque testu-
dines, neque mustelæ, neque leones, &
tigres, & lupi, quam in uno opere præ-
seferunt, solertiam ad alias res transtule-
runt; nec aliquid adinvenerunt, vel in-
ventis addiderunt, ut facilè perspici possit
ea, quæ miramur, artificis, & providentis,
& sagacis opera naturæ esse, non animan-
F tis. Homo autem, quamvis omnis expers
artificii, omnisque scientiæ nasci videatur,
& nudus, & in nudâ humo abjici ad vagitum,
atque ploratum; tamen quum illud, quod-
cumque est, quod in animo latet, & do-
minatur, providum, sagax, acutum, solers
ad cogitandum, investigandum, imitandum
contulit, omnium vincit artes, quum a G
naturâ nullam acceperit, omnium solertiam
longo intervallo anteit, omnium aliorum
opera præ suis levia, & contemnenda esse
demonstrat. Quod divino consilio est a na-
turâ constitutum, ut animans ceterorum
princeps non aliunde penderet, & quæ ef-
ficeret, & moliretur, non a naturâ di-
dicisse, sed per se parere, & invenire vi-
deretur. Non dubito, Adolescentes, quin
hæc oratio, qua utor, si qua virtutis indo-
les in vobis resideat, quam esse maximam H
censeo, si quid animi, si quid ingenii est,
magnum sit apud vos pondus habitura.
Quis enim juvenes bonis artibus institutos,
liberaliter educatos, litterarum studiosos,
animi non jacentis, & ignavi, sed celsi,
& erecti malle bestiarum esse, quàm ho-
minum similes arbitretur? Atqui si non
excutietis intelligentiam vestram, si non
aliquid magno studio extundetis, quod
per vos partum esse videatur; si iis, quæ a
præceptore acceperitis, acquiescetis; quâ I
re mutis animantibus antecelletis? Nam
& illæ multa discunt, multa naturâ ma-
gistrâ callent; ab hominibus tamen vin-
cuntur, quòd homines naturam quodam-
modo vincunt, & in multis præceptorum
operam non desiderant; quamquam ego,
si bene indolem vestram novi, putaverim
vos, non quid belluæ, non quid vulgus
hominum efficere possit, spectare oportere.
Agite igitur in summorum hominum, ac
summis ingeniis præditorum exempla ani- K
mum, cogitationemque convertite. Num
putatis Platonem, quum Socrati principi
philosophorum se se in disciplinam tradi-
disset, ea tantum, quæ a Socrate accepe-
rat, tractavisse, nihilque aliud, quàm ea,
quæ a præceptore clarissimo, sapientissi-
moque audiverat, discendum, meditandum-
que putavisse? Ille verò, quum Socrates
tantùm de moribus disputasset, & quæ sunt
supra nos, ad nos pertinere negavisset, non
quidem reliquit morum disciplinam, quam L
de socratico fonte manantem plenissimè
hauserat, sed majora molitus tantam sa-
pientiæ supellectilem sibi comparavit, &
philosophiæ terminos tam longè, lateque
protulit; ut quum Socrates e Cœlo in ter-
ram devocarat, & in terrâ, & in Cœlo
philosophiam collocaret; immo Cœlum
cogeret transcendere, & in altissimâ di-
vini Numinis contemplatione versari; pri-
musque Sapientiam non mancam, & mu-
tilam, sed omnibus membris perfectam, om- M
nibus numeris absolutam, & omni insuper
ornatu conspiciendam, omni luce collu-
stratam, omni venustate, & pulchritu-
dine affluentem ostenderit Mortalibus,
& ejus incredibiles amores in hominum
pectoribus excitarit. Quid Aristoteles ejus

auditor, num præceptoris inventis acquievit? qui quum videret magnificentiam Platonis, & animi altitudinem minuta quædam reliquisse, relictum sibi campum putavit, in quo sua industria spatiaretur, & summâ cum laude elaboraret; itaque & animalium formas, & naturas, & mores, & genera, partesque descripsit, & disserendi rationem, & dicendi leges est diligentissimè persequutus. Quid Hippocrates, an ea tantùm didicit, quæ a præceptoribus tradebantur? qua igitur ratione quum medendi facultas antea in summâ obscuritate versaretur, nec post primos inventores in eâ arte quisquam ad nominis claritatem pervenisset, tantum profecit; ut & Clinicen condidisse dicatur, & medendi scientiam sic illustrasse, & perfecisse, ut tot homines doctissimi, qui postea tot sæculis floruerunt, nihil, quod ejus inventis adderent, invenirent; satisque magni, & præclari viderentur, si ejus assequi mentem interpretando potuissent; ipse autem a magnis Regibus, & nationibus accerseretur; nihilque magis Græciæ Barbaria, quàm Hippocratem invideret, idemque a Græciâ templis, & aris, tamquam medicinæ Deus coleretur? Cicero eloquentiæ latinæ pater, quum litteris inter æquales puer operam daret, tantum extemplo claritatis est assequutus; ut multi gravissimi fenes in scholam venirent, ut puerum de facie cognoscerent, qui Urbem ingenii sui famâ compleverat; non quia, ut opinor, præceptorem diligenter attenderet, memoriæque audita mandaret; nam multos in tanto nobilium adolescentulorum cœtu sub tam celebri doctore credibile est summam diligentiæ laudem esse assequutos; sed quia multa per se acutè excogitaret, multa suo marte solerter inveniret, & ingenio, & industriâ, & labore annos, & magistri disciplinam anteiret. Quàm verò semper cum iis ipsis certaverit, quorum præceptis instituebatur, declaravit, quum jam aliquantum ætate processisset, & Apollonio Molonis filio rhetorum clarissimo se recoquendum, & reformandum dedisset; quem ita dicendi copiâ, & orationis flumine perculit, obruit, obstupefecit, ut eo dicente diu immotus, & attonito similis consisteret, & Græciam victam Ciceronis eloquentiâ tristis, mærensque fateretur. Quum autem omnes viventes dicendi magistros longo intervallo superasset, etiam cum mortuis certamen instituit, eorumque virtutes mirâ ingenii felicitate expressit; & vim, nervosque Demosthenis, copiam Platonis, Isocratis jucunditatem est assequutus; ut ejus oratio nihil aliud, quàm ex omnium eloquentium virtutibus collecta perfectio videatur. Nec verò minores artifices ita præceptorum disciplinæ adhæserunt, ut nihil ipsi auderent contenti dictata magistri peregisse. Neque enim, si doctoris opera dumtaxat esset imitatus Apollodorus Atheniensis, primus gloriam penicillo contulisse diceretur: nec si Zeuxis Demophilum Himeræum tantùm esset sequutus, a quo præcepta pingendi accepit, ipsi magistro picturæ gloriam abstulisset: nec Apelles omnes prius genitos, futurosque postea artificio pingendi superasse diceretur, si Pamphilum præceptorem solùm, & non rerum naturam sibi proposuisset æmulandam. Est igitur tam segnis, tam ignava ratio studiotum relinquenda, vel potius detestanda. Quid enim inertius, quàm ex alterius ore semper sapere, nihil audere, nihil conari, nihil scitum loqui, nisi quod ex oratione præceptoris exceperis? Enimvero, qui utuntur hac ratione, similes mihi videntur concavis rupibus, quæ nullas, nisi quas acceperint, voces referunt; aut statuæ Memnonis, nam ut illa, nisi Solis radiis afflaretur, non loquebatur; sic ipsi nihil eloqui possunt, nisi præceptoris aspirante doctrinâ. Quanto satius est imitari fertiles agros, qui non tantumdem reddunt, quantum acceperunt, sed magno fænore semper augent agricolarum industriam; nec ulla ferè est tam infelix gleba, quæ non commissum semen multiplicet? in Ægypto autem cum centesimo fænore, in Byzacio Africæ campo cum centesimo quinquagesimo, in regione Babylonis cum ducentesimo terra frugem frumenti fundere memoratur. Quæ si tanta ubertas est in terrâ brutâ, quanto major erit in ingeniis, quæ e cœlesti manant origine, nisi per voluptatem, atque socordiam sterilescant? Non ignobiles auctores intelligendi bene, ac sapienter insitas animo notiones, insitum lumen ingenii, lumen prudentiæ igniculos nominarunt; quòd sicut ex exiguo igniculo, ex parvâ scintillâ, nisi ea sopita marcescat, nec materia desit, quam apprehendat, ingens incendium excitatur; ita hæc semina virtutis, & sapientiæ, quæ animis natura indidit, licèt ea parva, & obscura videantur, nisi desit disciplina, & ignaviâ hebetetur, & deteratur ingenium, brevi in immensum adolescunt, & ad frugem tanto incremento perducuntur, ut ipsi præceptores, ipse, qui protulit, miretur, & obstupescat; sed opus est non levi auditione, nec brevi studio, quod tantummodo dictata magistri consequi possit; opus est assiduo labore, opus est optimorum Auctorum lectione, opus est commentatione quotidianâ, opus est vigilantiâ, curâ, & disserendi, disputandique numquam intermissâ exercitatione. Quemadmodum non quolibet levi motu, sed celeri, & incitato ex accensis facibus igne jam langui-

guido flamma excitatur; ideo ab inge-
A nioso Poëtâ dictum est:

Vidi ego jactatas motâ face crescere flammas,
Et vidi nullo concutiente mori;

Ita non leve, non mediocre studium satis est ad animi igniculos excitandos, ut ex his clarum, & ingens virtutis, & sapientiæ lumen effundatur. Quod autem studium levius, quod segnius, quàm eorum, qui animo non nimis vacuo, & attento audiunt præceptorem interdum oscitantes; ac deinde postquam serò se domum receperunt,
B & paulisper animo audita volutarunt, ad nugas, & ineptias relabuntur? Et hac ratione putatis, Adolescentes, posse quemquam sui doctoris assequi scientiam, & ad excellentem sapientiæ laudem pervenire? Malè mehercules de vestrorum doctrinâ præceptorum, atque adeo de omnium doctorum hominum sapientiâ judicatis; si vos creditis paucis mensibus, quibus in hac urbe versamini, unius semihoræ spatio, quod vestris præceptoribus quotidie ad dis-
C ferendum tempus est constitutum, posse non indignos eorum doctrinâ auditores fieri, posse eorum similes evadere, posse non infimum inter litteratos locum obtinere. Septemdecim, vel, ut alii tradunt, viginti annos Platonem diligenter audivit Aristoteles; Zeno Cyttieus quum & Cratetis, & Stilponis, & Polemonis auditor fuerit, decem totos annos in scholâ Xenocratis consumpsit; & tamen illi, qui in gymnasiis consenescebant, qui non solùm
D magistros publicè disceptantes accuratissimè audiebant; sed etiam assiduè sectabantur, & ex familiari sermone, si quid memoriâ dignum videretur, excipiebant, & excerpebant; nisi suo marte multa reperissent, multa legendo, commentando, scribendo didicissent; quamvis & ingenio præstarent, & arderent studio sapientiæ, & nullius industriâ vincerentur, numquam ad eorum, quorum studia æmulabantur, gloriam, & doctrinam proximè accessissent; vos autem,
E qui tanquam ad mercatum veneritis, quum vix pedem in hac urbe posueritis, de reditu in Patriam cogitatis, & Ægyptii canis more, qui metu Crocodilorum currens e Nilo bibit, sapientiam quasi prætereuntes delibatis, sine assiduo studio, & diuturnâ exercitatione præceptorum gloriæ, & parentum, cognatorumque, & amicorum, & Patriæ votis vos responsuros existimatis. Erratis, Adolescentes, erratis, nunquam quum unum aliquem nobis proposuimus ad
F imitandum, licèt omnes ingenii nervos intendamus ad ejus præstantiam pervenimus; quum verò negligenter id facimus, nullo in numero habeamur, necesse est. Videte autem, quid ex hac ratione consequatur: si nemo discat, nisi quod a doctore suo acceperit, nemo ad ejus præstantiam aspirabit, sed ab eâ longo intervallo disjungetur; siquidem ex ingenti doctrinæ copiâ pauca G
quædam delibabit; ita semper suis auctoribus longè deteriores erunt, qui consequentur, & erit necesse litterarum studia

In pejus ruere, ac retro sublapsa referri;

Ac de nobis illa Venusini Poëtæ sententia verè poterit usurpari,

Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores mox daturos
Progeniem vitiosiorem; H

& res litteraria ad nihilum brevi redigetur; quod ne accidat, providete; sicuti Majores nostri olim providerunt, qui pulcherrima quæque semper augere studuerunt. Et quoniam non semper vobis præceptor aderit, cujus labore doctiores evadatis, & aliquando legendis Auctoribus, quam in scholis hausistis, erit augenda scientia, & multâ commentatione utendum, & hæc studendi ratio tam mollis, & I
supina relinquenda; nolite tempus illud expectare, quo multis negotiis implicati, rei familiaris curâ distenti, vix otium studio suppeditare poteritis; sed quod faustum, felix, fortunatumque sit vobis, nunc quum & otio abundatis, & aliis curis animus a studio non avocatur, & adest doctissimorum hominum copia, qui nodos omnes, qui in præclaris Auctoribus evolvendis vobis occurrerint, solvant, & disserendi, commentandi, disputandi vias monstrent; nullam discendi occasionem, nullam studendi K
rationem prætermittite. Multæ sunt viæ, quæ ducunt ad Sapientiam, multæ; non auribus tantùm ea percipitur, sed etiam oculis, & animo in se converso, & involutas rerum notiones explicante; nec solùm præceptoribus audiendis, sed & æqualium studiis æmulandis, & optimorum Auctorum dictis animo revolvendis, & scribendo, & disserendo. His igitur omnibus insistendum, & sicut qui Castellum, aut L
Oppidum in præcelso, & abrupto loco situm circumsidet, non unâ oppugnandi viâ, & ratione utitur; sed omnes tentat aditus, omnem circa locum omni arte lustrat, obit, pererrat, & variis assultibus urget obsessos, ut, quam aggressus est, arcem expugnet, & victor Oppido potiatur; ita vobis omnes perlustrandæ viæ, quibus ad editam Sapientiæ arcem pervenitur. Quod si hæc tantùm puerilis, & iners, & ignava discendi ratio vos delectabit, & semper auditores tantùm eritis, nunquam poteritis auctoritatem magistri, & Sapientis nomen, & vim obtinere.

ORATIO XXIX.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1705.

In solemni instauratione Studiorum.



Nobiles disciplinas etiam in medio bellorum ardore florere.

A NOn dubito fore plerosque, Præsul amplissime, doctissimi Patres, Auditores humanissimi, qui miserrimam horum temporum conditionem reputantes, justitium bonis artibus indicendum putent, & hæc mansuetiora studia ad tranquilliorem Reipublicæ statum reservanda; vel si hæc studia non improbent, certè despondeant animum, nec inter tantam vim armorum locum Musas habituras, aut sibi rerum scientiam profuturam arbitrentur. Quum enim
B ardere bello videant Europam ferè universam; quis honos, inquiunt, esse potest Musis, quæ simulatque classicum insonuit, conticescunt? quid commercii est Apollini cum Marte, Mercurio cum Bellonâ, Sapientiæ cum Furiis? quia res tam diversas, inter seque pugnantes conjunget, & copulabit? Maria prædonibus infestantur, consternuntur cædibus campi, immensam cadaverum stragem cruore, taboque infecta flumina vix eluctantur; vastantur agri, incenduntur villæ, excinduntur oppida, ex-
C pugnantur, & diripiuntur urbes; ubique terror, ubique minæ, ubique cædes, ubique rapinæ, furor, incendia, excidia, ruinæ, vastitates cernuntur; permissa sceleri licentia vis pro jure dominatur, jacent leges, æquitas contemnitur; nos autem sedebimus otiosi de apicibus juris disputantes, quid æquum, quid iniquum, quid honestum sit inquiremus; quum militum rabies, & belli furor omne recti, pravique discrimen confuderit? vacabit nobis oc-
D cultas naturæ vias perscrutari, & de rerum primordiis disceptare? vacabit de naturâ divinâ, & sempiternis, a materiaque secretis mentibus disserere, & ad contemplationem divinitatis assurgere; quum undique impendeant pericula, terrores intendantur? vacabit comere orationem, sollicitis esse de ambitu verborum numerosè cadentium, de concinnitate sententiarum; quum tubarum clangore aures pæne perstringantur, & hujus ætatis miseriis nihil, nisi inconditum, horridum, absonum convenire videatur? Quæ oratio ne quemquam vestrûm a studiis bonarum artium deterreat, mihi providendum est, & metus omnis, E qui fortasse nonnullorum mentibus insidet, planè evellendus; qui ne obstrepente armorum fragore Musarum voces non audiantur, neve in studiis frustra laborent, quum Mars non acumen ingenii, sed corporis vires, animique præsentiam desideret, pertimescunt. Quod assequi posse videor, si vobis ostendero etiam in turbidis Reipublicæ temporibus, etiam in medio bellorum ardore florere posse nobiles disciplinas, quarum studiis vos dedidistis. F Quod argumentum hodiernæ orationis dum conor explicare, vos quæso, obtestorque, ut vestræ benignitatis aurâ, quæ mihi nunquam defuit, dicentem sublevetis.

Age verò quoniam præteritorum temporum exemplis, de præsentibus quid judicandum sit, admonemur, & ab historiæ luce lumen in rebus obscuris plerumque mutuamur; memoriam vetustatis excutiamus, & an semper bellorum tempestates omnem ingenii florem extinxerint, G consideremus. Inter omnes ferè constat maximum bellorum, quæ in Græciâ gesta memorantur, Peloponesiacum bellum extitisse, quod viginti sex annos Græcorum opes labefactavit, afflixit, attrivit, evertit. Cujus belli quanta fuerit magnitudo vel ex eo intelligas, quod id Athenienses, & Lacedæmonii duo potentissimi populi, & tum maximè florentes opibus, & imperium Orbis terrarum affectantes tantâ contentione, tantâ pervicaciâ, tam discordibus H animis, tam odio inflammatis inter se gesserunt, ut id non posse finiri, nisi alterutrius gentis excidio appareret; & quod id bellum traxit in partes Græciam universam, & magnam partem Barbarorum, & ad arma Persarum potentiam latissimè imperantem concitavit. In eo quid sceleris prætermissum est, quæ clades illatæ florentissimis Rebuspublicis, quantum belli impietas, & Mortalium rabies debacchata est! opulentissimæ, nobilissimæque urbes par- I tim hostili odio, partim intestinis discordiis eversæ funditus conciderunt: violatæ aræ, templa profanata, sævitum in innoxios, proculcatæ leges, & jura sanctissima: virtutis nomen vitia sibi vindicarunt, laudata scelera, habita ludibrio pietas, fides, mansuetudo;

Omnia fanda, nefanda malo permixta furore.

Accessit his cladibus ingens pestilentia, quæ ex Æthiopiâ orta magnam terrarum K partem pervagata multis Mortalibus tæterrimo morbo absumptis in Græciæ viscera incubuit, & non minores calamitates attulit, quàm bellum: accessit sæpe fames: accesserunt æstus, & insolitæ aëris siccitates: accesserunt horribiles, & crebri terremo-

ræmotus, qui bello exhauſtas urbes fundi-
A tus everterunt. In tantis Græciæ miſe-
riis, in tantâ clade terrarum putares extin-
ctum omne lumen Sapientiæ, omnem lit-
terarum ſplendorem obſolevisse; præſer-
tim quum ſedes illa Sapientiæ, arx illa lit-
terarum, illud Muſarum ſacrarium, illa
Regia bonarum artium Athenæ diuturno
bello fractæ, & magnis affectæ cladibus,
emiſsâ libertate in triginta immanium Ty-
rannorum venerint poteſtatem. Sed quàm
aberrat a veritate judicium, quod non ex-
B perientiâ rerum, ſed ſolâ conjecturâ niti-
tur? immò verò nulla fuit ætas, quæ præ-
ſtantium ingeniorum proventu magis abun-
daret. Nam illud ſæculum & philoſophiæ
Socrates parens, & medicinæ princeps
Hippocrates, & Democritus maximus au-
ctor naturæ, verique, & hiſtoriæ clariſſi-
mum lumen Thucydides, & tragici co-
thurni decora Sophocles, & Euripides il-
luſtrarunt. Quin etiam Plato apex ille phi-
loſophorum & ardeſcente bello natus eſt,
C & ardente educatus, & eruditus; & tum
demum dicendi facultas cœpit lacertos mo-
vere, cœperunt oratores ad ſummam elo-
quentiæ præſtantiam aſpirare; quidquid
denique egregium Græcia peperit, aut illâ
ætate floruit, aut ortum eſt, aut altum, &
educatum;

Ex illo fluere, ac retro ſublapſa referri
Spes Danaum.

Nam poſterior ætas multum a ſapientiæ
D gloriâ, qua floruerat ætas illa maximis, &
violentiſſimis turbinibus agitata, defluxit;
ut ardor ille belli, illæ temporum difficul-
tates ingeniis quaſdam faces admoviſſe, &
multum luminis, & claritatis expreſſiſſe vi-
deantur. Quid in Latio fuit ne ulla ætas ma-
gis infeſta bellis & externis, & civilibus, &
ſeditionibus turbulentiſſimis, & ſceleſtiſſi-
mis conjurationibus, quàm ea, qua & ora-
toriæ facultatis, & poëticæ, & ſapientiæ lu-
mina effulſerunt? quis enim dubitat, quin
E ſublatâ Imperii æmulâ Carthagine, corruptâ
vetere diſciplinâ Romani cœperint, tanquã
deeſſent hoſtes, quos pertimeſcerent, a ſe
ipſis diſſidere, in ſe ipſos ſævire, & validas
vires in Patriæ viſcera convertere? Tum
eruperunt Saturnini furores, tum Graccho-
rum turbulentiſſima Reipublicæ admini-
ſtrandæ ratio, tum Carbonis levitas, tum
Cinnæ, tum Marii ſævus dominatus, tum
Syllæ crudelitas maximas Reipublicæ cla-
des attulerunt. Deus immortalis, quæ fuit
F illa tempeſtas, quis turbo, quæ perturba-
tio rerum! quum tumentibus diſcordiis ci-
vilibus Cimbrorum, & Teutonum, & Am-
bronum innumerabilis, & effera multitudo
tot cæſis Romanis exercitibus, tot fortiſſi-
mis ducibus profligatis, Galliis miſerandâ
clade vaſtatis Italiæ jam immineret? quum
tot Syllanarum, Marianarumque partium
duces inter ſe pluſquam civili odio decer- G
tarent; & Mithridates opulentiſſimus, &
bellicoſiſſimus Rex Orientis. Sertorius cal-
lidiſſimus, & fortiſſimus imperator Occi-
dentis extrema commoveret. Quid quum
Piratæ a freto Gaditano ad paludem Mæo-
ticam maria claſſibus infeſta haberent, ma-
ritimas regiones occupaſſent, mediterra-
neis terrorem intuliſſent, millenas urbes
poſſiderent? quid quum ſociale bellum e-
xarſit, quod tantum hauſit & Italici, & La-
tini ſanguinis, tot exercitus, tantoſque H
delevit, Italiam omnem infando ſcelere,
& ſtrage commiſcuit? quid quum Catilinæ
furor tot ſceleratorum manus in excidium
Patriæ armavit? quis unquam exiſtimaſſet
in Urbe tantis convulsâ turbinibus, in tan-
tâ temporum caligine ullum ingenii lu-
men elucere, aut bonas artes florere po-
tuiſſe; quæ otio, & tranquillâ Republicâ,
non furore, non bello delectantur? Sequu-
ta ſunt Cæſaris, & Pompeji bella civilia,
quæ totum Orbem terrarum concuſſerunt; I
nec extincto Pompejo ſedatus furor, ſed
latiùs per Orbem diſſeminatus. Deinde
ſublato conjuratorum manibus Cæſare ju-
dicatus hoſtis Antonius quanta incendia
belli civilis accendit? tum ad evertendam
Rempublicam, & ad extorquendam civibus
libertatem coiere tres illæ Patriæ peſtes Octa-
vianus, Antonius, Lepidus, qui Rempu-
blicam omni clade vexarunt, afflixerunt,
vaſtarunt, peſſumdederunt, clariſſimos ci-
ves trucidarunt; exiliis bene de Republi- K
câ meritorum hominum Orbem terrarum
impleverunt; omnium bona, fortunaſque,
quaſi quædam voragines abſorbuerunt: tum
ad bellum civile profecti Brutum, & Caſ-
ſium naufragia publicæ libertatis colligen-
tes, & ad bene ſperandum de Republicâ
ſignum tollentes ad indigniſſimam necem
compulerunt: tunc iterum Philippi Roma-
no ſanguine redundarunt, & extincta eſt
ſuccisis Reipublicæ nervis ſpes omnis li-
bertatis recuperandæ. Ecce autem aliæ L
clades; triumviri, quia infida eſt omnis
Regni ſocietas, inter ſe diſſentire cœperunt;
bellum ingens exortum, hinc Cæſare Ita-
liam, & omnes Occidentis provincias, illinc
Antonio totum Orientem ciente, quod ad
Actium ingenti Reipublicæ clade Antonio
ſuperato finitum eſt. Quid de Sexto Pom-
pejo dicam maris imperium ſibi vindican-
te, & fame urbem urgente? quid de acer-
biſſimis exactionibus tributorum, quibus
partium duces Orbem terrarum lacera-
runt? quid de ceteris humani generis pe- M
ſtibus loquar, quæ per ea tempora miſeras
gentes vexarunt, oppreſſerunt, perdide-
runt? Fateor, Auditores, mihi exilia, cæ-
des, proſcriptiones civium, direptiones
bonorum, ſceleſtiſſimas conjurationes, Ur-
bem

bem Orbis Reginam toties civili sanguine
A redundantem, bella socialia, bella civilia, bella externa, piratica, servilia, strages exercituum, clades Orbis terrarum cogitanti prodigio simile videri non omne litterarum, & doctrinæ decus occidisse; non infusam in Latium barbariem, non animos ab omni humanitate abhorruisse. Verumtamen rem multo aliter evenisse intelligo; nam ab excidio Carthaginis ad Actiacam Augusti Cæsaris victoriam paulo plures centum annis defluxerunt; quo spatio
B temporis & ortæ sunt in Latio, & perfectæ omnes ferè disciplinæ. Plerique Scriptorum, quos Roma opponit Græciæ insolenti, aut eo sæculo floruerunt, aut studia sua proferre cœperunt. Nec Græcia caruit præclaris viris, qui rebus afflictis Græcorum florentis Græciæ gloriam æmularentur; mitto res Græcas, & Romanas, ad nostras venio. Posteaquam excusso Barbarorum jugo Italia respiravit, & omnes Italiæ urbes vel se in libertatem vindica-
C runt, vel suis Regulis paruerunt; Etruria parens nostra in multas divisa Respublicas, & a se ipsa diffidens maximè bellis intestinis, optimorum civium exiliis, & crudelissimis cædibus, & conjurationibus laboravit; nec unquam, nisi quum pertæsa suæ libertatis in unius Principis ditionem, potestatemque concessit, a tantis malis conquievit; & tamen eâ tempestate, qua alia ex aliis bella oriebantur, & ferè continentibus malis ea premebatur, post depulsam
D beneficio virorum maximorum barbariem totum Orbem terrarum sapientiæ gloriâ provocavit. Nam ut de ceteris nihil dicam, una mehercules florentina civitas omnes Europæ urbes longè Scriptorum copiâ, excellentiaque superavit; nec postea quam principatu constituto summa rerum tranquillitas consequuta est, in altissimo otio, in pace securâ superiorum temporum, quæ sævissimis bellorum procellis, & seditionum fluctibus redundarunt,
E gloriam potuit adæquare. Non igitur bella tam infesta sunt Musis, ut bellicum canente Bellonâ earum cantus conticescant; nec Sapientiæ studia audito clangore tubarum statim relanguescunt; immo videntur, ut equi generosi, classico excitari; & Sapientia, quæ ad asperrima quæque rerum perferenda nos armat, difficultate temporum non deterretur, sed confirmatur. Quod quum Veteres animadverterent, viderentque posse coire Sapientiam cum Marte, posse & bella geri, & studia coli; candem Deam & bellis
F præesse, & doctrinæ, eandem & artes, & belli administrandi rationem invenisse voluerunt. Quapropter laudatur Lycurgus, quòd instituerit, ut duces, antequam prælium inirent, Musis immolarent: laudatur Quinctus Fulvius Nobilior, qui spolia Martis Musis consecravit; non enim tantum dissidium est inter bellicas artes, & studia G
cognitionis, quantum nonnullis videtur, & in idem tempus possunt convenire; & quid in idem tempus dixi? in eundem hominem cadunt. Quid hîc ego commemorem Xenophontem solertissimum, & planè mirabilem ducem socraticis philosophis omnibus excepto Platone præstitisse? quid Periclem non magis eloquio, quàm bello creditum fulminare? Melissum & classibus magnâ cum laude præfuisse, & sapientiæ, & doctrinæ gloriâ floruisse? Alcibiadem H
socraticis sermonibus eruditum ceteros ejus ætatis duces magnitudine rerum gestarum, & scientiâ rei bellicæ longè superasse? Catonem Censorium & summum imperatorem, & summum oratorem extitisse, & in omni genere doctrinæ, ut illis temporibus, perfectum fuisse, & perpolitum? Scipionem Polybio historico doctissimo, & philosopho præstantissimo semper usum comite, & præceptore? Non onerabo aures vestras exemplorum copiâ, duos I
eligam imperatores, qui omnibus omnis ætatis ducibus obscuritatem propemodum attulerunt, Alexandrum, & Cæsarem. Num Alexandrum bella, quibus tot indomitas nationes in suam potestatem redegit, & Orientem totum usque ad Hypasin flumen victoriis peragravit, a Musarum complexu abstraxerunt? ille verò & poëtas omnis generis habuit in deliciis, & historicos fovit, & regiâ liberalitate complexus est, & philosophos libenter audivit, qui K
plurimi ejus exercitum sequebantur; nec Græcorum sapientiâ contentus Indorum doctrinam appetivit, & eorum sermonibus aures diligenter dedit; tot denique circa se habuit doctissimos viros, & in omni scientiæ genere perfectos, ut ejus castra non solùm Martis palæstra, sed Musarum, & Sapientiæ domicilium viderentur. Cæsar autem, qui in maximis, & periculosissimis bellis ætatem contrivit, qui Macedonis magnitudinem rerum gestarum adæ- L
quavit, rei militaris peritiam vicit, adeo non abhorruit a litteris, ut scriptis immortalibus editis æternam sit gloriam consequutus, ac dubium reliquerit, utrum eloquio, an armis major fuerit; elegantiùs libros conscripserit, an castris locum ceperit; exquisitiore artificio bella gesserit, an gesta litteris mandaverit. Quod si fortissimi bellatores in medio Martis ardore, in ipso pæne procinctu vacare doctrinæ studiis, & immortalem ingenii laudem sibi M
comparare potuerunt; quis mihi non dabit posse homines, qui numquam castra viderunt, nunquam classico sunt excitati, quantumvis toto Orbe sævientibus bellis, quantumvis turbidis Reipublicæ temporibus, proferre in lucem studia, & ad summam

mem Sapientiæ præſtantiam aſpirare? At-
A que ego haud ſcio, an non hæc tempora,
quæ belli terroribus perturbantur, aptiora
ſint Muſis, quàm ea, quæ tranquillâ pace
perfruuntur. Nam tranquillitas rerum o-
tium parit, otium inertiam, inertia luxum,
& abundantes voluptates, abundantes vo-
luptates omnem Sapientiæ curam, omnem
laudis cupiditatem ex animis exterminant.
Cavete, putetis, Auditores, ullam peſtem
Sapientiæ eſſe majorem deliciis, luxu, ſtu-
dio voluptatis. Non infeſtius bellum infe-
B runt Muſis hoſtiles exercitus, non tormen-
ta Patriæ muris admota, quàm nimiæ vo-
luptates. Ex Patriæ excidio Stilpon omnia
bona ſua, videlicet ſapientiam, bonas ar-
tes, animum in utraque fortunâ æquum
efferebat; ſi ejus animum voluptas expu-
gnaſſet, his omnibus bonis excidiſſet. Non
querebatur Plato, quum Athenis ageret,
a ſuis civibus quotidie nova bella ſuſcipi,
infeſta ſigna ab hoſtibus inferri Patriæ;
querebatur, quum Syracuſis degeret, de
C luxu, deliciiſque Syracuſanorum: accuſa-
bat Siculas menſas: accuſabat Siculorum
voluptates; quia non bella ſapientiam læ-
dunt, ſed prava exempla luxuriæ, ſed cor-
rupti mores, ſed animi civium voluptati-
bus liqueſcentes, & mollitie diffluentes.
Itaque Sybaris luxu perdita civitas nullum
ſapientiâ clarum civem, urbes bellicoſæ
multos extulerunt; nam ſtudium doctrinæ
nihil habet commune cum ignaviâ, cum
bellicis laboribus multa. Quapropter non
D modò artes ſeveriores, verùm etiam poë-
tica militia appellatur; tam enim bellato-
rum laurus, quàm Sapientum ſudoribus
irrigatur, & adoleſcit: tam milites vigi-
lant, ut excubias agant, ut hoſtes nec
opinantes adoriantur, quàm ſtudioſi lit-
terarum, ut excutiant ex animo omnem
ignaviam, ut rerum pulcherrimarum ſcien-
tiam venentur; illi gloriæ cupiditate ad
aſperrima quæque perferenda accendun-
tur; hi ad ardua tentanda iiſdem ſti-
E mulis incitantur: illis manu, & forti-
bus factis; his ingenio, & ſapienter dictis,
& vitâ eleganter actâ nominis immortali-
tas comparatur: illi doctis viris materiam
ſcribendi rebus fortiter geſtis, & ſtrenuâ
virtute ſuppeditant; hi res præclarè geſtas
celebrant ſcriptis immortalibus. Idcirco
fortiſſimi bellatores doctorum hominum
ſcientiam, & eloquentiam ſemper adama-
runt, ſemper ſibi diſertiſſimos viros devin-
cire ſtuduerunt, ſemper donis, & omni
F honoris, & officii genere coluerunt. Eſt
ergo quædam ſocietas, quædam amicitia
Sapientiæ cum Marte; nec apertis Jani
portis Parnaſſi fores occluduntur. Quam-
quam quid ego tamdiu ſic ago, tamquam
Etruriæ campos hoſtilis exercitus popule-
tur; tamquam Tyrrhenorum urbium mu-
ri bellicas machinas pertimeſcant, & no-
ſtras aures claſſicorum murmur circumſo- G
net? non dico divini Numinis beneficen-
tiâ, & noſtri Principis providentiâ Etru-
riam ferè ſolam circumſonante bellorum
procellâ, pace tranquillâ frui, & imper-
turbatâ ſerenitate? Omnes circa regiones
vel belli turbine afflantur, vel prorſus per-
fundantur; Etruria ſola expers omnium
tempeſtatum, expers communium malorum
conquieſcit; & quemadmodum mari ven-
tis agitato fluctus, ubi ad litus pervenerunt,
infringuntur, & quamvis ex alto ferri vide- H
antur, tamen terræ non ſuperfunduntur; ita
belli hujus tempeſtas, quamvis nobis etiam
minetur, & ſe Etruriæ campis infuſura vi-
deatur; tamen ubi noſtros fines attigit,
frangitur, & quaſi veretur perturbare ter-
ram paci, & bonis artibus conſecratam.
Ut olim Delos irruentibus in Græciam
Perſis ab illo diluvio, quod ceteras regio-
nes inundaturum videbatur, propter loci
ſanctitatem intacta permanſit; ita Etruria
propter juſtitiam Principis, & animi æqui- I
tatem in hoc turbine, qui finitimas terras
afflavit, audit fragorem belli, non clades
experitur. Quo fit, ut id tempus aptiſſi-
mum ſtudiis litterarum eſſe videatur; nam
belli circumſtrepentis minæ aſtringunt di-
ſciplinam, nec ſinunt diffluere animos
nimiâ tranquillitate, & non perturbant
quietem, quam ſtudia deſiderant. Quare
agite, Adoleſcentes, (vos enim extrema
jam compellat oratio) qui in hoc Sapien-
tiæ ſacrarium conveniſtis, uſi temporis op- K
portunitate animos ad magna ſurgentes ex-
citate, & timorem, ſi quem concepiſtis,
deponite. Aut otium, quo fruimur, bel-
la non perturbabunt, aut ſi perturbave-
rint, quod Deus avertat, nihilo ſecius
licebit ad altiſſimum Sapientiæ faſtigium
pervenire; quemadmodum, & Veteres il-
li quorum ſcientiam admiramur, & Majo-
res noſtri pervenerunt. Ac mihi quidem
horum temporum conditionem animo re-
petenti vos electi divinâ providentiâ vi- L
demini, qui Muſas ab omni calamitate in-
columes conſervetis. Nam & his eſtis in-
geniis præditi, quæ ad bonas artes colen-
das, celebrandaſque ſunt maximè accom-
modata; & in ea Patriâ nati, quæ non ſo-
lùm cuſtodire, & augere priſtinum ſplen-
dorem litterarum, ſed prorſus extinctum
potuit inſtaurare; & in eâ regione ætatem
agitis, quæ nullâ belli tempeſtate concuſſa
pacis alumnas artes fovet, & ad ſe, ne a-
liquo belli incommodo afficiantur, vide- M
tur invitare. Ad vos ergo Martis terrore
perculſæ confugiunt Muſæ, & ſupplices
manus tendunt; has excipere, has ample-
cti, has fovere debetis, his immortalem glo-
riam comparare. Alii rebus bello præcla-
rè geſtis laudem ſibi quærunt ſempiternam;
vos

vos eâ viâ, quæ sola vobis patet, & certè
A minùs est incommoda, & periculosa, bo-
narum artium studiis ad summam amplitu-
dinem, & æternum decus contendite.
Quod ut animo alacriore faciatis, affulsit
vobis ex Germaniâ salutare Sidus, cujus desi-
derio tenebamur, Princeps humanissimus,
qui hæc gymnasia tuetur, & illustrat sui
nominis claritate; huic debetis hoc velu-
ti pensum industriæ, & diligentiæ vestræ,
ut appareat, quemadmodum benefico si-
dere exorto omnia recreantur, & quasi de-
posito senio juvenescunt; ita hujus præ-
sentiâ hæc gymnasia augeri, illustrari, ad
summam claritudinem efflorescere.



ORATIO XXX.

HABITA PISIS KAL. NOVEMB. ANNO 1706.

In solemni instauratione Studiorum.

Nobiles disciplinæ, quo minùs in pretio habentur, eo intentiùs excolendæ.

SEmper ego, Præsul amplissime, do-
B ctissimi Patres, Auditores ornatissi-
simi, laudandum esse duxi mo-
rem, institutumque Majorum, qui
antequam studia vertentis anni in-
choëntur, eam orationem haberi volue-
runt, qua Adolescentes, qui in hoc cur-
riculo laudis, atque gloriæ versantur, ad
amorem litterarum, & Sapientiæ exciten-
tur. Nam si duces imminente Martis di-
scrimine priusquam acies inter se concur-
rant, sibi milites alloquendos, & ad vir-
C tutem verbis accendendos putant; quan-
to magis nobis convenit, qui ad scien.
tiam rerum, & eloquentiam duces esse vo-
lumus, antequam litteratum certamen inea-
tur, Juvenes, qui Musarum militiæ nomi-
na dederunt, ad subeundos alacriter, &
magno animo labores accuratâ oratione
cohortari? Sed licèt multum prosit adhor-
tatio, non minùs tamen prodest sermo ad
evellendas opiniones, quæ animorum ardo-
rem, & setem illum impetum extinguere,
D & retardare possunt, accommodatus. Quo
genere sæpe sum usus orationis, & occur-
ri nonnullorum sermonibus, qui doctorum
hominum gloriæ invidentes ab industriâ
studiosos deterrere conantur, & in otium
tradere; & omnes opiniones confutavi,
quæ vestris, Adolescentes, progressibus,
quasi quædam salebræ opponi, atque ob-
stare videbantur. Qua quidem in re pru- E
dentes imperatores videor imitatus; nam
quemadmodum illi castra moturi munito-
res præmittunt, qui lacunosa compleant,
confragosa complanent, expediant impe-
dita; quo faciliis ad expeditionem profe-
ctis copiis, & expeditus transitus præbea-
tur; sic ego, quò vos ad illum doctrinæ
apicem, quò tenditis perveniretis, si quid
asperum occurrere videretur, verbis mol-
livi; si quid arduum, & confragosum, pla-
num feci, omnia impedimenta removi, F
pravas opiniones, quæ detorquere solent
a studio mentes, & erroribus implicare, tan-
quam virgulta, stirpesque molestas glorio-
si itineris moras radicitus extirpate cona-
tus sum. Veruntamen ad hanc usque diem
mihi facilis fuit, & expedita dicendi ratio;
quid enim negotii est cogitata stultorum
refellere, improborum calumnias confuta-
re, redarguere vulgi mendacia, quæ erro-
re multorum valent, non ullâ specie veri-
tatis? nunc mihi opus est vestrâ sapientiâ, G
Auditores; opus est eo, quo polletis acu-
mine vera a falsis discernendi. Occurren-
dum est enim querelæ non imperitorum, sed
Sapientium, quæ non sermone multitudi-
nis indoctæ, sed doctorum hominum voci-
bus affirmatur; nec vanis otiosorum fabu-
lis vera creditur, sed experientiâ rerum
comprobatur. Accusant plerique nostro-
rum temporum iniquitatem: aversas ab
amore liberalium disciplinarum Procerum
mentes conqueruntur: non eadem, quæ H
quondam, proposita esse bonis artibus præ-
mia, nec opibus augeri præclara ingenia,
nec honoribus, nec dignitate, nec gloriâ
honestari jure, ac meritò indignantur.
Quorum sermonibus multi in eam senten-
tiam adducuntur, ut ineptum putent, &
stultum in cognitione rerum tantum ope-
ræ, studiique consumere, aspernari animo
omnes voluptates, & in disciplinis non
profuturis dies, ac noctes elaborare. Qua-
propter ad alias artes minùs laboriosas, sed I
magis pecuniosas animum convertendum
disputant, aut vitam otiosam, & inertem
amplectendam, & hauriendas animo, &
corpore, quas possumus, voluptates. Ho-
rum mihi sermones hodierno die confu-
tandi, & animi adolescentium vel in hac
iniquitate temporum ad amorem laudis, &
doctrinæ studium sunt excitandi, pugnan-
dumque cum opinione inveteratâ, quæ
multorum mentes occupavit.

Sed quid agam, Auditores? quò me ver- K
tam? negemne fuisse quondam majora do-
ctorum virorum industriæ præmia consti-
tuta? negemne solitas antiquitus præcla-
ras disciplinas in illustriore gloriæ, & di-
gnitatis luce versari? utinam negare pos-
sem! Contendam his temporibus perinde,
ut de-

ut debent, in pretio eſſe litteras? eonten-
A dam principea viros ardere ſtudio Reipu-
blicæ litterariæ juvandæ, augendæ, promo-
vendæ? utinam poſſem eontendere! ſed
abierunt illa tempora, quibus litteræ pro
infulis erant, & earum ſtudioſi vulgo ſa-
cri, ac venerabiles habebantur; & excel-
lenti ingenio, & doctrinâ viri Regum obſe-
quia merebantur, & Sapientia cum poten-
cia de principatu contendebat. Heraclitus
magni Regis Perſarum amicitiam, & dona
deſpexit: Empedocles ultro delatum Re-
B gnum recuſavit: Socratem Reges, & cla-
riſſimarum Urbium Principes viri ad ſe
certatim accerſebant: Platonem quæ gens
non coluit, quæ non admirata eſt? quot,
& quàm inſignes urbes eo legumlatore, &
morum moderatore uti voluerunt? Zeno-
nem Athenienſes tantopere ſuſpexerunt,
ut & aureâ coronâ publico decreto coro-
narent, & urbis portarum claves Zenoni
ſoli crederent. Hunc Antigonus Macedo-
niæ Rex, quotieſcumque ſe Athenas con-
C tulerat, dicentem tanquam unus ex diſci-
pulis audiebat; hunc, ut ad ſe veniret, &
ſecum Regni bonis frueretur, nunquam de-
ſtitit invitare. Jam verò plerique nobilium
poëtarum Regis alicujus familiaritate, & a-
micitiâ floruerunt: Anacreon apud Polycra-
tem Sami Tyrsnnum gratiâ plurimum va-
luit: Simonides. & Æſchylus fuerunt in-
timi Hieroni Regi Syracuſarum: Dionyſius
Philoxeno uſus eſt valde familiariter: An-
tigonus Antagoram Rhodium, & Solenſem
D Aratum amicitiâ complexus eſt, Euripidem
Archelaus: Alexander ille Magnus circa
ſe habuit poëtarum, & philoſophorum, ſcri-
ptorumque omnis generis greges, quos
omnes, & honoribus extulit, & ſuæ ma-
gnitudini congruenter ditavit. Quid hîc
ego dicam Ennium Scipionum familiarita-
te non minùs, quàm gloriâ carminum in-
claruiſſe? Polybium Africani amicitiâ mul-
tum potuiſſe, quem omnium conſiliorum,
& rerum gerendarum auctorem habuit A-
E fricanus? Panætiumque præſtantem inpri-
mis philoſophum ejusdem viri potentiâ ad
ſummam claritatem perveniſſe? Virgilium
centies ſeſtertiûm ex amicorum liberalita-
te poſſediſſe, & nihil unquam ab Augusto
popoſciſſe, quod non impetrarit? ejusdem
Principis fuiſſe delicias Horatium vatem
latinæ lyræ præſtantiſſimum lumen? Sene-
cam ter millies ſeſtertiûm paucis annis
Neronis beneficio congeſſiſſe? Dionem
Chryſoſtomum a Trajano Principe omni
F honoris genere cumulatum? Oppianum
ab Antonino Pio Staterum aureorum vi-
ginti millia pro totidem verſibus donum
accepiſſe? Auſonium poëtam præſtantiâ
carminum, ut illis temporibus, clarum ad-
motum regendæ Gratiani Cæſaris juventu-
ti ad conſulare faſtigium perveniſſe? Mit-
to quorumdam oratorum immenſas opes
non aliâ, quàm dicendi, facultate compara- G
tas; qui & florente Republicâ floruerunt,
& per omnes honorum gradus ad altiſſi-
mam in terris eâ tempeſtate conſularem
dignitatem aſcenderunt; & in Cæſares
translatâ Senatus, Populique Romani pote-
ſtate inſignem potentiam, excellentem di-
gnitatem ſunt conſequuti: mitto Jurecon-
ſultorum prudentiam honoribus decora-
tam, auctam divitiis, nec indignam habi-
tam, quæ Orbis terrarum Imperio potire-
tur. At his temporibus quantum, Deus H
immortalis, abſumus a Veterum ſapientiâ,
qui ſtudia litterarum ſacra, & omni vene-
ratione digniſſima putaverunt? Qui rerum
potiuntur omnem curam juvandi per bo-
nas artes Mortales abjecerunt: artifices in-
dagandarum voluptatum, augendi luxus,
novarumque deliciarum inventores Sapien-
tium præmia occuparunt: ſuperbia, & fa-
ſtus inſignia, & ornamenta ſummæ potentiæ
non præclara ingenia, non impenſius culta
Sapientia, non auctus præſtantium doctrinâ I
virorum chorus exiſtimantur. Manavit hæc
peſtis latiùs, & omnium ferè mentes affla-
vit, infecit, corrupit, peſſumdedit; quis
non Sapientiæ divitias anteponit? quis in-
duſtriam ſuſpicit, doctrinæ ſtudium admi-
ratur, beatos eſſe cenſet eos, quos elo-
quentium, & doctorum hominum voces,
& ſcripta laudibus in Cœlum extulerunt?
quis inventa Sapientiæ aliquo præmio affi-
ciendа exiſtimat? quis inventores colit,
quos Antiqui Deorum immortalium hono- K
ribus conſecrandos judicarunt? quis non
deliciis affluentem, & otioſam vitam actæ
per bonas artes eleganter vitæ præferen-
dam putat? Quin etiam tantùm invaluit
bonarum artium contemptus, tanta eſt in-
ſcitia ſæculi, ut nonnullos propè pudeat
ingenuas artes didiciſſe; nonnulli de ſuâ
inſcitiâ glorientur, & doctos vix ab im-
peritorum riſu defendamus. Vereor, Au-
ditores, ne mei muneris oblitus eam ha-
bere videar orationem, quæ pertineat po- L
tius ad deterrendos juvenes, quàm ad co-
hortandos; ſed ignoſcite, quæſo, non po-
tui mihi temperare, quominus inveherer
in quorundam ſtuporem, qui magiſtras of-
ficii, prudentiæ duces, morum emenda-
trices, ornamenta pacis, ſubſidia belli, ſo-
latia rerum adverſarum, ſecundarum oble-
ctamenta litteras aſpernantur; quæ ſolæ
non ſolùm vitam exornant, ſed poſt inte-
ritum immortalitatem quandam rectè factis
largiuntur, vitiis verò infamiam, & dedecus M
pariunt ſempiternum; ſimul ſum arbitratus
majorem viſum iri liberaliſſimarum gloriam
diſciplinarum, ſi in hac quoque temporum
caligine ipſas elucere; ſi barbsrie, & in-
ſcitiâ dominante, ac tam averſis ab earum
ſtudio animis Mortalium colendas eſſe o-

stendissem. Neque enim propter sæculi stul- A titiam, & nonnullorum ineptiam abjiciendum studium litterarum; sed tanto acriùs in id incumbendum, quanto difficiliùs hoc tempore, quàm antiquitus, ad gloriam, & nominis claritatem, & Sapientiæ præmia pervenitur. Non enim mediocri scientiæ laude superandum est hoc, quo plerique omnes laborant hac ætate, artium laudatarum, doctrinæque fastidium; opus est eâ in studiis præstantiâ, quæ incurrat in oculos etiam Sapientiæ lumen aversantium. B Qua tempestate homines bonas artes diligebant, etiam qui non multum profecerant, laudabantur, & magna operæpretia merebantur; nam quemadmodum qui fame laborant, etiam vilissimos cibos, & mali saporis appetunt, avidissimeque transmittunt; saturi, & fastidientes vix exquisitis, & delicatissimis epulis delectantur; ita qui litteras amant, qui desiderio flagrant disciplinæ, vel mediocriter doctorum industriam comprobant; qui non admodum C admirantur, vel fastidiunt, non possunt nisi inusitatâ, & excellenti ingenii, doctrinæque magnitudine, & varietate, & copiâ commoveri. Sylla dicitur in medio ardore belli satis liberaliter mali poëtæ versus remuneratus: Metellus Pius aures dedebat Cordubæ natis poëtis pingue quiddam sonantibus, & peregrinum: Alexander Chœrili poëtæ ingenio capiebatur, Chœrilum magno auri pondere collocupletandum putavit, quem Horatius risu dignum fuis- D se, non præmiis arbitratur. Quàm multos antiquitus credimus extitisse, qui phisophiam habitu mentirentur; nec moribus, nec scientiâ rerum philosophi gravitatem, & excellentiam sustinerent? Cicero in eo libro, quem de claris oratoribus conscripsit, animadvertit omnes ferè, qui dicendo populum tenere, & in oratorum numerum venire potuissent, non mediocres honores, sed maximos, ædilitatem curulem, præturam, consulatum, sacerdo- E tis populi suffragiis consequutos. His autem temporibus mutata ratio est, excellat oportet, & omnibus numeris absolutum habeatur, quod sæculi fastidio comprobetur; Sapientia, & Musæ raros hac tempestate habent amatores, qui paucis maculis non offendantur; qui, quæ vitiosa sunt, nomine virtutis affinis appellent; qui si quid adest boni, admirentur, si quid abest, æqui, bonique faciant. Adnitendum est igitur, & omni ope laborandum, ut nos F vulgo eximamus, ut ea, quæ prima Mortales putant, assequamur; neque enim tam jacent litteræ, tam contempta Sapientia est, ut ex earum studio nulla prorsus utilitas consequatur; est aliquis bonis artibus honos, quarum splendor lucet ipse per se se, & oculos ad se convertit, & ad amorem sui rapit etiam reluctantes. Quare non ideo minus urgendum propositum, quia mi- G nùs gloriæ, minùs honoris, minus opum, & potentiæ, quàm olim studiosis proponatur; immo majore nisu contendendum est, quia & magis ardua vis est, quæ ducit ad gloriam, & satis adhuc claritatis, & famæ, satis etiam præmiorum bonis artibus comparatur; quæ possunt quemlibet, quantumvis inertem, ad laudem excitare. Non est necesse exemplis uti præsentibus; vobis, Auditores, sponte magnus eorum numerus occurret, qui hodie quoque litterarum be- H neficio & famam, & decus, & dignitatem, & non mediocres divitias, & amicitiam Principum virorum sibi compararunt. Quamquam is est Sapientiæ splendor, ea nobilium disciplinarum, quibus dediti sumus, pulchritudo; ut etiamsi nullam nominis claritudinem, nullam apud homines commendationem, nullas potentiorum familiaritates, nullum commodum vitæ promitterent, per se expetendæ esse videantur. Veteres illi, qui primi ad investigatio- I nem veri, ad rerum cognitionem sunt excitati, nihil de suo lucro, nihil de amplitudine fortunæ, nihil de commodis cogitarunt; sed quum Cœlum aspexissent signis fulgentibus mirâ varietate distinctum, & illuminatum; quum Solem, & Lunam, & ceteros ignes errantes modò depressos, & humiles, modò sublimes ferri observassent, & quotidie nasci, quotidie occidere; quum Siderum choros planè mirabiles intuerentur; quum ventorum vim, imbrium, K & tempestatum, & grandinis, & nivis, & fulminum, & ignium in sublimi nascentium & vel ad longum intervallum permanentium, vel per inane discurrentium, & statim evanescentium speciem animadvertissent; quum rerum, quæ solo continentur, ortum, & interitum, quum fluminum, & fontium perennitates, quum metallorum, quæ eruuntur e terrâ, copiam conspexissent; incensi sunt incredibili cupiditate tot, tantasque res cognoscendi; L nec priùs ab incepto sanè quàm laudabili destiterunt, quum omnium immemores pulcherrimarum rerum studio immorerentur, quàm eorum, quæ videbant, aut veram, aut saltem probabilem rationem reddidissent, & ceteris Mortalibus tradidissent. Ita ex admiratione rerum nata philosophia est; ex philosophiâ ortæ sunt omnes artes liberales, & disciplinæ; ex disciplinarum pulchritudine originem duxit hominum admiratio, & amor erga litte- M ratos; qui tantam ingenii præstantiam colendam, ad amplissimos honorum gradus promovendam, divitiis cumulandam putaverunt. Ceterùm tantum aberat, ut prisci illi Sapientes, his rebus externis moverentur, & quidquam præter Sapientiam ducerent

rent

rent expetendum; ut multos & abjecisse
A divitias constet, & honores contempsisse,
& imperia, & regna repudiasse. Nec mi-
rum; tantâ in agitandis animo, versandis-
que rationibus dulcedine animus rationis
compos afficitur, tantâ voluptate perfun-
ditur in tractatione artium pulcherrima-
rum, ut doctrina, & litteræ se ipsis conten-
tæ esse posse videantur. Herillus philoso-
phus non ignobilis in cognitione rerum
summum bonum collocavit; & saoè scientia
simile quiddam est illi præstantissimo, & ex-
B tremo bonorum, in cujus possessione fe-
licitas ponitur; quò omnia referuntur, ip-
sum verò non aliò refertur, & per se est
expetendum. Nam scientia per se expeti-
tur; omnes enim suapte naturâ, licèt nullâ
utilitate propositâ, cognitionis incendun-
tur cupiditate; & si cum ceteris bonis com-
paretur, videtur esse præstantissimum. Nam
divitiæ quidem non propter se, sed pro-
pter vitæ commoda, propter splendorem,
propter voluptates, quas afferunt, appe-
C tuntur: fluxæ sunt voluptates, & in vilis-
simâ nostri parte cernuntur: pulchritudo,
ut ajebat Bion, est alienum bonum, & ci-
tò vel tampore consumitur, vel morbo
contabescit: robur autem sine prudentiâ
maximas attulit calamitates: honores, im-
peria, potentia speciosa quidem sunt bo-
na, sed externa, & obnoxia fortunæ levi-
tati. Ipsa virtus, quam plerique Sapientium
vel solum bonum, vel omnium excellen-
tissimum putaverunt, & in asperrimis re-
D rum plerumque cernitur; & tantum abest,
ut omnes excitet ad amorem sui, ut ma-
gna pars hominum plerasque virtutes non
modò non appetat, sed detestetur; nisi for-
tè putamus alotos, & libidinosis voluptati-
bus liquescentes homines optare tempe-
rantiam, aut sordidos, & avaros liberalita-
tem, aut rapto vivere assuetos justitiam,
aut molles, & effeminatos fortitudinem,
quæ cruciatibus tolerandis, laboribus per-
ferendis, adeundis periculis exercetur.
E At scientia etiam iis videtur exoptanda,
qui in summâ rerum ignoratione versantur;
ac nemo est aut tam perditis moribus, aut
tam alienus ab omni decoris, & gloriæ
cupiditate, qui si divinitus ipsi contingat
omnium rerum cognitionem assequi, &
scire,

*Quæ sunt, quæ fuerunt, quæ mox ventura
trahantur,*

non divinum munus libenter accipiat, non
F se magnum quoddam, & præferendum
bonum adeptum arbitretur. Est præterea
scientia solidum quiddam, & stabile, &
firmum, nec subjectum fortunæ; & in præ-
stantissimâ animi parte versatur, quam cum
Superis communem habemus, qua Deo si-
miles judicamur; est & scientiæ tranquilla
natura, nec tristibus exercetur, nec se-
nio exolescit, & semper prodest, numquam G
nocet, & splendida est, & magnifica, &
jucundissimæ, honestissimæque voluptatis
effectrix. Quare alii sibi habeant honores,
sibi potentiam, sibi divitias, sibi imperia,
sibi magistratus; sint clari, sint illustres,
colantur a vulgo, suspiciantur a Regibus,
in summis deliciis, & voluptate vitam tra-
ducant; dum nobis liceat in investigatio-
ne veri, perspicientiaque versari; dum li-
ceat in studiis litterarum quietè, tranquil-
leque vivere; nihil eorum titulis, nihil o- H
pibus, nihil fascibus, nihil voluptatibus
invidemus, & sapientiam sine dote quæ-
rimus; quum in eâ sit vel summa felicitas
collocata, vel maximum, & excellentissi-
mum bonum, quod proximè accedit ad il-
lud omnibus numeris completum, & per-
fectum, & absolutum bonum, cujus com-
potes homines verè beati, verè felices pos-
sunt nominari. Hac uti si velimus oratione
Adolescentibus ad omnia summa natis,
quales vos esse credimus, longè acerrimos I
stimolos admoveremus; veruntamen hac
oratione non utimur, neque vos jubemus
solâ rerum cognitione este contentos; ju-
bemus habere rationem rei familiaris: jube-
mus aliis quoque vitæ commodis commo-
veri; & si hæc etiam litteræ studiosis pol-
licentur, si multos videmus, qui litterarum
sacra coluerunt, vel omnibus copiis, omni-
bus fortunæ bonis abundare, vel certè con-
ditione vitæ uti per quàm tolerabili, vobis
auctores sumus, vobis etiam, atque etiam K
suademus, ut, quam estis ingressi viam, ne
relinquatis; & ad eam facultatem, cujus
ab ineunte ætate studium suscepistis, totis
animi viribus, & ingenii nervis conten-
datis; neve ullam artem his præclarissimis
disciplinis anteponatis. Nam nisi otio tor-
pescere, & vitæ tenebras consectari mali-
tis, quod ego mortis instar puto; quid e-
nim miserius, quid turpius, quàm pe-
cudum more nihil aliud totâ vitâ agere,
quàm implere ventrem cibis, & somno L
marcescere, & de suis tantùm voluptati-
bus cogitare; nac amicis, nec Reipublicæ
quidquam utilitatis afferre? nisi, inquam,
ignaviâ indolem vestram corrumpere, &
mentis aciem hebetare malitis; duæ sunt
omnino artes, in quibus utiliter possitis, &
cum dignirate versari, militia, & merca-
tura. Mercaturis rem quærere honestum
& quæstuosum; & ne studio laudandi lit-
teras verum videar occultare, longè ma-
jores divitiæ mercatorum industriâ, quàm M
litteratorum, si fortuna arriserit, conge-
runtur; sed quàm sollicita est, quàm an-
xia vita mercatorum, quàm incerta, in-
stabilisque fortuna? si navim sous ventus
non impleverit, si tempestas fregerit, si con-
ciderit fides, si bellum exarserit, maximas

interdum jacturas accipit: pendet a ven-
A tis, pendet a tempestatibus, pendet ab a-
liena fide, pendet a bellis fortuna mercato-
rum; & momento temporis, quem extu-
lerat, quem suis donis impleverat, quem
ad summas opes provexerat, destituit, de-
primit, inanem dimittit, ad pudendam ino-
piam redigit. Jam verò quid habet amplum
quid splendidum, quid gloriosum merca-
tura, quod cum gloriâ, cum immortalita-
te nominis, quam afferunt litterarum stu-
dia, possit comparari? Divitiæ quidem in-
B gentes ejus beneficio coacervantur; sed
nemo Sapiens unquam optavit, ut opibus
immodicis uteretur, quum eæ superbiam,
& fastum, & libidinem ingenerent, & vel
irritamenta luxuriæ, vel avaritiæ afferant
invitamenta; quibus vitiis affectus animus
in summo malo, miseriaque versetur, ne-
cesse est. Quid quod nemo clementior,
aut doctior, aut fortior, aut modestior, aut
sanctior efficitur mercaturâ? quibus virtu-
tibus animos bene a naturâ informatos do-
C ctrina, & litteræ solent exornare. Bellicæ
verò artes & immortalitatem nominis, &
decus beneficio Scriptorum pariunt sempi-
ternum; sed paucis contingit, ut exercitus
ducere, ut urbes capere, ut hostes debel-
lare, ut populos justa imperia detrectantes
in suam redigere possint potestatem; ce-
teri, qui ad summos militiæ gradus non
pervenerunt, nullam, vel exiguam, & non
diu permansuram gloriam consequuntur.
Quid hîc ego commemorem, quàm multa
D pericula viri militares adire, quàm intole-
randos labores, quantos æstivi Solis ardo-
res, quantam frigorum magnitudinem, &
imbrium, & tempestatum, & famem, &
sitim perferre cogantur? quid autem nar-
rem, quàm innumerabilem multitudinem
Martis absumpserit furor? non terræmo-
tus, non fulmina, non vis tempestatum,
non intemperies Cœli, non diluvia, non
incendia, non ferarum impetus, non ty-
rannorum immanitas tantam Mortalium
E stragem, quantam belli rabies, ediderunt.
En cur bellicas artes cultas a nobis veli-
mus, quæ paucissimos gloriâ, & honoribus
extulerunt; innumeris pestem, & interi-
tum, omnibus vulnera, & incredibiles labo-
res, & pericula, & incommoda attulerunt.
Ac pro Patriâ quidem, & pro aris, & fo-
cis dimicare, & inter hostium tela versari
etiam Sapientes velint, siquidem

Dulce, & decorum est pro Patriâ mori,

& vitam, quam a Patriâ accepimus, Patriæ
potissimùm impendere; inservire autem F
Regum externorum libidini, & levi aucto-
ramento suum sanguinem, suam vitam ad-
dicere turpe, & indecorum; sævire cæ-
dibus eorum, qui neque te, neque tuam
Rempublicam læserunt, inhumanum; incen-
diis, rapinis, urbium excidiis, agrorum va-
stitate vexare populos immerentes imma-
ne, ac ferum; mercedis causâ sub pelli-
bus agere, potare infectam cruore aquam,
noctes insomnes, dies inquietos ducere,
severissimis militiæ legibus obstringi sor- G
didum, & miserum; & infelix arbitror.
Quum autem divini Numinis benignitate,
& Principis beneficio nostræ regiones nul-
lâ belli tempestate quatiantur, & perpetuâ
pace efflorescant, ad eas nimirum artes a-
nimus est convertendus, quæ sunt alumnæ
pacis, & tranquillitatis; bella verò iis, qui-
bus bellare necesse est, relinquenda. Ad
has artes vos hortor, Adolescentes, quas
omnium præstantissimas duco; abjicite om-
nem ignaviam, & ad summam ejus disci- H
plinæ, quam concupivistis, præstantiam
contendite. Non deerunt vobis omnia,
quæ Mortales esse putant expetenda; mul-
torum benevolentia, potentium familiari-
tates, copiæ, auctoritas, decus, & fama, &
nominis immortalitas, & dignitas, & splen-
dor, & amplitudo. Nam licèt studia litte-
rarum careant hac tempestate eâ, qua flo-
rere deberent, gloriâ; tamen possunt stu-
diosos in satis alto fastigio collocare. Illi
ipsi, qui se bonarum artium contemptores I
esse profitentur, consilio doctorum viro-
rum indigent, indigent Sapientiâ; cujus
luce Barbarorum quoque mentes dele-
ctantur. Quod si interna magis bona, quàm
externa vos, ut par est, movent, quæ
Sapientia sola pollicetur; quanti facere
debetis honestissimam animi voluptatem,
quæ ex rerum cognitione percipitur, mo-
rum sanctitatem, qui optimarum artium
studiis maximè emendantur, animum sibi
conscium se, quò melior, & præstantior K
evaderet, nullis laboribus pepercisse? Quàm
juvabit ridere aliorum inscitiam, impru-
dentiam, levitatem, posse ceteris prodesse
consilio, operâ, auctoritate? quæ bona
certè non minora hac ætate, quàm olim
studiosos consequuntur; quæ si olim sa-
pientissimum quemque maximè commove-
runt, non video, cur vos hodie quoque non
debeant ad laudem excitare.

Finis Orationum.

BENEDICTI
AVERANII
EPISTOLÆ
Nonnullæ Familiares.



BENEDICTI AVERANII EPISTOLÆ NONNULLÆ FAMILIARES.

BENEDICTUS AVERANIUS

Difertiffimo Viro

LAURENTIO ADRIANIO

SUO S. P. D.





Uid mihi Magius de illâ pecuniâ, quæ vobis debetur, dixerit, quas litteras ad eum dederit Æditῡus Maximi Templi iftius civitatis III. Kal. Quinct. Vincentio Aullæ meo fignificavi, præcepique, ut omnia tibi indicaret; eidem hodie mitto narrationem quandam editam Florentiæ rerum in Peloponefo, Pannoniaque nuperrime a noftris geftarum, quàm ille tecum communicabit. Quare nihil eft, quod tibi fcribam, quum omnia, quæ fcribenda videbantur, ex adolefcente utrique noftrûm amiciffimo poffis cognofcere. Scribo tamen, vel ut liberem fidem meam, quam tibi nuper obftrinxi, vel ut te provocem ad refcribendum, vel ut alloquar abfentem, quem præfentem alloqui non poffum. Nam cujus mihi confuetudo jucundiffima, hunc etiam litteris compellare non infuave eft; quæ fuavitas augebitur, fi a te aliquid eliciam litterarum, quæ, utpote a viro difertiffimo profectæ, omni jucunditate, & elegantiâ abundabunt; nec verò folùm ut eleganter confcriptæ, fed ut indices valetudinis tuæ, teftes amoris erga me tui, delectabunt. Sed quid ego rationem tibi reddo, cur fcribam, quum potiùs reddenda fuerit, cur non fcripferim, quæ & ipfa eft in promptu; quum ad Vincentium Aullam ornatiffimum adolefcentem litteras darem, ad te mihi videbar dare, quum fcirem, quanta inter vos intercederet animorum conjunctio, habuique in mentem vetus illud proverbium, quo omnia communia effe amicorum admonemur. Habes & fcriptionis, & filentii mei rationem; fed ego, ne verbofior videar factus, quod producam longius epiftolam me nihil habere profeffus, quod epiftolam magnopere defideret, finem faciam. Vale.

Florentiæ Prid. Non Quinct. Ann. MDCLXXXVI.



E I-

EIDEM.

Haud scio, an negligentiam meam sis accusaturus, quod nondum A clarissimum Magium adiverim; & eum quanta Pisano Seminario fiat injuria, docuerim. Si me accusaveris, erit in promptu defensio; idcirco tuas justissimas querelas ad Magium deferre supersedi, ne si forte Sempronius pecuniam, quam vobis debet, ut pollicitus est, interim persolvisset, nos injuriâ de homine conqueri videremur. Nunc autem quum satis magnum temporis intervallum intercesserit, spatiumque Sempronio B fuerit fidei liberandæ, me facias certiorem, velim, an æs alienum, quod ad vos attinet, saltem ex magnâ parte dissolverit, vel sit spes maturè dissoluturum, ut Magii auxilium non frustra possim implorare. Altera causa, quæ me ad scribendum impulit, est hujusmodi; hîc rumor est istam civitatem frequentibus morbis laborare, multosque in rationem Libitinæ venire; rumori autem fidem immodicus æstus, qui sævit, facit. Si id esse falsum, ut spero, cupioque, ex litteris tuis C cognovero, magnâ molestiâ, quæ me angit, liberabor; sum enim valde sollicitus de tuâ, & egregii adolescentis Aullæ salute; sin autem verum, tum ego te cohortabor ut valetudini tuæ prospicias, ne te ingurgites, ne genio indulgeas, neu te poculis capacioribus plusculum invites, & memineris posse temperantiâ vitæ Cœli intemperiem mitigari. Quod exemplum Socratis docet, qui quum Atheniensium civitas atrocissimâ pestilentiâ vexaretur; & ab Æ- D thiopiâ usque profectum malum, latissimeque pervagatum, magnam Orbis partem corripuisset, & in Græciam, Athenasque præcipuè sævissimum ingruisset, paucissimique essent illi, qui non absumerentur, aut morbo laborarent, abstinentia consequutus putatur, ut ne leviter quidem adversâ valetudine tentaretur. Sed ego te, qui continentiæ sis exemplum, joco sum ad continentiam adhortatus; nam si iis domtaxat, qui intemperanter vixerunt, sit mo- E riendum, ego te futurum arbitrer immortalem; seriò autem tibi præcipio, ut quàm primùm poteris isthinc fugias, interea te domi contineas, æstumque, & Solem vites; nec velis ostendere, quantum pedibus valeas, usque ad lassitudinem ambulando; præcipuè verò studia litterarum intermittas, mentemque defessam lætis cogitationibus recrees, & reficias; idemque consilii des Aullæ, quum primùm eum videris; si rus, ubi commoratur, non vacat periculo, in remotiores colles, & salubriora loca sese recipiat; imitemini, censeo, Cajum, qui quum Pisis morbi vis ingruisset, excessit Etruria; vel ad nos uterque veniatis; hîc æstus F quidem est gravis, sed ætas adhuc salubenrima. Litteras Aullæ hoc die scripsi, eas exigas velim a tabellario, & quum primum dabitur occasio, cures ad eum perferendas; id tibi negotii dandum putavi, quia quas ad eundem postridie Idus dedi, vereor, ut sint perlatæ. Vale, mi Laurenti, meque, ut facis, ama.

Florentiæ VI. Kal. Sext. Ann. MDCLXXXVI.

EIDEM.

Haud dubium est, quin Methone sit in deditionem accepta jam- G pridem sine ullâ clade nostrorum; id quum Florentiæ Quinto Kal. Sext. esset nunciatum, & ego pridie ejus diei tibi scripsissem, ne te litteris meis ægrotum obtunderem, quum præsertim putarem te ex aliis cogniturum, significare tibi supersedi. Quoniam autem, ut ex litteris tuis intellexi serò isthuc, & mendaciis admixti nuncii afferuntur, de hac victoriâ Christianorum te certiorem faciendum judicavi, ut solidum gaudere, & H verum gaudium possis; quod ut cumulem, addam aliud, quod tute ipse fatebere majus. Illud inferioris Pannoniæ caput, quod insuperabile videbatur, a nostris toties obsessum, toties infeliciter tentatum, quod ab hinc biennium consumpsit florem Germanarum legionum, dicitur vi expugnatum VII. Kal. Sext præsidium, quod Barbarorum robur, trucidatum, præda ingens parta; nec incruenta nobis ea victoria, septem millia Christianorum cæsa dicuntur; I id Venetiis Oratori Cæsaris nuncius, qui per dispositos equos venerat, attulit; Orator Cæsaris Senatui, Populoque Veneto publicè nunciavit; nobis autem nodius quartus Hemerodromus ad Magnum Etruriæ Ducem Venetiis missus. Res est tamen adhuc incerta, quia nondum a Cæsare nuncius venit, qui hodie, vel cras venturus putatur; utcumque ea se habet, certior es mihi faciendus, ne sis expers gaudii, quod nos præcepimus. Narrationem etiam K eorum, quæ in obsidione gesta sunt a nostris, misimus, quæ edita est Florentiæ; eam, quod commodo tuo facere possis, quàm primùm ad Aullam cures perferendam, ut in partem veniat hujus qualiscumque lætitiæ nostræ. Vale.

Florentiæ VIII. Id. Sext. Ann. MDCLXXXVI.

EIDEM.

Litteris tuis humanissimis, & ele-
gantissimis respondere superse-
A di, non mehercule negligentiâ,
nec quia molestum sit alloqui
frequentiùs per litteras hominem
amicissimum, & incredibili prorsus elegan-
tiâ, & suavitate; sed quum post Idus Au-
gusti in Patriam reversurum scriptis ad me
litteris confirmasses, elapsis aliquot post
Idus diebus Lucæ, an Pisis esses, nescie-
bam, nec litteras mittere audebam, ne, si
tu discessisses, interciderent; nec verò quod
magnopere scribendum videretur, suppe-
B tebat; nam Rillius, quum interrogarem,
an a Lucensi tabellario sigillum, quod mi-
seras, accepisset, & se accepisse, & tibi re-
spondisse affirmavit. Quare litteras meas
minimè necessarias arbitrabar, quæ tibi
fortasse non redderentur, & de eâ re te
facerent certiorem, quam ex Rillio cogno-
visses. Nunc lectâ epistolâ tuâ, & te
Pisis esse, & Rillium tibi non scripsisse in-
tellexi. Respondebo igitur litteris tuis,
non esse cur verearis, ne mihi crebrâ scri-
C ptione molestiam afferas; nihil enim mi-
hi eloquii tui suavitate jucundius, nihil
autem optatius, quàm perspicere memo-
riam mei ex animo tuo non effluxisse.
Excusabo me etiam tibi, quòd nondum
clarissimo viro Magio negotium Seminarii
commendarim; quod non eo facere distu-
li, quod tibi morem gerere detrectarem;
sed nolui hominem onerare postulatis;
quum id negotium confectum fuerit, quod
prope diem reor eventurum, dabo operam,
ut diligentiam meam comprobes. Vale.

Florentiæ VI. Kal Sept. Ann.
MDCLXXXVI.

EIDEM.

Jam ab optimo juvenum Vincentio
Aullâ te certiorem factum puto, mi-
D hi iter prosperum contigisse, nec
est, cur de eâ re plura scribam, nec
alia suppetunt argumenta; scribo
tamen, ne me oblitum esse tui arbi-
treris, a qua culpâ longissimè absum,
quum dies, noctesque de utroque vestrûm,
amici dulcissimi, cogitem. Novi nihil est,
bellum adversùs Barbaros, quod anno su-
periore magnâ vi gerebatur, deferbuit;
Christianorum felicitas his ipsis victoriis,
quibus incitari debebat, impedita hæsisse
videtur, & constitisse, ac nisi hac æstate
bellum, quod jam friget, incalescat, finis
armorum appropinquare, adeo rebus pro- E
speris uti nescimus. Heri Legatus Regis
Britannici Florentiam venit Româ rever-
sus; Cardinalis Mediceus ante sextiles Ka-
lendas venturus non putatur; id Aullæ
meo significabis, qui adventum suum in
hujus Principis adventum est dilaturus,
cui nuncies velim, me omnia, quæ man-
davit, exequutum. Tu si quid vis, impe-
ra, nunquam diligentiam meam deside-
rabis. Cura, ut valeas, & Aullæ Sal. Plur.
meis verbis dicito.

Florentiæ V. Kal. Quinct. Anno
MDCLXXXVII.

EIDEM.

Quum frequentissimas ad te litte-
ras dare vehementer cupiam G
propter duas causas, & quòd
opto morem gerere voluntati
tuæ, cui id esse gratissimum in-
telligo, & quòd ex scriptione magnam
percipio voluptatem, quia tecum loqui, dum
scribo, ac tecum esse mihi quodammodo
videor, non obsequitur fortuna cupiditati
meæ, quum minimè suppeditet materiam
scribendi. Quid enim scribam? de bello?
nihil a nostris præclarè geritur. Anno su-
periore omnia armorum sonitu perstrepe-
bant, nunc mira tranquillitas est, & altum H
silentium: jam Rillius, quod mireris, otia-
tur, nec discurrit modò huc, modò illuc,
ut quo in statu sint res nostrorum, cogno-
scat; & illi non bella, sed lites exhibent
negotium, ad galli cantum consultor u-
bi ostia pulsat. Jocerne tecum? esset id
quidem mihi jucundissimum, sed si quid
geritis risu dignum tu, & Aulla meus, in
tacito sinu gaudetis, nec mihi renuncia-
tis, quare subripitur argumentum jocan-
di. Nuper ego vestem holosericam indui, I
tu statim rescivisti, & mecum lepidissimè
jocatus es; ne vivam, nisi joci tui mihi vo-
luptati fuerunt. Sed non possum repone-
re, quum quid agatis ignorem, quod si quis
me de omnibus rebus vestris certiorem fa-
ciat, ego quoque facetus esse possim; sed
me ulciscar probè, quum ad vos venero,
& te jocis meis occidam. Vale, & Aullæ
meo salutem meis verbis nuncia, & Lan-
freduccio puero suavissimo epistolam, quam
inclusam mitto, trade, quem ne verberes,
quæso, neque credas calumniis; bonus est,
& potest ad laudem molli viâ, & ratione
perduci.

Florentiæ III. Non. Jul. Ann.
MDCLXXXVII.

EIDEM.

A Peropportunè mihi redditæ ſunt litteræ tuæ, quum enim diutiùs, quàm ſolebas antea, ſiluiſſes, fluctuabam quodam animi æſtu, & vel te podagrâ tentari, vel Aullam noſtrum ſuſpicabar in adverſam valetudinem incidiſſe, & hanc eſſe cauſam tui ſilentii, ne mihi graviſſimum nuncium afferre cogereris. Nunc epiſtola tua me tranquillum reddidit, ex qua magnam hauſi voluptatem, & quia valere vos intellexi, nec imminere morbi metum, quum in iſtâ B urbe Medici otientur; & quia cognovi litteris meis vos delectari, quas frequentes, & inanes quum miſiſſem, verebar, ne vobis inſuaves eſſe viderentur. Quare mihi animum addidiſti, & qui poteram unis litteris mittendis officio fungi, binas nunc ſcribo, alteras tibi, alteras Aullæ. Inpoſterum caveas, ne mihi facias audaciam ſcribendi, crumenas veſtras litteris accipiendis exhauriam, & vos domum verborum pleni, nummorum inanes revertemini, nec ſilentium C vobis raritas litterarum, ſed inopia pecuniæ imperabit. Perjucunda etiam mihi fuit narratio de captâ ab Etruſcis triremibus Libycâ navi; nam licet hæc nobis quoque non eſſent inaudita, nihilo tamen ſecius tu lepore tuo, & dulcedine verborum es conſequutus, ut nova quodammodo videretur. Doleo autem mihi ereptam facultatem te ob bonum nuncium aliis nunciis remunerandi, nihil a noſtris in Pannoniâ, nihil in Peloponeſo geritur; D ille belli impetus, qui vehementiſſimus fore putabatur, hæſit in medio curſu, & proſpera Chriſtianis quaſi torporem quemdam attulerunt; & his videmur ſimiles, qui nimiâ Pelagi tranquillitate, Cœlique quiete, ventis deſtituti conſiſtunt, quum diu plenis velis navigarint; quæ tamen vulgi ſermonibus ferebantur, Aullæ ſcripſi; tibi verò non audeo, nam quum amici Lucenſes te de omnibus rebus certiorem faciant, ſi quid aut parum compertum, aut E nimis pervulgatum litteris mandem, tuum naſum, tuaſque facetias reformido. Vale, & Lanfreduccio puero optimo, & nobiliſſimo ſalutem plurimam dicito, quam & a Salvinio, & a Rillio tibi reddo.

Florentiæ VIII. Kal. Sext. Ann. MDCLXXXVII.

EIDEM.

Quum Aulla noſter ad nos venerit, & ejus frui præſentiâ poſſim, quam maximè deſiderabam, inciderem mehercule omnibus F lætitiis, ſi te quoque præſentem intuerer; quum autem abſentia tua mihi partem præripiat voluptatis, quam alioquin ingentem percipio, explere tentabo deſiderium meum, qua nos ratione poſſum, te litteris alloquendo. Quamquam quum Aullam video, te etiam videre videor, eſt enim amicus amici quædam imago; & tu certè, qui præceptor ejus extitiſti, in eo ſi- G militudinem candoris tui, & morum, & fidei, & integritatis, & ſapientiæ impreſſiſti, ut adoleſcens mihi quidem omnibus numeris abſolutus videatur. Nec verò me ille ſolùm dulciſſimâ conſuetudine, & jucundis alloquiis, & ſimilitudine tuæ probitatis delectavit; ſed etiam, quòd mihi retulit, te pugilicè, & athleticè valere, neque adeo timidè a vino abſtinere, ut faciebas antea, ſed vino benigniùs indulges, & meraciùs potas; nihilo tamen ſecius es H plenior ſucci, & colore vivido, & explicatâ fronte, ut te quaſi Æſonem Medea quædam recoxiſſe videatur. Itaque mihi verſaris ob oculos agilis, promptus, alacer, inceſſu concitato, & tanquam alter Ladas invictus, & inſuperabilis curſu: video te exultantem, & geſtientem, & tripudiantem; jam timeo congredi tecum, nec certare luctâ, nec diſco juvat; ferro autem digladiari cane pejùs, & angue, licèt diu te contempſerim, fugio. Sed his tuæ valetu- I dinis bonis abuti non debes ad miſeriam puerorum, qui nihil turpe deſignarunt; idcirco ne tibi Lucenſes vigent ſeviſſimâ peſte liberati, ut Lanfreduccium verberes puerum nullo flagitio inquinatum? Deſine in tam tenerâ ætate, quantum virium tibi ſit, experiri; noli tuam valetudinem, dolorem inurere immerenti, ne tibi eam adverſam imprecetur; noli exigere nimium ſtudium, laboremque, cui ſuccumbet impar; illius carminis veniat in mentem: æſtate pueri ſi K valent, ſatis diſcunt. Hæc ego tibi præcipio, illi verò, ut dicto ſit audiens, ut modeſtiam priſtinam abjicere nolit, ut ætatis florem ſpe præcocis, & perfectæ morum maturitatis exornet, ut eleganter laboris intervalla otio, ludoque diſpungat. Vale, & Lanfreduccio plurimam ſalutem impertire, quam etiam Aulla meus, qui præſens adeſt, tibi dicit, & Lanfreduccio; Jacobo quoque Aullæ nobili adoleſcenti nomine fratris Vincentii, & patris ſalutem dicito, eique ſignificato ipſos valere perbellè.

Florent. IX. Kal. Aug. Anno MDCLXXXVII.

E I-

EIDEM.

SI quis me duobus criminibus apud te velit accusare, altero negligentiæ, altero levitatis, negligentiæ, quòd nihil his proximis diebus dederim litterarum, levitatis, quòd Pisas non venerim, quum id me facturum toties confirmarim, non deerit illi materia calumniandi mei, & meam inconstantiam traducendi argumentum. Sed ego neutro teneor, & meam causam, vel iniquo judici possum probare. Nam ad raritatem quod attinet litterarum, dum fuit Aulla noster Florentiæ, me totum occupavit, dum fungor officio, dum ejus lateri, sicut par erat, semper adhæreo, dum urbem ostendo, quam antea nunquam spectaverat, non vacavit scribere, quamvis nihil temporis incassum triverim, tamen id mihi defuit; itaque multa non vidi, quæ erant cum primis visenda. Ad inconstantiam quod spectat, Aulla causam dicat, qui pro amore, quo me prosequitur, eximio, & singulari, mihi auctor fuit, ne proficiscerer; timuit videlicet optimus adolescens meæ valetudini, cui periculum, si iter suscepissem, putavit imminere; nam quum pridie ejus diei, quo profectus est, cisio iter fecissemus, & Solis ardor me aliquantulum offendisset, & corporis imbecillitas esset consequuta, jam certum eundi continuit, & precibus apud me egit, ut omne discrimen evitarem, & se carere maluit meâ consuetudine, quàm me sanitate. Fecit ille quidem officium pium, sed injucundum, & prope acerbum mihi; nam eram cupidus videndi tui, & dulcissimi amici in Patriam usque prosequendi; quantum ille timor mihi abstulit voluptatis, quantum invidit gaudii, quantum hilaritatis, quàm jucundè tecum fuissem, quantâ cum delectatione hospitio usus essem juvenis, & ad ceteras necessitudines, hanc etiam addidissem! Nunc ego mæreo ereptam mihi tam dulcem, tam exoptatam occasionem, nec ulla res alia mærorem meum nisi litteræ vestræ consolabuntur. Vale, Adriani jucundissime, Vale.

Florentiæ XVII. Kal. Sept. Anno MDCLXXXVII.



EIDEM.

MIror, quamobrem te de meâ valetudine certiorem ab Aullâ scribas esse factum, quum me valere perbellè cognoscere potueris ex litteris, quas XVII. Kal. Sept. ad te dedi. Nam quum Aulla discedens non quidem ægrotantem, sed parum validum reliquisset, nihil antiquius habui, quàm ut metum invaletudinis meæ, si quem conceperatis, ex animis vestris demerem; simulque me tibi purgarem, quòd Pisas, uti constitueram, promiseramque, non venissem. Itaque ubi primùm occasio fuit, & tibi, & Aullæ scripsi; in litteris verò ad te scriptis etiam litteræ ad Lanfreduccium datæ continebantur, eas nolim interceptas, aut intercidisse. Quare gratissimum mihi feceritis, si tu, aut Aulla noster, te unas, Aullam binas litteras accepisse indicetis. Nam quum in vos officio libentissimè fungar, officii mei argumenta non extare, molestissimè fero; spero autem, quamvis & tu sis occupatus, & Aullam sciam, qui tandiu silet, non esse otiosum, crebrò tamen voluptatem, quam mihi afferunt epistolæ vestræ, percepturum; præsertim hoc tempore, quo lætissimi ex Pannoniâ, Peloponesoque nuncii afferuntur. Jam, ut opinor, audisti, nostros cum hostibus conflixisse, cæsa decem millia Barbarorum, aheña tormenta centum, omnia impedimenta in Christianorum venisse potestatem, hostium duces quatuor interemptos; nec incruentam nobis eam victoriam fuisse, plusquam mille in acie cecidisse, ducem Noricorum leviter in brachio vulneratum; jam hostili exercitu deleto plurimas Pannoniæ urbes ad nostros defecturas esse confido, & rem ex sententiâ processuram, quod Deus faxit. Sed hæc publicè læta, illud triste privatim, quod Jacobus Rillius graviter ægrotat; id non tam ejus causâ, quàm fratris, quem diligo, permolestum est. Vale, & Aullæ meo nomine salutem dicito, cui non scribo, ne sint injucundæ litteræ occupato. Lanfreduccium quoque salvere jubeto, iterum Vale.

Florentiæ X. Kal. Sept. Anno MDCLXXXVII.



EIDEM.

A IN bonam partem accipies brevitatem litterarum, quia præ languore vix fero scribendi laborem; causa languoris est diarrhæa, qua duos dies jam sum conflictatus, quæ mihi molestissima est. Excitatus tamen sum lætissimo nuncio, ex quo cognovimus Corinthum nostris deditam, in ditionem redacta centum quinquaginta vicos, & castella; jam mirâ felicitate imperio adjectam Peloponesum universam. In Pannoniâ autem rumor est præter
B ea, quæ cæsa nuperrimè scripsi, trucidata, aut submersa hostium decem millia; quid ampliùs desiderari possit, non video, est cur gratulemur nostrorum temporum felicitati, & agamus gratias Auctori Deo, qui Christianorum vim, virtutemque prosperavit. Plura scriberem, sed impedit lassitudo. Vale, Adriani carissime.

Florentiæ IV. Non. Sept. Anno MDCLXXXVII.

EIDEM.

JAm mihi τὰ εὐαγγέλια debeas, necesse
C est, nec sum parvo contentus, rem magnam nuncio, arrige aures, quid tu mihi incertos vulgi rumores, & anicularum fabulas, & otiosorum deliramenta prædicas, quæ nullo teste confirmantur, quibus nihil credunt sapientes; quæ instar illius Mercurii poëtici nuncii in tenuem ex oculis auram evanuerunt? Ego nihil nisi exploratum afferam, nec veterem, & pervulgatam fabu-
D lam refersam, sed recentem nuncium, quem tu, nisi negligens fueris in meis litteris exigendis, primus, vel inter primos accipies. Hodie tres Hemerodromi venerunt, unus Ravennâ a Cardinali Cursio missus, alius Venetiis, tertius a castris Pannonicis, qui Castrum novum a nostris in Dalmatiâ captum, & Serium in Pannoniâ occupatum, quibus accessisse Valpum, & Turanovitium, & Bussinum nunciaverunt;
E jam apparet fructus victoriæ, jam Barbari terrorem nostri nominis haudquaquam ferunt, undique perculsi cedunt, quod nisi imbres assidui, & fluminum inundantium impetus nostrorum impetum repressissent, & præclaram victoriam corrupissent, jam exactis e Pannoniâ hostibus, aliis regnis immineremus, aliis Barbarorum clades meditaremur. Num tibi videor dignus aliquo præmio? quinque Arces, aut Urbes captas eodem die, iisdemque litteris nunciavi, te rebus diffidentem erexi, & torpentem excitavi, & mæstum lætitiâ perfudi. Sed ad nostra jam redeamus; de Pisano Antistite nihil ampliùs audivi; ejus frater accersitus propere Florentiam rediit; Sergrifius nondum Romam profectus est, & haud scio, an sit profecturus. Vale.

Florentiæ V. Id. Oct. Anno MDCLXXXVII.

EIDEM,

QUamquam supervacuum esse duco, Adriani jucundissime, tibi G
scribere, quum Aulæ scripserim, quo interprete uti potuissem, si quid indicandum tibi esse arbitrarer; tamen non patiar diutius meas litteras desiderare; quas eo libentiùs ad te dandas esse puto, quia nuncium gratissimum tibi suntallaturæ. Namquum fratrem meum vehementer diligas, omnia, quæ pertinent ad ejus dignitatem, tibi esse jucunda confido; cur igitur non gaudeas, quum eum electum a Magno Duce sui filii Gastonis præceptorem, dignumque esse visum, qui Principem optimæ indolis H
Juris Civilis institutiones doceret, nunciem? Quod mihi non tam per se gratum est, ego enim nihil spero, nihilque magnopere concupisco; sed quod non petentes id, quod alii petebant, sumus consequuti. Est aliqua voluptas videre quosdam tristes, qui fratris mei dignitatem ferre non possunt; qui quum ejus industriâ, studio se vinci facilè patiantur, honore se I
vinci non patiuntur; qui quum nihil didicerint, æquum censent ei pares, aut superiores haberi, qui in discendo ætatis florem contrivit, & vanâ sui fiduciâ elati omnium rerum scientiam sibi aliud agentibus divinitus concessam, & datam opinantur. Hos videre mæstos, & abjectos jucundum est; nam ut bonis vix ferendum est indignos intueri auctos opibus, honore, dignitate, sic iisdem suave est spem delusam improborum cernere; sed sententiarum satis. Velim mihi scribas, quantum K
tua valetudo profecerit, quo in loco sint spes tuæ, an pedibus tuis incedas, an scipione ampliùs utaris; nam si aliquantulum spatii posse jam ambulare audivero, ipse exiliam, & exultabo gaudio. Vale.

Florentiæ III. Kal. Quinct. Anno MDCLXXXVIII.

EIDEM.

TU verò parce malè ominari; ego te videbo tuis pedibus incedentem, A dentem, abjecto scipione, quo nunquam uteris, nisi si quando gravior, seniorque videri voles; quum autem mecum ludes, etiam meam pernicitatem, qua Achillem, & Perseum vinco, & cum Iphiclo, & Orione, quorum alteri datum scimus, ut quum per segetem jam adultam curreret, aristas non inflecteret, alteri, ut mare per medium ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas, celeritate certo, lacesses; is erit mihi B lusus gratissimus, nisi quod verebor interdum, ne a te superer, neque pugno, neque segni pede victus ab ullo alio. Sed quid ego tecum jocor, qui consolandus es amoto joco? De tuâ valetudine te bene sperare jubeo, neque angi curâ futurorum, & levare conceptum animi mærorem sermonibus amicorum, qui te quotidie invisunt, deformis ægrimoniæ dulcibus alloquiis, ut ait Horatius; ego te convaliturum puto; sed si fortè accidat, ut mea spes C me fallat, nihil est in fortunâ tuâ magnopere ingemiscendum; quid enim incommodi crus invalidum affert? Aliquos video, quibus crus alterum est amputatum, ligneo sic incedere, ut deformiores, non miseriores esse videantur; quæ deformitas tamen non in ore, sed in parte corporis vilissimâ cernitur. Asperrima pertulisti, quum ter quasi in equuleo distentus es, quum tot menses lectulo affixus jacuisti; nunc firmis vestigiis insistas, an incedas dextram subeunte bacillo, parum sanè refert; non D potuit fortuna leviùs in te sævire, quàm quum tua crura læsit, quibus alioquin ægris utebaris, quum podagrâ identidem vexaberis; si partem aliam sanam, & valentem debilitasset, magis esset dolendum; non tu cupis optatam cursu contingere metam, ut tibi de valetudine pedum sit maximè laborandum; dum lingua, qua polles, dum eloquentiæ dulcedo, qua allicis mentes, non adimatur, nihil tibi deerit; & si om- E nia desint, non deerunt amici, quos tuis virtutibus tibi devinxisti; in quorum numero me esse profiteor, & omnia tuâ causâ prolixè facturum. Neque hæc eò scribo, quod timeam tibi, sed ut metum demam, sed ut sollicitudinem levem, sed ut desinas angi expectatione miserâ futuri; quod quum Deus occultaverit, non debemus anxiâ mente perscrutari. Vale, & Benedicto Lanfreduccio, & Aulæ nostro, ejusque patri salutem meis verbis nuncia.

Florentiæ VI Id. Jul. Anno MDCLXXXVIII.

EIDEM.

SCio te posse diligentiam in scribendo meam requirere, quum tandiu siluerim; sed ignosces diuturnæ ta- F citurnitati, non quòd te parum diligam, sed quòd nihil erat, quod scriberem, distuli officium litterarum; nam quum mihi desit ingenium, nisi materia suppeditet orationem, difficilis est scribendi ratio, quod & sæpe aliàs, & nunc maximè experior. Cupio silentii crimen scriptionis ubertate diluere, sed verba desunt, quia res non suppetunt, nec quò me vertam scio; novi nihil est, nihil rei seriæ, vel ludicræ; nec jocari licet, nec seriò loqui; quare taceam, necesse est, sed tacere religio est; G quia amicitia nostra videtur eloquium meum desiderare, & quia tu, quum discederem, a me enixè petiisti, ut identidem ad te litteras darem; itaque si pergam silere, ne succenseas mihi, pertimesco, ne si tibi stomachum, aut bilem movero, tu mihi Archilochios Jambos, aut Scazontas Hipponactæos, pro litteris mittas, qui inertiam excutiant oscitanti. Quid igitur agam? nec tacebo, nec diu loquar; nam taciturnitatem tu criminaris, orationem ego, cui res non suppetunt, reprehendo; sic fiet, ut & tu queri non possis meis litteris destitutum, & ego loquacitatis meæ causâ non erubescam. Vale.

Florentiæ IX. Kal. Aug. Anno MDCLXXXVIII.

EIDEM.

AUllam tibi suavissimum adolescentem remisimus, nec diutiùs apud nos, quàm ipsi neces- H se erat, detinuimus, ne solitudo tua careret hoc solatio; habes igitur a me ingens beneficium, quod non exprobrandi causâ commemoro, sed ne mihi succenseas, quod a scribendo cessavi; nam & si in hac re sum fortasse reprehendendus, tamen hæc qualiscumque culpa, magnitudine hujus meriti compensatur; ut tibi rem gratam facerem, careo meâ maxi- I mâ voluptate, careo animæ dimidio meæ, num potes irasci tua commoda meis anteponenti? Prope est, ut me pæniteat tibi tantum tribuisse, & invideam fortunæ tuæ, cui tanto bono frui licet; sed ne beneficium ingratè dando gratiam corrumpam, ab hac animum cogitatione avertam, & potiùs tibi amicum receptum gratulabor, quem

quem quis non ſum litteris meis comita-
A tus, ſaltem ſubſequar; quæ ne ſint penitus inanes, adſcribam rumorem hîc heri divulgatum, quem tamen ad aures tuas arbitror perveniſſe. Ferunt autem Noricorum ducem, ubi primùm venit ad exercitum, Savum flumen ponte junxiſſe, & copias Cæſaris transduxiſſe, & cum hoſtium legionibus, qui alteram amnis ripam obtinebant, confixiſſe; eos fuſos, fugatoſque, capta impedimenta, ad duo, vel tris millia cæſa Barbarorum, & noſtros Tauruno imminere.
B Hunc nuncium ab Hemerodromo allatum ajunt, qui litteras a Duce Noricorum ad Magnum Ducem ſcriptas victoriæ teſtes heſterno die tulit; quæ ſi vera memorantur, haud dubium eſt, quin Pannonia omnis in noſtrorum ditionem, poteſtatemque ſit conceſſura. Vale.

Florentiæ XIX. Kal. Sept. Anno MDCLXXXVIII.

EIDEM.

Gratiſſimum mihi feciſti, quod indicaſti te, & Aullam litteras meas, quo debebatis tempore, scce-
C piſſe, evelliſti ex animo ſcrupulum, qui altiùs inſederat. Nam quum fortè fortunâ accidiſſet, ut Aullæ epiſtola poſt quindecim ferme dies, quàm erat ſcripta, mihi redderetur, & meas ad vos non eſſe perlatas putarem, non ſine causâ ab aliquo, qui noſtra curioſius inquireret, interceptas ſuſpicabar. Gaudeo etiam nuncium de præclarâ noſtrorum victoriâ tibi
D gratum accidiſſe. Si quid novi deinceps afferetur, hanc voluptatem honeſtiſſimam tibi non invidebo; neque tamen ea nunciabo, quæ communibus litteris continentur; nam præterquam quod vobis nota eſſe arbitror, ſunt eæ litteræ plenæ mendaciorum, & nihil habent certi; ſi quid ex Hemerodromis cognovero, de eo te certiorem faciam; ſpero autem crebrò futuram occaſionem gratificandi tibi, nam hoſtili exercitu profligato, captis, direptiſque ca-
E ſtris ingenti prædâ partâ, in poteſtatem noſtrorum redactâ hoſtium pecuniâ, & bellicis machinis, eorum opes acciſas eſſe vehementer exiſtimo, nec poſſe obſiſtere victricibus Chriſtianorum copiis. In Peloponeſo verò duabus Urbibus, totidemque Arcibus in deditionem acceptis, hoſtibus fuſis, & cæſis, credibile eſt ex animi ſententiâ omnia ſucceſſura; ut veriſimile ſit etiam, quod nuper eſt pervulgatum, Corinthum expugnatam, ſed id incertum. E Pannoniâ nuncii inſignis alicujus victoriæ ex-
pectantur; nec Cæſar negligit, quum aliquid F
accidit proſperi, nuncios, & dona, & litteras ad Magnum Ducem mittere, quod & nuperrime fecit, & ſemper fecit; ſed de his hactenus. Lætor te, gratulorque tam pugilicè, atque athleticè valere, ut cum Libero Patre audacter congredi, & colluctari valeas; jam vix fetam ſupercilium tuum, nam ſi, quum vix poteras incedere ſine baculo, me ad curſum provocabas, & ad ſingulare certamen, quid nunc facies non ampliùs podagricus, & macilentus, ſed ſucci plenus, & validus? ego tamen auxilium G
equitis Aullæ implorabo, quaſi olim Hercules Jolai, & iſtam ferociam tuam tamquam Hydram gliſcentem adverſis perdomabo, quo ille eſt humanitate, mihi te inſultare non ſinet; vide cum quàm valido adoleſcente, & quàm forti viro tibi ſit res futura, & deſine nos, quo ſoles faſtu, contemnere. Vale.

Florentiæ III. Kal. Sept. Anno MDCLXXXVIII.

EIDEM.

Quid agis, Adriani, ut vales? ego te puto jam baculum abje- H
ciſſe, jam celeriter pedum ſuperbum incedere, nec poſſe, licèt ſepties peragres uno die totum Lucenſis Urbis, aot etiam agri ambitum, defatigari. Nam anno ſuperiore nunquam ſcribebas, quin de tuâ claudicatione querereris, nunc de valetudine altum ſilentium, ex quo conjicio te pugilicè, atque athleticè valere; gaudeo igitur te cruribus firmis eſſe, nec podagram tibi negotium faceſſere; quia ſi tecum curſu certavero, I
& vincar abs te, fortaſſe pudebit a claudo ſuperari; ſed hic pudor nihil afferet præterea damni, & ſi animum perſtringet, corpus non vulnerabit. Ignoſces autem timori meo, ſi quid dixero, quod parum amicè dictum videatur. A podagrâ te velim omnino liberari, a chiragrâ non item; nec opto, ut te urat dolor, ut affigat lectulo, ut crucieris, vel etiam leviter doleas; ſed ut diſtorti maneant, & nodoſi digiti, ne poſſis gladium ſtringere; nam quum ad de- K
certandum enſe tecum me provocaris, timeo, ſi penitus convaleſcas, ne congredi cogar cum robuſto laniſtâ, & multarum palmarum gladiatore. Habeo tamen conſilium, quo tuos impetus eludam; nam obtinet conſuetudo, ut litteris dediti homines, ſine ullâ famæ jacturâ, ſingulare certamen poſſint detrectare, vel certè alium ſubſtituere, qui ſuas partes tueatur. Mitto tibi

tibi partem præfationis, ubi duæ paginæ
A desunt, ut Lucensi Bibliopolæ transmittas
eâ lege, ut hanc partem integram mihi remittat.
Aulam saluta. Vale.

Florentiæ XVII. Kal. Sext. Anno
MDCLXXXIX.

EIDEM.

TAndiu nihil ad me litterarum,
B inquis? ubi officium, ubi absentis
amici memoria? an nescis
hominis esse nequam, &
nullius pretii amicos præsentes
tantùm honorare, absentium oblivisci; præstantium
autem virorum non minùs una
degentes, quàm intervallo locorum disjunctos
observare? Ego verò non tacui
hactenus, Adriani, quòd sim oblitus tui,
quòd non te colam, non diligam, non in
animo, & oculis geram; sed mehercule
C potiùs desidiâ quadam, quæ omnem scribendi
laborem reformidat. Quin etiam siluissem
diutiùs, nisi convicium tuum timuissem;
scio quàm soleas esse inter cyathos
facetus, & dicax, & urbanus, quàm mihi
minimè parcas, quàm ea quoque jocis carpas,
quæ mihi laudi essent tribuenda, &
fingas interdum crimina, quo meam innocentiam
justiùs dictis mordere videaris.
Hanc tuam jocandi libidinem si diuturniore
silentio irritassem, verebar, ne non
D dicta jam in me diceres, sed mihi convicium
aliquâ ex parte justum faceres; nam
videbar audire tuas querelas, & te videre
tecum mussitantem, nec parcentem maledictis.
Itaque scribendum duxi, nec tamen
potes queri, quum ego essem discessurus,
vaticinatus es, me raro scripturum;
ut tuum vaticinium verum videatur, non
scribam crebrò, ne falsus vates deprehendaris;
sic enim opinio tuæ sanctitatis exolesceret,
quæ divinatione potissimùm nititur.
E Vide quàm consulam existimationi
tuæ, qui malim abs te negligentiam meam
accusari, quàm te vaticinii gloriâ carere,
quam tantopere concupiscis. Vale.

Florentiæ III. Non. Sext. Anno
MDCLXXXIX.

EIDEM.

AUllæ nostro ea, quæ scripsi, me
esse visum objurgandi causâ
scripsisse demiror; quæ ego non
objurgationis habere vim, sed
admonitionis volui, nam inter
hæc duo, licèt similia videantur, plurimum
interest. Objurgatio enim jurgium, a quo
videtur appellata, desiderat, admonitio jurgio F
caret; illa gravior, & concitatior, levior
hæc, & sedatior est; illâ animi sæpe
offenduntur, hac nemo, nisi qui planè sit
in iram pronus, læditur; objurgamus dumtaxat
affines culpæ, admonemus etiam innocentes;
objurgat ille, qui dicit:

Ita prædicant? O ingentem confidentiam!
Num cogitat, quid dicat? num facti piget?
Vide num ejus color pudoris signum usquam indicat?
Adeone impotenti esse animo, ut præter civium G
Morem, atque legem, & sui voluntatem patris,
Tamen hanc habere studeat, cum summo probro?

Admonet ille, qui dicit:

Verùm ubi animus semel se cupiditate devinxit malâ,
Necesse est, Clitipho, consilia consequi consimilia hoc,
Scitum est periculum ex aliis facere tibi, H
quod ex usu fiet.

Ego nec jurgandi, nec objurgandi causam
habebam; hominem volui dumtaxat admonere,
quod audacter feci, quia mihi juvenis
ut non cereus in vitium flecti, ita monitoribus
asper non videbatur, quem admonitionem
meam in bonam partem accepturum
esse confido. Atque hæc ego ei scriberem
pluribus verbis, nisi verear, ne molestiam
exhibeam occupato; cui velim salutem
nuncies meis verbis, & dicas ejus I
fratri prorogatam sex menses facultatem
minora tormenta gestandi, ut in annum
prorogaretur me consequi non potuisse;
scriptum, quo ea continetur, missurum,
quum Quarantotius ejus affinis Pisas proficisceretur,
quod perendie fiet. Vale.

Florentiæ Prid. Non. Sext. Anno
MDCLXXXIX.

EIDEM.

HEri ingentes pluviæ cecidere, nocte
proximâ quàm creberrima K
fulgura micuerunt, & tonitrua,
non illa quidem horrenda, &
quæ mentes pavore prosternerent,
sed frequentia sunt audita, nunc Cœlum
est triste, nubibus obsitum; habemus
æstatem non hilarem luce purâ, liquidâ,
& defæcatâ, sed caliginosam, aut nubilam,
nec tranquillam, sed ventis infestam. Hæc
tristitia Cœli videtur deplorare afflictam
Pontificis Maximi valetudinem, &, quod
horret animus, fortasse mortem imminentem
omi-

ominari. Certè duo Hemerodromi, qui
A proximè Româ venerunt, tristissimis nunciis, & litteris hanc Urbem implevere; nec dubito, quin in morte Sanctissimi senis Mundus ipse damna populorum sit aliquo signo testaturus; nisi verò temere vulgata est opinio solere magnas clades magnis ostentis declarari. Quid enim magis luctuosum, aut calamitosius, aut acerbius accidere potuit Christianæ Reipublicæ, quàm in tanto rerum motu, mors ejus viri, qui omnium pastor, & parens non
B propter dignitatem, quæ minus etiam dignis contigit, sed ob mansuetudinem, & sibi commissi gregis nunquam conniventem custodiam habebatur? Enimvero si virtus illa, si constantia, si rerum humanarum contemptus, & laudis omnis exemplar Mortalibus eripietur, nihil est, cur in præsentiâ respicere hominum res afflictas divinum Numen velle speremus licebit,

Vicinæ ruptis inter se legibus Urbes
Arma ferant, toto Mars sæviat impius Orbe;

C nec erit, qui tantas tempestates componere, & Reipublicæ navem fluctuantem salvam possit in portu collocare. Sed quid ego tristiorem lacrymis Simonideis epistolam sum exorsus? Quum jacerem in lectulo diluculo brevissimo quidem, sed satis valido motu terra concussa est; ubi primùm surrexi, Cœlum densum nubibus vidi, secuti sunt imbres assidui, ut habent quandam cum Cœlo cognationem mentes hu-
D manæ, & eo sereno ipsis quoque sua serenitas constat, perturbato turbantur; mihi tristitiam attulit aspectus hic Cœli tristissimi, & sole carentis, qui humani nubila animi ferens; itaque venit in mentem Virgiliani carminis:

Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam,
Quum caput obscurâ nitidum ferrugine texit,
Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem.

Et quum de Pontificia valetudine pæne jam
E depositi nuncii præcessissent, fortuitum casum terræmotus, & solis, qui ferè semper hoc anno aliquâ caligine obductus apparuit, ad præsagium futurorum pertinere sum suspicatus; ego verò precor, ut infausta omina venti,

Aëriæ & nubes diripienda ferant.

Vale, gratissimum mihi feceris, si te, & Aullam nostrum valere nunciaris, cui meis verbis dicito salutem.

Florentiæ Id. Sext. Anno
MDCLXXXIX.



EIDEM.

Te probè convaluisse ex Aullæ nostri litteris cognovi; quocirca tibi gratulor bonam valetudinem restitutam; teque fortunatum puto, qui quum hoc anni tempore, quod a Juvenale letiferum appellatur, & præclarè cum his agitur, quibus potiùs longinqui, quàm graves morbi contigerunt, in tertianam incidisses, tam brevi, nullo adito periculo sanatus es, & recuperasti pristinas vires. Hoc beneficium acceptum referre non debes Medicorum solertiæ, qui tibi salubribus herbis, G aut ratione victus, aut opportunè venâ incidendâ reddiderint sanitatem; sed podagræ, quæ omnem vitiati humoris vim absumit; & quod majus est, te cogit parcè victitare, dum aut præsentem cupis expellere, aut times imminentem. Quare minùs in posterum ei succensebis, si quando te lectulo affiget, aut articulorum cruciatu torquebit (quod Deus faxit, ut rarissimè accidat, & quàm minimo dolore morbo defungaris) nam ut Achillis hasta, quem vulnerarat, insanabili malo liberavit, sic podagra dum te dolore afficit, sanat; sed Achillis hasta terminos ævi Telepho dati non produxit; tibi podagram arbitror diuturnitatem vitæ allaturam. Accedit eodem aliud commodum, quod non solùm corpori affert salubritatem, sed etiam animi vitiis medetur, & præcipuè superbiæ; si tu enim vacares hac molestiâ, despiceres omnes; neque tecum quemquam posse certare cursu, pugnis, gladiove censeres; nunc mihi herbam porrigis, qui non omnes artes lanistarum, & gladiatorum teneo, & facilè pugnis, facilè cursu vincor. Quocirca mihi non invidebis, qui hoc morbi genere nunquam sum hactenus conflictatus, neque levem saltem claudicationem optabis, & eris tuâ sorte contentus, nam sic es beatus. Vale, & Aullam valere jube, cui velim renuncies me opera Bartolinii non accepisse, & propediem confectum iri album Professorum.

Florentiæ IV. Id. Sept. Anno
MDCLXXXIX.

EIDEM.

In extremo versiculo litterarum, quas ad me nuperrime dedit Aulla juvenis præstantissimus, erat scriptum Adrianium, & ipsius Patrem, *qui podagrâ laborat*, mihi plurimam salutem dicere. Quum scirem Aullam seniorem hoc genere

re morbi non ſolere tentari, ea verba ſum
A ad te pertinere ſuſpicatus, licèt ad Aullam
referenda viderentur; itaque pæne abſti-
nui officio litterarum, ne te ægrum, & cum
morbo luctantem intempeſtivâ garrulitate
inſuper fatigarem, & reſpondendi onus im-
ponerem laboranti. Verumtamen quum
litteras amicorum tibi non injucundas eſ-
ſe cogitarem, conſilium mutavi, ſcriben-
dumque cenſui; & ſi enim tibi pedes ægri
ſunt, lingua valet, qua non ſolùm homines
proletarios, atque plebejos, ſed etiam po-
B tentiſſimos inſectaris; hac alicui ex audito-
ribus tuis epiſtolam dictare poteris, ſi quan-
do dolor remiſerit; nam legendi labor nullus
eſt, quum tibi non deſint tot anagnoſtæ.
Sed quum ſcribere placuerit, quid ſcribam
non habeo; me uſum itinere ſatis proſpe-
ro, ex Aullâ, ut opinor, cognoviſti, novi
nihil eſt. Supereſt ergo, ut de meâ te va-
letudine certiorem faciam, quæ mihi ma-
ximè firma contingit; & ut precer a Supe-
ris, ut quàm minimè, raroque incidas in
C morbum; & ſi quando incideris, quàm le-
viſſimo dolore defungaris. Hæc a Superis
precor, te oro, ut me amare pergas, ut fa-
cis. Vale.

Florentiæ Kal. Julii Anno
MDCLXXXX.

EIDEM.

OLim ſolebas etiam non laceſſitus,
etiam quum podagrâ vexareris,
D officium ſcribendi non inſuper
habere; ut mirarer interdum
tuam diligentiam, quæ ſæviſſi-
mis doloribus non impediretur, quomi-
nus nullâ interpoſitâ morâ litteris meis re-
ſponderet; vel etiam me ſilentem ultro pro-
vocaret, & deſidiæ meæ indormientem ex-
citaret. Nunc autem, quum quindecim ab
hinc diebus litteras ad te dederim, adhuc ſi-
les, & ſiles, ut opinor, integrâ valetudine,
quum poſſis non modò ſcribere, ſed etiam
per urbem ambulare; nam ſi morbo labora-
E res, Aulla juvenis tui ſtudioſus inprimis,
cujus nuperrime litteras accepi, me certio-
rem feciſſet. Ubi ergo tua illa alacritas, il-
la officioſa, & prompta ſedulitas, quæ te
cauſa mutavit, quæ imminuit humanitatem
tuam? Sed hæc joco, illud ſeriò, litteris
tuis careo, cupio ſcire, quid agas, an uſ-
que valueris, an epiſtolam acceperis, quam
Kal. Jul. ſcripſi? Aullæ verò noſtro dicas,
velim, in ejus horologio luxatam eſſe bra-
cteam illam e chalybe, ex qua cōpreſſâ mo-
tus exiſtit horologii, ejus loco novam re-
ponendam; pretium hujuſmodi bractearum
eſſe unum coronatum, vel potiùs decem
drachmas cum ſemiſſe; aliquid præterea pro F
operâ opifici dandum, itaque quindecim
drachmas, quas Julios nummos vocant, im-
pendendas; quapropter interrogabis illum,
an tanti faciat horologium, ut pro eo re-
ficiendo quindecim drachmis carere ve-
lit; quod ſtatuet, quàm primùm mihi, quæ-
ſo, ſignificet; nam horologium interea ma-
net incompoſitum, & diſſolutum; & ne pe-
reat aliqua pars, periculum eſt. Sed quia il-
le eſt occupatus, nec ei vacabit, niſi exactâ
hebdomadâ ſcribere, tu ſi reſcripſeris ma- G
turiùs, mihi ejus aperies voluntatem, quam
ut ſtatim poſſis cognoſcere, ſimulatque meas
litteras acceperis, illi mittes. Aullam ſal-
vere jube meo nomine, & alios amicos.
Vale.

Florentiæ Id. Quinct. Anno
MDCLXXXX.

EIDEM.

QUod ad me attinet, in utramque
aurem dormias, licet, nunquam H
ego amicitiam tam infirmis ni-
xam radicibus exiſtimavi; ut ſi
alter amicorum incuriâ, vel ne-
gligentiâ aliquod officium prætermiſerit,
id labefactare poſſe putem benevolentiam
diuturno uſu, & conſuetudine jam con-
firmatam. Quare & ſi binis litteris meis te
nihil reſpondiſſe arbitrabar, non tamen
tibi ſuccenſebam, aut eram a te animo a-
lieniore, quàm ſingularis amor erga me
tuus poſtulat; ob tam diuturnum quidem I
ſilentium tuum nonnullam animo mole-
ſtiam capiebam, ſed non idcirco ea me
res abalienaverat, nec aliquid indignum
familiaritate noſtrâ cogitabam. Aullæ qui-
dem meo ornatiſſimo juveni negotium de-
di, ut inveſtigaret cauſam tuæ taciturnita-
tis, non quòd aliquid ſuſpicarer ſed ut ſi
qua fortè te animum tuum offendiſſem,
poſſem tibi ſatisfacere. Sed ſi quam corde
iram concepiſſem, non eam litteræ tuæ
tam humaniter ſcriptæ evelliſſent, eraſiſ-
ſent, extirpaſſent, quum ex his perſpexe- K
rim culpam fuiſſe fortunæ, non tuæ negli-
gentiæ? Cur ergo, inquies, acceptis litte-
ris meis, epiſtolam, qua omiſſi officii cau-
ſam indagabas, non concerpſiſti? quia ſe-
rum erat diei, & aliam pigebat ſcribere;
ignoſces incogitantiæ meæ, nunquam pu-
taſſem eam rem tibi ſcrupulum injecturam.
Quod autem pertinet ad ſuſpicionem tuam,
qua litteras ab aliquo interceptas, qui in
nos curioſiùs inquirat, ſuſpicaris, te ſecu-
rum eſſe jubeo. Nam eorum litteræ ſolent
inter-

intercipi, qui gravi suspicione criminis alicujus asperguntur; tua vero vita ut A careat omni labe delicti, ita etiam suspicione delicti caret; sed finge esse interceptas, quid in illis fuit, quod cognitum tibi damno esse possit? Hæc ego ut scriberem, sum Aullæ litteris adductus, qui te significavit angi animo, ac perturbari, quòd litteras tuas interceptas esse opinaris; ego autem non interceptas esse arbitror, sed intercidisse, aut apud eos, qui rem litterarum procurant, remansisse. Utcumque ea se res habet, non hujusmodi nostras litteras esse certò scio, ut delator his potitus operæpretium facturus esse videatur. Vale.

Florentiæ IV. Kal. Sext. Anno MDCLXXXX.

EIDEM.

Jure succenses his, qui Christianam B Rempublicam perturbatunt, quæ hactenus usa feliciſſimo victoriarum cursu ad summum apicem gloriæ perventura brevi, & sine magno labore videbatur. Sed hæ querimoniæ, quibus uteris, licèt ab animo pio, & studioso publicæ utilitatis proficiscantur, nihil proficiunt; nec medentur vulneribus, quæ, a quibus minimè oporteret, inflicta sunt, & infliguntur quotidie Religioni Christianæ, quæ a suis cultoribus crudelissimè laceratur; sed animos nostros exul- C cerant, & exedunt, & mærore conficiunt, quum e quantâ spe simus dejecti, ereptumque nobis e manibus præclarissimum, justissimumque triumphum cogiremus. Quare queri desinamus;

Mitte civiles super Orbe curas,

& ad lætitiora te confer, sapientius est, quid simus assequuti, quàm quid nobis ad summam felicitatem desit, reputare. Antea horrebamus arma Barbarorum, nec ullas arces, aut exercitus, aut flumina objecta, aut montes obsistere posse eorum copiis D censebamus; amovit a nobis hunc metum Deus, accisæ sunt opes immanissimæ Nationis, versus est in hostes Christiani nominis terror; qui terrebant, nunc pavent, qui bona nostra prædam suam ducebant, prædæ nobis fuerunt; pæne oculis vidimus campos eorum sanguine redundantes, infecta flumina, constratam altissimâ strage terram; tot urbes cepimus, tot arces expugnavimus, tot oppida in deditionem accepimus; non sumus quidem plenissimam victoriam adepti, sed quod Deus dedit, grato animo accipiamus, quod desideramus, læti, & fidentes expectemus. Neque enim, mihi crede, periculum est, ne Barbarorum potentia e summo fastigio devoluta, tot af- E flicta cladibus, convulsa, prostrata, ac pæne exanimis, &, quod majus est, lapsâ disciplinâ, qua continebatur, sese rursus erigar, viresque recipiat, & quasi refocilletur. Nam magna Imperia ubi semel ruere cœperunt, in præceps porro feruntur, nec unquam attolli depressa, & labefactata restitui possunt; verissimumque est Africani superioris dictum, quo Antiochum magnum admonuit, Regum fortunas minore negotio ad nihilum redigi, quàm deduci F ex altissimo fastigio. Quod esse consentaneum veritati exempla declarant omnium Imperiorum, quorum fortuna retro sublapsa cœpit referri; quæ donec mores, & disciplina viguerunt, nullis debilitata sunt cladibus, eâ corruptâ, vel modicis plagis acceptis conciderunt. Nemo autem est, qui ignoret Barbarorum disciplinam, qua magni, & clari evaserunt, prorsus esse dissolutam, eos insuper aliis super alias cladibus affectos; tam verò esse prostratas eo- G rum vires, ut Pannoniæ urbes, aliarumque provinciarum, quas amiserunt, pæne sine præsidio relictas aggredi non audeant; respiciant ad Scytharum virtutem, & externa auxilia, qui maria classibus, terram exercitibus implebant, qui olim toties victi vincebant, & rebus asperis firmiores evadebant. Hæc videre nobis Dei benignitate contigit; quem mox iram versurum in eos esse confido, qui impedimento fuere pulcherrimæ victoriæ; nec abesse arbitror longiùs au- H ctoribus tanti sceleris exitium. Jam omnes gentes in eos justissimâ irâ sunt concitatæ; initia belli non perinde, ut volumus, omnino procedunt; sed tamen nusquam ferè sine magnâ eorum clade dimicatum est; alicubi verò conatus eorum ad irritum ceciderunt; si non omnia ex animi sententiâ proveniunt, non est desperandum; etiam Barbaris principia belli prospera evenerunt, extrema verò tristia, & luctuosa. Hæc ego, cogites, velim, & desinas angi, & mærore confici. Vale, & Aullæ salutem meis verbis nuncia.

Florentiæ V. Idus Sept. Anno MDCLXXXX.

EIDEM.

Diu est, quum me negligentiæ meæ I pœnitet, quòd binis litteris tuis nihil responderim, quarum alteras per publicum tabellarium, alteras per Aullam utrique nostrûm juvenem amicissimum misisti. Nec excu-

excusare volo occupationes meas; sed, ut
A mos est eorum, quos verè pœnitet aliquod crimen admisisse, qui nullam aliam sui peccati afferunt causam, quàm suam nequitiam, non in aliud meæ taciturnitatis conferam culpam, quàm in meam desidiam, cui libenter soleo indormire. Fatebor igitur me peccasse, & quod fateri non cogor, fuisse aliquandiu peccaturum, nisi desiderium tuarum litterarum me ad frugem, ut dicitur, correxisset. Nam quum pæne integrum mensem siluerim, hoc spatio
B temporis, nullas a te litteras accepi, ut erat consentaneum; quid enim ad me scriberes, qui duabus epistolis tuis provocatus officio non satisfeceram; Et dum Aulla quidem apud nos fuit, non tantopere tuas litteras desiderabam; sed postquam ille abiit gesto negotio, cujus causâ venerat, cœpi tuam scribendi consuetudinem requirere; ad quam te non videbam posse revocari, nisi finem fecissem silendi. Quo magis autem ad scribendum excita-
C ter, accidit, ut Aullæ nostri litteris caruerim; quod licèt non fuerit ejus culpâ factum, sed eorum, qui litteras reddunt, qui hodie demum mihi scriptas Sext. Id. reddiderunt; tamen mihi grave fuit tandiu ignorare, quid rerum geratis; & an satis bellè, & ex animi sententiâ valeatis; quod ut ex te quoque cognoscerem, scribendum esse duxi; nam alioquin inertiæ meæ argumenti inopia obsecundabat; nihil enim acciderat, quod scriptione dignum videre-
D tur. Quo fit, ut qui a te veniam petiverim, quòd tandiu nihil dederim litterarum, veniam petam, quòd brevis esse cogar; quid enim scribam, quod tibi sit ignotum, nisi verò velim convivium describere, cui nudius tertius interfui; in quo tria millia ficedularum consumpta sunt; in quo filius Junior Magni Ducis, & ferè quinquaginta splendidissimi convivæ accumbebant; sed embammata, mattyas, & scitamenta, & bellaria numerare non possum, neque e-
E nim ad omnes epulas animum adverti; illud mihi negotium fuit considerare, quid perdicum, & externarum avium pulli a pullis columbarum distent; & quantum peccaverint illi Antiqui, qui ficedulas elixas apponebant, de quibus Juvenalis:

...... *Et eadem jure natantes*
Mergere ficedulas didicit nebulone parente;

sed delino, ne tibi salivam moveam. Vale, & Aullæ meo salutem plurimam dicito, ad quem alio die scribam, nunc enim jam advesperascit.

Florentiæ XVI. Kal. Oct. Anno MDCXCII.

EIDEM.

Gratulor tibi Dei immortalis munere valetudinem restitutam; F
ac multo magis gaudeo, & gratulor superesse ad vim morbi perferendam animi firmitatem; quam tamen litteræ, quas ad me æger dedisti, ne tibi assenter, non præferebant. Nam sempiternum fore tuum cruciatum affirmabas, quem probè nosti longo intervallo redire; adeo ut multis mensibus, ac propemodum integro anno, omni molestiâ vaces, atque insuper esse plerunque tolerabilem; idcirco suspicabar excussam G
tibi insitam & a naturâ, & a doctrinâ doloris acerbitate constantiam; teque admonendum amicè, ut morbo resisteres, judicavi. Sed si querelæ illæ, quibus utebaris, ad te allevandum pertinebant, quemadmodum scribis, non erant reprehendendæ; ut enim pugiles, quò laborem contentius ferrent, in jactandis cæstibus ingemiscebant, sic gemitus, & querelæ ad minuendum dolorem non sine causâ interdum assumuntur; sin autem verè tuis H
rebus diffidebas, verè animum dolori submiseras, cesserasque victus morbi magnitudini, jure pristinam illam tuam fortitudinem requirebam. Neque est, cur tibi blandiaris, aut inposterum dolori indulgeas; neque enim exemplum Corellii Rufi, quod adducis, ad cujusquam animi mollitiem defendendam spectat; nam Corellius non imbecillitate animi, non errore, non insaniâ, sed judicio, & certâ ratione, quum intolerandis, & vix unquam intermissis dolo- I
ribus vexaretur, statuit inediâ vitam finiendam. Eâ tempestate duæ sectæ philosophorum omnium consensu maximè probabantur, Epicuri, & Stoicorum, qui in ceteris dissentientes, in hac unâ re mirificè consentiebant. Nam Epicurus, siquando tempus incideret (quamquam id rarò, aut nunquam evenire arbitrabatur) ut plus esset in vitâ doloris, quem summum malum statuebat, quàm voluptatis, quam summum bonum, sponte migrandum e vitâ K
sapienti censebat. Stoici, quum plura nobis acciderent contra naturam, quàm secundùm naturam, vitam eodem modo profundendam putabant. Quum autem eæ sententiæ penitus obtinerent, magno animo, & excellenti ingenio viri vel insanabili morbo affecti, vel ingenti aliquâ, & inevitabili calamitate pressi sibi necem passim consciscebat. Hinc miserrimis illis temporibus Tiberii, Caligulæ, Claudii, Neronis frequentissimi interitus voluntarii magnorum virorum, atque clarorum leguntur; atque hujusmodi mortes laudabantur,

ut laudatus eſt obitus Lucretiæ, Catonis,
A Bruti, Portiæ, Othonis, qui quum flagitioſiſſimè vixiſſet, hac unâ laude conſtanter obitæ mortis omnia vitæ flagitia viſus eſt compenſaſſe. Qui verò in malis vitam produxiſſent, animo parum firmo, & vituperatione digni putabantur; ideo Cicero, quòd ſuperſtes Reipublicæ eſſe voluiſſet, neque ſibi necem intuliſſet, veretur hominum reprehenſionem. Licèt autem Plato divinitus aſſeveraſſet, neque militi in acie ſuum locom deſerendum, neque nobis vi-
B tæ ſtationem, in qua ſummus Imperator nos collocavit, niſi eo jubente, relinquendam; tamen hæc ſententia paucos aſtipulatores habebat, quia paucis veritas illuceſcit. Quum autem hæc ita ſe haberent, Corellius, quum triginta tres annos morbi tormenta ſæviſſima pertuliſſet, iſque ætate jam ingraveſcente ingraveſceret, nec requiem miſero daret, neque unquam remitteretur, ſtatuit ſibi auctoritati ſapientum obtemperandum; quod non impe-
C tu animi, neque furore, ſed conſtanti ratione adductus fecit; neque enim expectaſſet, dum Domitianus occideretur, ut hac quoque voluptate frueretur ex publico bono perceptâ, ſi magnitudine doloris vinceretur. Nobis alia ratio eſt, qui Chriſti doctrinam omnibus anteponimus; quæ quum vetet exire e vitâ, non expectatâ ſupremâ neceſſitate, dolores, & calamitates ferendo patienter adverſa ſunt lenienda. Sed quid ego hæc? non ut te
D doceam, neque enim indiges, ſed ut magnorum virorum famam tuear, quos reprehendi moleſtè fero, ſimul ut aliqoid ſcribam. Aullam velim moneas, ut ſibi conſulat, valetudinem curet, neque mihi reſcribat, niſi quum commodo ſuo facere poterit; eique ſalutem meis verbis nunciea, meque ſignifices incredibili letitiâ affectum accepto nontio, quo convaloiſſe eum cognovi. Vale.

Florentiæ XVIII. Kal. Sept. Anno MDCXCIII.

E I'D E M.

E Doleo mihi ſeriùs allatas tuas litteras, quàm oportebat, ob eamque cauſam non licoiſſe ante hodiernum diem evellere tibi ſollicitudinem ex animo, quæ te vehementer angebat ob adverſam Tillii noſtri valetudinem; gaudeo me tibi nuncium allaturum lætum, & exoptatum. Nam Tillius quum ardentiſſimâ febre conflictaretur, quæ ſic interdum incendebatur, ut animum, mentemque perturbaret, F rationemque propemodum perverteret, & depravaret, & licet ea diem unum, aut etiam diutiùs ex toto quieſceret, tamen quum accederet ſemper citiùs, timeremus, ne tandem continuaretur, & quum ex intervallo rediens tam eſſet metuenda, continens facta intolerabilis evaderet, ſinenſi pulvere ſumpto convaleſcit. Jam quindecim dies effluxerunt, ex quo febri prorſus eſt liberatus, redeuntque homini vires, redivit cibi cupiditas; ut jam non ſine cauſâ ſperare videamur febrem non ampliùs G rediturам; licèt ſinenſis pulveris ea ſit natura, ut frequentiùs aliquod intervallum vacuum a febre largiatur, eamque mitiget, leniat, levet potiùs, quàm funditus tollat. Sed quis nos vetat, quod valde cupimus, id eventurum exiſtimare; præſertim quum ſpei noſtræ eventus blandiatur? Sed ſi, quod Deus avertat, febris rurſus hominem occupabit; quis dubitet futuram leniorem, & omni periculo cariturам, quum habeamus tam præſens auxilium, quo vim ejus H poſſimus infringere? Atque utinam, ut inventa ratio eſt aliquarum febrium finiendarom, ſic podagræ tollendæ rationem aliquis Æſculapius inveniret; nos te valentiorem haberemus, & ad curſum celerem, & ad equitandum, atque ad pugnandum cominus gladio, & ad ſaltandum aptiſſimum; nec inimicorum impetus timeremus, quum tuâ virtute pro propugnaculo uteremur. Vale.

Florentiæ III. Kal. Oct. Anno MDCXCIII.

E I D E M.

Doleo te, Adriani clariſſime, de I fratris mei valetudine tam triſtes nuncios accepiſſe: doleo te ſine cauſâ vehementer eſſe conterritum; quem ego metum ſi tibi injectum iri potaviſſem, feciſſem profectò te de omnibus certiorem; neque paſſus eſſem tuam trsnquillitatem ab iis, qui omnia in majus augere gaudent, perturbari. Sed dum tibi parco, dum morbum brevem futurum eſſe confido, ſperoque me ſimul & ægrotaſſe fratrem, & convaluiſſe nunciaturum, ut ſine dolore merum gaodium impertirer, litteras dare ſuperſedi. Itaque K quum minimè deeſſent, qui gauderent auctores eſſe triſtiom nunciorum, vos tantas tragœdias excitaſtis, & de ſalute ejus propemodum deſperabatis; de quo nos, qui rem probè noveramos, eramos pæne ſecuri. Neque enim fuit ille morbus magnopere

pare pertimescendus, qui simul atque ho-
A minem corripuit, cœpit mitigari; nec ini-
tio quidem notas ullas exitii futuri præse-
tulit; quæ quamquam sæpissime fallunt, ta-
men solent homines exterrere. Veruntа-
men non omnino incommodè cecidit, ut
tu nequidquam timeres; nam & vota pro
salute fratris mei nuncupasti, & ad Supe-
ros preces fudisti, & alumnis tuis, quos
acceptissimos esse Numini propter inno-
centiam vitæ, necesse est, ut idem face-
rent imperasti. Pro quibus rebus, tibi gra-
B tias ago quàm maximas possum, oroque
Superos, ut nunquam his auxiliis indigeas,
neque unquam sollicitos habeas amicos
tuos; sed hæc aliàs agam tecum. Me pe-
regrinatorem scito esse factum, profectum
Senas; hospitio usum Nerii, qui utrique
nostrûm est conjunctissimus, ab eo me li-
beraliter habitum, ab amicis, qui rem se-
nensem administrant, exceptum perhu-
maniter, affectum honore, officio cultum,
rhedâ palatinâ, splendidissimis conviviis
C honestatum, cum Cardinale Mediceo diu
colloquutum, & summam ejus expertum
humanitatem. Nunquid invides? dabo
quod non invideas; Moderator noster,
quum postularem, ut augeret mihi stipen-
dium, negavit esse pecuniam. Vale.

Florentiæ XII. Kal. Sept. Anno
MDCXCIV.

EIDEM.

CRedo ego te mirari, quamobrem,
D qui tibi soleam etiam molestus
esse frequentiâ litterarum, tam-
diu siluerim; nec mandatis tuis
paruerim, qui me discedentem
complexus etiam, atque etiam orare non
destitisti, ut quum in Patriam revertissem,
quàm frequentissimè possem, ad te scribe-
rem; quam admirationem, ut tibi demam,
non causabor occupationes meas, quæ
nullæ sunt, sed causabor otium, & ex
eo natam desidiam. Novum excusationis
E genus tibi videatur, necesse est, quum ac-
cuser, quòd nihil ad te litterarum dede-
rim, excusare otium, propter quod ma-
gis videor accusandus; & tamen ita se
res habet. Quum necessariis negotiis di-
stinemur, ipsa necessitas agendi excitat
animum, nec sinit indormire desidiæ, ita-
que quum raró accidat, ut ita simus oc-
cupati, nullum ut tempus vacuum habea-
mus, si quid otii nobis tribuunt occupa-
tiones, id libenter conferre solemus ad ami-
cos litteris compellandos; nam animus la-
boribus assuetus hujusmodi officia ludum
putat, quapropter facilè ad ea colenda
convertitur: sed ubi sumus penitus otiosi, F
paulatim obrepit ignavia, quæ vel exiguum
laborem reformidat. Non est ergo mirum, si
quum eâ prorsus langueamus, ad officium
non excitamur; & quemadmodum, qui
adhuc somno torpent, etiam si expergisci
velint, & vigilare, in soporem facilè rela-
buntur; sic quum diu nihil egerimus, licèt
excitari cupiamus, ad eandem tamen iner-
tiam inviti revolvimur: Habes igitur
causam mei silentii, quæ licèt minùs ho-
nesta videatur, tamen, quod verum est, G
fateri non pudet; illud autem fuge suspi-
cari, me officium neglexisse, quia te pa-
rum diligam, quia oblitus tui fuerim; te
enim semper in animo, semper in oculis
gero, nec te mihi quisquam est jucundior;
ita me suavissimi mores tui, ita candor a-
nimi, similitudò studiorum, humanitas,
comitas, urbanitas, ingenium tibi me de-
vinxerunt. Vale, & Aullæ meo salutem
dicito.

Florentiæ VII. Kal. Aug. Anno
MDCXCV.

EIDEM.

PUtabam jam diuturnitate tempo- H
ris, Adriani carissime, exaruisse
lacrimas, evanuisse dolorem dile-
ctæ parentis morte susceptum,
quam amissam ætate decrepitâ,
tanquam adolescentulam luges; ideo con-
solationem litteris adhibere tibi superse-
debam, ne quum seriùs de tuâ calamitate
certior factus essem, non tam luctum leva-
rem, quàm renovando memoriam acerbi-
tatis, vulnus animi tui refricarem. Sed
quia ex tuis litteris intellexi te in sum- I
mo mærore versari, nec te adhuc ad me-
liores cogitationes retulisse, faciendum
esse duxi, ut conarer mederi dolori tuo;
cujus magnitudinem ex tuis verbis per-
spiciebam? Ea quippe est sententia littera-
rum, quas proximè ad me misisti, ut ap-
pareat, te animo esse victo, nec uti per-
spicaciâ, qua soles in rebus perpendendis.
Scribis enim tibi, quòd careas curâ alendæ
parentis optimæ, vitam esse viliorem; itaque
quod est in hac re boni, id pessimum arbi-
traris; & vitam miseram ducis, quia mors K
minùs reformidanda est; quum contra re-
putando, tunc sit vita jucundior, atque
beatior, quum mors minimè pertimescen-
da est; nam qui mortem pertimescit, vivere
jucundè non potest. Quomodo enim, qui
valde timet, quod semper imminet, tran-
quil-

ut laudatus est obitus Lucretiæ, Catonis,
A Bruti, Portiæ, Othonis, qui quum flagitio-
sissimè vixisset, hac unâ laude constanter
obitæ mortis omnia vitæ flagitia visus est
compensasse. Qui verò in malis vitam pro-
duxissent, animo parum firmo, & vitupera-
tione digni putabantur; ideo Cicero, quòd
superstes Reipublicæ esse voluisset, neque
sibi necem intulisset, veretur hominum
reprehensionem. Licèt autem Plato di-
vinitus asseverasset, neque militi in acie
suum locum deserendum, neque nobis vi-
B tæ stationem, in qua summus Imperator
nos collocavit, nisi eo jubente, relinquen-
dam; tamen hæc sententia paucos astipu-
latores habebat, quia paucis veritas illuce-
scit. Quum autem hæc ita se haberent,
Corellius, quum triginta tres annos mor-
bi tormenta sævissima pertulisset, isque æ-
tate jam ingravescente ingravesceret, nec
requiem misero daret, neque unquam re-
mitteretur, statuit sibi auctoritati sapien-
tum obtemperandum; quod non impe-
C tu animi, neque furore, sed constanti ra-
tione adductus fecit; neque enim expe-
ctasset, dum Domitianus occideretur, ut
hac quoque voluptate frueretur ex publi-
co bono perceptâ, si magnitudine dolo-
ris vinceretur. Nobis alia ratio est, qui
Christi doctrinam omnibus anteponimus;
quæ quum vetet exire e vitâ, non expe-
ctatâ supremâ necessitate, dolores, & ca-
lamitates ferendo patienter adversa sunt
lenienda. Sed quid ego hæc? non ut te
D doceam, neque enim indiges, sed ut ma-
gnorum virorum famam tuear, quos re-
prehendi molestè fero, simul ut aliquid
scribam. Aullam velim moneas, ut sibi
consulat, valetudinem curet, neque mihi
rescribat, nisi quum commodo suo facere
poterit; eique salutem meis verbis nuncies,
meque significes Incredibili letitiâ affectum
accepto nuntio, quo convaluisse eum co-
gnovi. Vale.

Florentiæ XVIII. Kal. Sept. Anno
MDCXCIII.

E I'D E M.

E DOleo mihi seriùs allatas tuas lit-
teras, quàm oportebat, ob eam-
que causam non licuisse ante
hodiernum diem evellere tibi
sollicitudinem ex animo, quæ
te vehementer angebat ob adversam Til-
lii nostri valetudinem; gaudeo me tibi nun-
cium allaturum lætum, & exoptatum.
Nam Tillius quum ardentissimâ febre con-
flictaretur, quæ sic interdum incendeba-
tur, ut animum, mentemque perturbaret,
rationemque propemodum perverteret, & F
depravaret, & licet ea diem unum, aut
etiam diutiùs ex toto quiesceret, tamen
quum accederet semper citiùs, timeremus,
ne tandem continuaretur, & quum ex in-
tervallo rediens tam esset metuenda, con-
tinens facta intolerabilis evaderet, sinensi
pulvere sumpto convalescit. Jam quinde-
cim dies effluxerunt, ex quo febri prorsus
est liberatus, redeuntque homini vires, re-
divit cibi cupiditas; ut jam non sine cau-
sâ sperare videamur febrem non ampliùs G
redituram; licèt sinensis pulveris ea sit na-
tura, ut frequentius aliquod intervallum va-
cuum a febre largiatur, eamque mitiget,
leniat, levet potiùs, quàm funditus tollat.
Sed quis nos vetat, quod valde cupimus,
id eventurum existimare; præsertim quum
spei nostræ eventus blandiatur? Sed si,
quod Deus avertat, febris rursus hominem
occupabit; quis dubitet futuram leniorem,
& omni periculo carituram, quum habea-
mus tam præsens auxilium, quo vim ejus H
possimus infringere? Atque utinam, ut in-
venta ratio est aliquarum febrium finien-
darum, sic podagræ tollendæ rationem ali-
quis Æsculapius inveniret; nos te valen-
tiorem haberemus, & ad cursum celerem,
& ad equitandum, atque ad pugnandum
cominus gladio, & ad saltandum aptissi-
mum; nec inimicorum impetus timere-
mus, quum tuâ virtute pro propugnaculo
uteremur. Vale.

Florentiæ III. Kal. Oct. Anno
MDCXCIII.

E I D E M.

DOleo te, Adriani clarissime, de I
fratris mei valetudine tam tristes
nuncios accepisse; doleo te si-
ne causâ vehementer esse con-
territum; quem ego metum si
tibi injectum iri putavissem, fecissem pro-
fectò te de omnibus certiorem; neque pas-
sus essem tuam tranquillitatem ab iis, qui
omnia in majus augere gaudent, perturbari.
Sed dum tibi parco, dum morbum brevem
futurum esse confido, speroque me simul
& ægrotasse fratrem, & convaluisse nuncia-
turum, ut sine dolore merum gaudium K
impertirer, litteras dare supersedi. Itaque
quum minimè deessent, qui gauderent au-
ctores esse tristium nunciorum, vos tantas
tragœdias excitastis, & de salute ejus pro-
pemodum desperabatis; de quo nos, qui
rem probè noveramus, eramus pæne secu-
ri. Neque enim fuit ille morbus magno-
pere

pare pertimescendus, qui simul atque ho- A minem corripuit, cœpit mitigari; nec initio quidem notas ullas exitii futuri præsetulit; quæ quamquam sæpissime fallunt, tamen solent homines exterrere. Veruntamen non omnino incommodè cecidit, ut tu nequidquam timeres; nam & vota pro salute fratris mei nuncupasti, & ad Superos preces sudisti, & alumnis tuis, quos acceptissimos esse Numini propter innocentiam vitæ, necesse est, ut idem facerent imperasti. Pro quibus rebus, tibi gra- B tias ago quàm maximas possum, oroque Superos, ut nunquam his auxiliis indigeas, neque unquam sollicitos habeas amicos tuos; sed hæc aliàs agam tecum. Me peregrinatorem scito esse factum, profectum Senas; hospitio usum Nerii, qui utrique nostrûm est conjunctissimus, ab eo me liberaliter habitum, ab amicis, qui rem senensem administrant, exceptum perhumaniter, affectum honore, officio cultum, rhedâ palatinâ, splendidissimis conviviis C honestatum, cum Cardinale Mediceo diu colloquutum, & summam ejus expertum humanitatem. Nunquid invides? dabo quod non invideas; Moderator noster, quum postularem, ut augeret mihi stipendium, negavit esse pecuniam. Vale.

Florentiæ XII. Kal. Sept. Anno MDCXCIV.

EIDEM.

D Credo ego te mirari, quamobrem, qui tibi soleam etiam molestus esse frequentiâ litterarum, tamdiu siluerim; nec mandatis tuis paruerim, qui me discedentem complexus etiam, atque etiam orare non destitisti, ut quum in Patriam revertissem, quàm frequentissimè possem, ad te scriberem; quam admirationem, ut tibi demam, non causabor occupationes meas, quæ nullæ sunt, sed causabor otium, & ex eo natam desidiam. Novum excusationis E genus tibi videatur, necesse est, quum accuser, quòd nihil ad te litterarum dederim, excusare otium, propter quod magis videor accusandus; & tamen ita se res habet. Quum necessariis negotiis distinemur, ipsa necessitas agendi excitat animum, nec sinit indormire desidiæ, itaque quum rarò accidat, ut ita simus occupati, nullum ut tempus vacuum habeamus, si quid otii nobis tribuunt occupationes, id libenter conferre solemus ad amicos litteris compellandos; nam animus laboribus assuetus hujusmodi officia ludum putat, quapropter facilè ad ea colenda F convertitur: sed ubi sumus penitus otiosi, paulatim obrepit ignavia, quæ vel exiguum laborem reformidat. Non est ergo mirum, si quum eâ prorsus langueamus, ad officium non excitamur; & quemadmodum, qui adhuc somno torpent, etiam si expergisci velint, & vigilare, in soporem facilè relabuntur; sic quum diu nihil egerimus, licèt excitari cupiamus, ad eandem tamen inertiam inviti revolvimur: Habes igitur causam mei silentii, quæ licèt minùs honesta videatur, tamen, quod verum est, G fateri non pudet; illud autem fuge suspicari, me officium neglexisse, quia te parum diligam, quia oblitus tui fuerim; te enim semper in animo, semper in oculis gero, nec te mihi quisquam est jucundior; ita me suavissimi mores tui, ita candor animi, similitudo studiorum, humanitas, comitas, urbanitas, ingenium tibi me devinxerunt. Vale, & Aullæ meo salutem dicito.

Florentiæ VII. Kal. Aug. Anno MDCXCV.

EIDEM.

Putabam jam diuturnitate temporis, Adriani carissime, exaruisse H lacrimas, evanuisse dolorem dilectæ parentis morte susceptum, quam amissam ætate decrepitâ, tanquam adolescentulam luges; ideo consolationem litteris adhibere tibi supersedebam, ne quum seriùs de tuâ calamitate certior factus essem, non tam luctum levarem, quàm renovando memoriam acerbitatis, vulnus animi tui refricarem. Sed quia ex tuis litteris intellexi te in sum- I mo mærore versari, nec te adhuc ad meliores cogitationes retulisse, faciendum esse duxi, ut conarer mederi dolori tuo; cujus magnitudinem ex tuis verbis perspiciebam? Ea quippe est sententia litterarum, quas proximè ad me misisti, ut appareat, te animo esse victo, nec uti perspicaciâ, qua soles in rebus perpendendis. Scribis enim tibi, quòd careas curâ alendæ parentis optimæ, vitam esse viliorem; itaque quod est in hac re boni, id pessimum arbi- K traris; & vitam miseram ducis, quia mors minùs reformidanda est; quum contra reputando, tunc sit vita jucundior, atque beatior, quum mors minimè pertimescenda est; nam qui mortem pertimescit, vivere jucundè non potest. Quomodo enim, qui valde timet, quod semper imminet, tran-

quil-

quillo animo esse possit? At tibi, quum
A parens viveret, quàm fuit magis mors metuenda? si quid enim tibi humanitus accidisset, matrem, quàm unicè diligebas, invalidam senectute, inopem, & omni præsidio destitutam reliquisses: nonne eâ te curâ vehementer angi necesse erat, & mortem perhorrescere; nec mortem solùm, sed etiam morbum, qui si te lecto penitus affixisset, nonne tibi alendæ parentis onus esset gravissimum? Hac sollicitudine liberatus, non est, cur de fortunâ tuâ con-
B queraris, cur tristitiâ, luctuque contabescas; sed cur Deo gratias agas, qui non tibi mortem, ut interpretaris, fecit optandam, sed minùs anxiam, & sollicitam vitam, sed extremum diem minùs pertimescendum. Ac vide, quàm benignè, quàm indulgenter egerit tecum; quia parentem amabas, noluit adimere tibi eâ ætate, qua sperare poteras diutiùs esse victuram; sed ad id senectutis tempus ejus vitam produxit, cui si duos, vel tres annos addidis-
C set, mirum profectò videretur; deinde quo magis expectatum vulnus te minùs cruciaret, eo morbo implicuit, qui spem omnem diuturnioris vitæ præcidebat. Et tamen adhuc intemperanter doles, vitamque tibi acerbam esse putas? quid si vigente ætate, si integrâ valetudine tibi eam Deus abstulisset? insanires profectò, qui nunc dolorem ferre vix potes; quum non lugenda sit tibi mors parentis, quum fato concesserit, sed potiùs ea, si viveret, esset
D optanda. Quid enim ea vivendo consequebatur, nisi ut diutiùs torqueretur, ut miseriam tristissimi temporis propagaret? Jam nulla jucunditas miseram poterat oblectare, jam defecerant vires, jam valetudo, jam sensus; hac vitæ conditione quum parens uteretur, putas tibi optandum fuisse, ut diutiùs in tantâ acerbitate versaretur? Vide, ne quodammodo sit impia hæc pietas tua: vide, ne Dei beneficium malignè interpreteris: vide, ne quum
E munus acceperis, te damnum putes accepisse, ob eamque causam ingratus in Deum esse videaris. Cogita non multum esse, quod tibi ademptum est, non enim parentem, sed, ut ita dicam, parentis cadaver amisisti. Hoc si cogitabis, leviùs, & temperantiùs dolebis; neque enim, quæ tua sapientia est, idcirco conflictaris, quòd id ad officium ducas pertinere, ut maxima pars vulgi solet; nam id quàm abhorreat a veritate non solùm philosophorum ra-
F tio, sed etiam Christiana pietas, & sapientia declarat. Nam philosophia docet omnes debere casus ferre constanter adversos, Christiana sapientia non esse graviter, molesteque ferendum, quod a Deo bonorum fonte proficiscitur. Quare desine mærere, desine conflictari, & nobis restitue tuam suavitatem, & si nos amas, cura, ut valeas.

Florentiæ Prid. Id. Sept. Anno
MDCXCVI.

EIDEM.

Legi Epithalamium tuum, & eâ lectione sum mirificè delectatus; G ac nisi me juberes Aristarchum agere, egerem dumtaxat laudatorem; sed parendum est imperio tuo pæne Manliano, quo me cogis nodum in scirpo quærere, & elegantissimis versibus, qui sunt æternâ vitâ digni nigrum præfigere theta. Pauca igitur, ut invitus, adnotabo, magis ut morem geram tuæ voluntati, quàm quòd in tuis carminibus quidquam esse ducam valde reprehendendum, H

..... *Quæ diffita nostris*
Tam longè a seclis Cælo non laudibus æquet
Laurentes, Cosmosque ætas.....

Diffitum est *disseminatum*, *sparsum*; diffitum pro remoto latinè dici negat Scioppius in Paradoxis; & sanè solus Apulejus hoc significatu dixit: *diffita longiusculè*, quem sequuti sunt omnes, qui hoc sæculo, vel superiore scripserunt. Ego quoque in meis Orationibus semel, aut bis diffitum posui pro remoto, sed me pænitet; I neque enim Apulejum tanti facio, ut putem civitate donare posse voces aliis non usitatas:

..... *Phitiam, Phæstumque, & Hypatam*

Hypata secundâ correptâ pronunciatur, nam Hypatos, quæ vox Græcis supremum significat, secundâ brevi legitur, ut apud Homerum:

Ὦ πάτερ ἡμέτερε, Κρονίδη, ὕπατε κρειόντων

& alio in loco:

Ζὴν ὕπατον......

& Hypate in fidibus, quæ est prima, me- K diâ contractâ effertur:

Sacratumque nemus, vitreis & Sperchius undis.

Sperchius secundâ longâ a Virgilio usurpatur:

Sperchiusque, & Virginibus bacchata Lacænis
Taygeta.....

Et sanè naturâ longa est, est enim diphthongus; & licèt diphthongi consequente vocali interdum contrahantur, ut in illo notissimo Ovidii versu:

Tardior antiquis visa Mæotis hiems;

tamen ubi deest exemplum, naturam syllabæ libentiùs sequar, & spectem. Illud quoque mihi videtur adnotandum; nimia fre-

frequentet trajicisque, & ἐ conjunctio-
A nes; Scaliger in Poëticâ Tibullum repre-
bendit, quòd utatur hac trajectione nimis
crebrò, ut illo carmine:

Effusum ventis præbueratque sinum;

at in toto Tibullo vix tot hujusmodi tra-
jectiones, quot in tuo poëmatio reperiun-
tur. Gastonem appellas lucem alteram E-
trusci Regni; spem alteram libentiùs di-
xerim, ut Ferdinandus sit una spes Medi-
ceæ stirpis, altera sit Gasto. Quid quod
laudem, quæ Cosmo, & Laurentio debe-
B batur, fovendi litteras, & musas in Latium
revocandi Clementi tribuis? nam etsi Cle-
mens non illiberalis fuit in litteratos, ta-
men eum Cosmo, & Laurentio non mo-
dò Clemens, sed ne Leo quidem ipse est
comparandus. Hi quippe primi ad bene
sperandum de litteris signum sustulerunt,
& exemplo suo Pannoniæ Reges, & Nea-
politanos, omnes denique viros Princi-
pes ad studia promovenda commoverunt.
Antea nemo alebat studiosorum greges,
C nemo doctos viros e longinquis regioni-
bus accersebat, nemo vetustos codices col-
ligebat, nemo numismata, & alia monu-
menta vetustatis sibi comparabat. Hæc
omnia ab illis instituta ingeniis lucem at-
tulerunt, & litteras ab interitu vindica-
runt. Nec deerant alii proceres Medicûm
singulari laude prædicandi; ut Silvester;
qui primus Mediceæ domus magnitudinis
jecit fundamenta; Petrus, qui Cosmo suc-
cessit, cui ad summam laudem admini-
D strandæ Reipublicæ nihil defuit, nisi vale-
tudo; Julianus Laurentii frater mitissimi
vir ingenii, & deliciæ Populi Florentini;
Hippolytus, cujus nemo magnificentiam æ-
quavit, & Joannes omnibus anteponen-
dus, qui, ut Cosmus, & Laurentius litteras,
artem militarem videtur instaurasse. Nam
quum antea tota belli gerendi spes in equi-
tibus poneretur, primus vidit in acie pluri-
mum valere peditatum; disciplinamqe mi-
litarem primus ad Veterum normam cor-
E rexit; cujus etiam milites gregarii, & lixæ
in præstantissimos duces evaserunt; tanta
illi viro superfuit scientia rei militaris, ut
nemo eo doctore sit usus, quin ad sum-
mam ejus artis scientiam pervenerit. Ef-
fudi omnia, quæ in tuis carminibus non
tam reprehendenda, quam adnotanda ju-
dicavi; quæ si levia tibi videbuntur, ele-
gantiæ tribues tui poëmatis, quod qui re-
prehendere conatur, levia cogitur afferre,
& a veritate forsitan aberrare. Vale, &
Aullæ nostro salutem plurimam dicito.

Florentiæ III. Non. Sept. Anno
MDCXCVII.

EIDEM.

NE de silentio meo queri possis,
Adriani, accipe, quæ Heme- F
rodromus hujus rei causâ mis-
sus e Germaniâ nudius tertius
nobis nunciavit. Deletæ sunt
Turcarum copiæ, duodecim Barbarorum
millia ceciderunt, capta septuaginta ahe-
nea tormenta, parta insignis victoria ductu,
& auspiciis Eugenii Principis Taurino-
rum; quæ licèt fortasse tibi non sint inau-
dita, tamen scribenda judicavi, quia non
dubito, quin sint verissima. Illud quoque
nudius tertius est allatum, Senis terram G
movisse vehementer non sine aliquâ labe
ædificiorum, sine clade tamen hominum
qui ex urbe effugerunt; tenuisse multos
dies id malum, nam heri nondum desierat,
quum nudius quinctus incepisset. Quàm
vellem Aullam sese rus non contulisse;
tempus appropinquat, quo negotia nostri
Gymnasii transiguntur; & erant quædam,
de quibus ipsum certiorem factum opor-
tuit; si ad Eræ Pontem litteras mittam, fe-
rò perferentur. Vale.

Florentiæ VIII. Kal. Oct. Anno
MDCXCVII.

EIDEM.

VIx tenui risum, Adriani cla-
rissime, quum tuas litteras le- H
gerem; quibus affirmabas te
suspicari mihi non placuisse
tuam in scribendo libertatem;
offensumque me, quòd quædam, quæ in
tuis carminibus reprehenderam, defendis- I
ses. Adeone me ignoras, quum tot annos
mecum sis assiduè, familiariterque versa-
tus, ut putes eandem ab amicis exigere
venerationem, quam Pythagoras a disci-
pulis exigebat; qui quum dixerant, αὐ-
τὸς ἔφα, redarguendi sui locum adversa- K
riis non relinquebant, & pro evidenti
argumento Magistri auctoritas habebatur?
Ego verò & reprehendi, & refelli non
recuso, & facilè patior unicuique sua non
displicere; præsertim tibi, cujus ego scripta
miror, & abesse a vitiis quàm longissimè
arbitror. Cur ergo non respondi? quia
nihil erat, cur putarem esse responden-
dum. Tu quæ reprehenderam, quamvis
nonnulla defenderes, commutaras; nec e-
ram, quum nihil jam prodesse tibi possem,
cupidus tecum contendendi; nec habebam
in

in animo tua dicta refellere, ne tuorum
A studio carminum carpendorum magis, quàm officio viderer ea, quæ castigavi, castigasse. Novi autem nihil erat, quod scriberem, quia quæ litteræ communes, & pervulgatæ afferunt, scribenda non censeo, quòd existimo tibi esse notissima. Si quid autem ab Hemerodromo allatæ litteræ nunciarunt, quia non æquè notum judico, de eo te facio certiorem, nec semper; non enim semper libet scribere, nam sum inertissimus, & quod otii sum
B nactus, libentiùs in libris perlegendis, quàm in scribendo consumo. Exposui tibi causam mei silentii, quam si minùs probaveris, quominus pœnas dem, non recusabo. Aullam nostrum rus profectum esse credo, & ideo ad eum nihil mitto litterarum; sed si nondum profectus est, jubeto salvere meis verbis plurimum; nihil enim puto petere, quum hoc tempore, quo omnes venerunt, qui petunt, Florentiam venire supersederit. Vale.

Florentiæ XI. Kal. Octobr. Anno MDCXCVII.

EIDEM.

C Rusi, quum legi tuas litteras, quibus postulatum Pisanorum continetur; nam eos video in magno errore versari, qui putent a me sublatam comparationem, qua reliquias Pisanarum Thermarum his, quæ tempus, aut injuria Barbarorum ex Antonini, & Diocletiani Thermis reliqua fecit, anteponebam; quia invidiosum mihi videretur res Pisanas cum Romanis comparare. Ego verò si veritati consentaneum putassem, nullas ex Antonini, & Diocle-
D tiani Thermis reliquias extare, quæ cum Pisanis essent conferendæ, invidiam non reformidassem; & facilè doctissimis viris, qui hunc locum reprehendebant, persuasissem, nihil esse mutandum. Sed sustuli, quia a veritate abhorrere censebam, censueramque etiam antequam ea de Pisanis Thermis conscriberem; nam tantæ extant reliquiæ Thermarum Romanarum, ut eas in duo augusta Templa Romani deformarint, quorum alterum admirandum
E est artificio constructum Michaëlis Angeli Bonarotii Florentini. Quid ergo viburna cupressibus compararem? Cur igitur, inquies, id scribebas, quod ineptum, quod falsum arbitrabaris? quia ejus, qui mihi negotium scribendi dederat, violentiam non potui sustinere; & simul veritus sum, ne viderer invidere gloriæ Pisanorum. Sed hanc comparationem, ne ipsi quidem Pisani reponi postulant; illa autem, quæ de F
antiquitate Thermarum scripseram, deleta molestè ferunt, & petunt, ut reponantur; & ego non repugno eorum voluntati, dummodo sciant ea me delesse, quòd invitus initio scripseram, quum nullo probabili argumento niti viderentur; & quidquid feci, fecisse auctoritate adductum Cascinæ viri clarissimi, & docti cum primis, & eruditi, & Cardinalis Norisii, qui putat Pisanas Thermas, quarum extant vestigia temporibus Augusti longè esse juniores. G
Et sanè argumentum, quod ex Pisanis marmoribus ducitur, levissimum est, immo nullum; nam ex illis constat Augusti ætate Pisis Thermas extitisse; sed quis audeat affirmare, Thermas, quibus eâ tempestate Pisani utebantur, non fuisse diversas ab his, quarum sudatorium hodieque cernitur? Equidem existimo eodem tempore, quo Græci Pisas condiderunt, eos & Thermas condidisse; nam quum balnei usus tam frequens esset, necessariæ Thermæ H
habebantur; nec ulla fuit urbs, quæ publicis balneis careret; quin etiam in oppidis paulo amplioribus multas puto fuisse Thermas; quum enim homines saltem semel in die lavarent, immo quidam septies balneo uterentur, nulla Thermarum laxitas poterat sufficere lavantium multitudini. Itaque memoriæ proditum est Agrippam centum sexaginta Thermas gratuitas Populo præbuisse; ex quo colligi potest, quanta Romæ fuerit Thermarum multitu- I
do. Hoc ipso tempore, quo plerique Aristophanis Patroclum imitantur, qui, ex quo natus est, nunquam lavit, quo multi utuntur Arno fluvio ad sordes corporis eluendas, pauci verò semel, aut bis in anno indigent operâ balneatoris; Florentiæ septem, aut octo publicæ Thermæ numerantur; ut nihil de privatis loquar, quibus procerum domus non carent; quantum numerum fuisse hujusmodi ædificiorum putamus eo tempore, quo homines lavabant sæpius, quàm vescebantur? Quæ quum K
ita se habeant, quis præstare possit Thermas, quæ in Pisanis marmoribus nominantur, eas esse, quarum hodie ruinas intuemur? Est igitur id futile argumentum, quo me uti coëgit Sempronius, & eo libenter abstinerem; sed si viri primarii Pisanæ Civitatis me eo volunt uti, utamur sanè; non enim mihi jucundius est opinionem meam sequi, quàm tuæ, & eorum morem gerere voluntati. Illud oratos velim homines humanissimos, ut incidi Mar- L
mori jubeant Inscriptionem eo modo, quo ipse composui, non quo ipsi concinnandam censuerunt; & exemplum, quod tibi mitto, non quod tu mihi misisti, transcribendum curent. In notandis annis sequutus eram

eram tempus, quo Magnus Dux reliquias
A Thermarum tuendas, conservandasque
mandavit, non quo Inscriptio inciditur;
ideo scripferam, nisi fallor, Anno 1693. vel
quarto; quod, si tu rectius putaveris, reti-
nebis; in exemplo, quod ad te mitto, scri-
ptum est Anno 1698. Vale.

Florentiæ Prid. Id. Jul. Anno
MDCXCVIII.

EIDEM.

Ultimas litteras, quas ad me de-
disti, accepi alienâ manu exa-
ratas; ex quo intellexi te gra-
B viter ex podagrâ laborare, quod
ego, ne te solum divinum pu-
tes, multo ante prævideram; quanquam
mea divinatio non erat talis, qualem tuam
esse jactas, qui te afflari divinitus prædi-
cas, sed ex conjecturâ ducebatur. Scie-
bam te posteaquam Florentiam sum pro-
fectus, quasi custode remoto, quotidie
convivari eum Parasacchio, & Græco mo-
re potare; quid ergo suspicarer, nisi id,
quod accidit, eventurum? An existimabas
C me, siquid intemperanter ageres, ignora-
turum? Tu quidem omni studio me ce-
latum voluisti, neque enim conviviis, quæ
Parasacchio exhibebas, Aullam adhibuisti,
quia mihi renunciaturum arbitrabaris. Sed
multi te observant, quòd multi te incolu-
mem volunt. Pessimè igitur tibi consu-
luit, qui tantum vini veteris, & melioris
notæ dono misit; credidit vinum mitte-
re, misit venenum; tu quoque pessimè
consuluisti, qui Pisanis balneis uti noluí-
D sti, quum a summo viro luculentis condi-
tionibus invitareris; adeo aquam nun-
quam tibi profuturam opinaris, eamque,
ut Horatii verbis utar, sanguine viperino
cautiùs vitas, & cane pejus, & angue fu-
gis; sed hactenus tecum egi patruum, nunc
venio ad litteras tuas. Quæris, quid de va-
letudine Regis Hispaniæ mihi renuncie-
tur; ego nihil aliud audivi, quàm quod
dudum est pervulgatum, defectum animo
jacuisse, adeout exanimatus diu videretur,
E deinde refocillatum; & medicamentis adhi-
bitis alvi inanitione curatum, quum in-
gentem vim excrementorum egessisset. Agi
de pace cum Rege Turcarum jam pridem
audivimus, factam esse nondum comperi-
mus; conditiones nimirum, quæ postulan-
tur a Cæsare, sunt impedimento. Vale, &
Aullæ nostro, Zambeccario, & Giannettio
salutem dicito. Sex viris renuntiato me,
quidquid egerunt, probaturum.

Florent. V. Id. August. Anno
MDCIIC.

EIDEM.

Tu quidem omnes ingenii ner-
vos intendis, & omnia undi- F
que argumenta conquiris, qui-
bus probes, podagrâ solere ten-
tari non solum eos, qui se ci-
bis ingurgitarunt, & vino intemperantiùs
obruerunt, & usi sunt venereis voluptati-
bus, sed etiam sobrios, & temperatores.
Quod ego libens concesserim, ne videar
auctoritati tuæ repugnare, neve secus de
te viro gravissimo, quàm tua virtus postu-
let, judicare; præsertim quum utaris exem-
plis duorum sanctissimorum hominum, qui G
podagrâ laborarunt, quos non possumus
suspicari in hunc morbum propter intem-
perantiam incidisse. Sed si velim meo mo-
re tecum jocari, non mihi desint argumen-
ta, quibus epistolam tuam possum confu-
tare. Nam videmus eos, qui vitam labo-
riosam, sobriam consectantur, qui vel ne-
cessitate coacti, vel adducti ratione, & con-
silio sapientum virorum parcè victitarunt,
expertem hujus morbi vitam traducere;
quo in numero sunt rustici omnes, & ii, H
qui propter inopiam vitam, & victum a-
ridum, & tenuem colunt; & philosophi
veteres, qui sapientiam re, non verbis pro-
fessi sunt, ex quibus unum Posidonium fu-
isse podagricum accepimus. Stoici carpunt
Epicurum tanquam intemperantem, quòd
strangurià, & torminibus vexaretur; &
ajunt hos morbos ab intemperantiâ profi-
cisci; & tu me suspicari vetas podagram
ab eadem radice provenire, quam omnes
Medici clamant filiam esse immanium po- I
culorum, ne dicam turpioris voluptatis?
Hippocrates negat feminas articulorum do-
loribus esse obnoxias; quòd ætate suâ non
esse verum Seneca asseverat, & ejus rei
causam esse dicit intemperantiam sæculi;
en igitur non aberrat a conjecturâ, qui pu-
tat id genus invaletudinis ex vino, & epu-
lis opiparis nasci; Turcarum natio certè,
quæ vino, & delicatis dapibus non utitur,
hac peste non conflictatur. At enim duo
proceres Christianæ Reipublicæ, & Posi- K
donius clarissimus auctor sapientiæ articu-
larem morbum vitare non potuerunt; pri-
mum tibi respondebo, me exemplis, quæ
rarissima sunt, non commoveri; neque e-
nim quia aliquando Anaxagora prædicen-
te saxum ingens e Cœlo dicitur decidis-
se, aut quia Æschylus est interemptus,
quum aquila in ejus caput testudinem de-
jecisset; idcirco quum mihi foras prode-
undum est, ne testudinis casu, vel lapidis
cœlestis exanimer, pertimesco; quæ per-
quam rarò accidunt, perinde sunt, ac si
nunquam accidissent, nec habent vim e-
xem-

xempla perſuadendi, quæ ſemel, aut bis
A in omni ævo evenerunt. Evolve ſacros
faſtos, hos duos tantùm vitæ ſanctitate in-
ſignes viros, quos nominaſti, reperies, hu-
juſmodi malo eſſe vexatos: evolve vitas
philoſophorum, unum dumtaxar Poſido-
nium animadvertes hoc genere doloris eſ-
ſe cruciatum; non igitur exempla tam ra-
ra perſuadent. Deinde dicam clariſſimos
illos viros aſſiduis vigiliis, & immodieis
laboribus, quos vel in indagandâ verita-
re, vel augendâ Chriſtianâ Religione ſu-
B ſceperant, morbum contraxiſſe; nec ta-
men prohibebo, quominus in eorum nu-
merum te aggreges, dummodo podagro-
ſorum patrocinium non ſuſcipias, quos
conſtat pleronque vinolentiæ, & libidinis
pœnas dare; cojus rei teſtem poſſum ap-
pellare meum Civem eloquentiſſimum, cu-
jus verba ſubjeci „ *Eſſi non ſi vergognano,*
che altri ſappia loro eſſer gottoſi; e credonſi,
che altri non conoſca, e ſappia, che i digiuni
aſſai, le vivande groſſe, e poche, ed il viver
C *ſobriamente faccia gli uomini magri, e ſotti-*
li, e il più ſani; e ſe pure infermi ne fan-
no, non almeno di gotte gl' infermano, alle
quali ſi ſuole per medicina dare la caſtità, e
ogni altra coſa a vita modeſta appartenente „
Bocc. Giorn. 7. Nov. 3. Hactenus recum ſum
jocatus, Adriani, quum mihi ſcriptionis
argumentum deeſſer, niſi ſtylum ad jocos
convertiſſem; gratulor te podagræ crucia-
tibus eſſe liberatum, & valetodinem pri-
ſtinam recepiſſe; ſi modò vera Piſani mi-
hi nunciaronr. Bellinium ſcito eodem
morbi genere, quo tu laboras, conflicta-
ri. Vale.

Florentiæ V. Idus Sept. Anno
MDCIIC.

EIDEM.

SErius, quàm par erat, mihi red-
D ditæ ſunt litteræ tuæ, & ideo ſe-
riùs, quàm decuir, reſpondeo;
cave putes ingratam mihi unquam
fuiſſe tuarom frequentiam epiſto-
larum, quibus nihil jucundius eſſe po-
teſt etiam occupato. Habui quidem bis in
Academiâ primariâ hujus civitatis ſermo-
nem paulo breviorem his orarionibus,
quas Piſis habere ſoleo in ſolemni inſtao-
ratione ſtudiorum; ſed eâ re non prohi-
E bebar, quominus & litteras tuas libenter
acciperem, & legerem, & iis reſponde-
rem; & ſi quando officium reſponden-
di diſtuli, id accidit vel negligentiâ meâ,
vel quòd alicujus libri lectione detinebar,
vel quòd inanes litteras pigebat ſcribere.
Nunc autem, quum mihi ſcribendi mate-
riam ſuppedites, omnem inertiam ſtatim F
abjeci, & omũi legendi, ſcribendique ſtu-
dium. Contulis autem me de re, quæ mi-
hi non venit in mentem; ais ex me au-
diſſe, quum Florentinorum, & Honorii
Imperatoris copiæ Rhadagaſum Gothorum
Regem, & ejus ingentem exercitum pro-
fligarunt, & fame, ferroqoe delerunt, a qui-
buſdam Auctoribus eſſe memoriæ prodi-
tum, quemdam e gente Mediceâ fuiſſe
docem Florentinorum. Ego verò non
memini me id unquam affirmaſſe; nec G
poſſum prodocere reſtem aliquem hiſtori-
cum, cujus auctoritate uti poſſis. Ne ta-
men te prorſus deſtituam, quoniam te au-
ctoritatem meam ſequutum eſſe dicis, u-
tar teſtimoniis poëtarum, quibus, niſi tua
verba hiſtoricâ fide obligaſti, contentus eſ-
ſe poteris. Hanc igitur hiſtoriam elegan-
ter, fuſeque perſequitor Petrus Angelius
Bargæus Elegiâ, cujus initium eſt:

Quantum picturæ, ſtatuiſque poëmata præ-
ſtent, H
O Dux magnorum maxime Coſme Du-
cum.

Ubi narrat urbe pæne captâ Florentinos
duce qooddam Medice erupiſſe, & in hoſtem
impreſſionem feciſſe, eoſque fudiſſe; Me-
dicemque Rhadagaſum obtruncaſſe. Exrat
etiam Lælii Torellii doctiſſimi viri de cæ-
de Rhadagaſi Epigramma, quo teſtatur a
Medice Rhadagaſum trucidarum.

Barbarus infeſto Rhadagaſus Medicis ictu
Dum ruit, & jam ſpes concidit omnis, I
ait:
Florentem at minor hanc, atque Urbem ex-
cindere Romam
Gloria erat, dexrâ quàm cecidiſſe tuâ.

Credibile eſt aurem id a duobus graviſſi-
mis viris non hauſtum e vano, ſed apud
aliquem ſcriptorem inveniri, quem vel
non legerim, vel apud ipſum id me le-
giſſe non recorder. Cura, ut valeas, me-
que diligas.

Florentiæ Kal. Sept. Anno
MDCIC.

EIDEM.

AD urbem veſtram proficiſcitur K
vir doctiſſimus Monfoconius, &
Græcæ litteraturæ ſcientiâ, &
Sanctorum Patrum, & Sacra-
rum Litterarum notitiâ clariſſi-
mus; is deſiderat, dum in iſtâ orbe verſa-
tur, habere comitem non imperitum ci-
vitatis, cui pateant bibliothecæ (nam hu-
jus rei præcipuè ſtudioſus eſt, & multos
Pa-

Patrum libros, qui nondum lucem vide-
A runt, est editurus) qui se deducat ad lo-
ca celebriora visenda, quod ego tibi mu-
nus injungo. Stultè, inquies, podagri-
cum elegisti, qui pedibus valentem comi-
tetur; sed quid agam? non habeo alium
amicum Lucæ. Si tibi grave est, aut per
valetudinem nequis ambulare, poteris uni
ex amicis tuis id negotii dare; dum ho-
minis voluntati satisfiat, nihil interest per
te, an per alium id assequatur. Quod si
mihi in hac re morem gesseris, humanita-
tem laudabo tuam, & me affectum maxi-
mo beneficio prædicabo. Vale.

Dat. Pisis Kal. April. Anno MDCCI.

EIDEM.

B TU quidem multa collegisti, qui-
bus luctus, mærorque meus ca-
rissimæ parentis morte susce-
ptus levaretur; & functus es of-
ficio amicissimi viri, qualem
semper te esse credidi, & multis experi-
mentis doctus intellexi; nec mediocriter
mihi litteris tuis profuisti; nam quæ con-
solandi mei causâ excogitaras, vera esse
perspiciebam; tamen in eo ipso, quod ad
abstergendum dolorem meum potissimùm
inveneras, aliqiod, quod animum punge-
C ret, reperiebam. Mores enim optimæ pa-
rentis, quibus Beatorum sedes eam con-
sequutam non immerito putas, quo sua-
viores erant, & amabiliores, eo molestiùs
fero me eorum suavitate esse privatum;
gaudeo qoidem opinione felicitatis, qua
potitam reor, aut brevi potituram, sed
doleo mihi ereptam virtutem, qua per-
fruebar. Nec tamen velim, tibi persua-
deas, me animo abjecto nimis, & fracto
esse, & in luctu jacere, & mærore con-
D fici; nam hunc casum quamvis acerbum
toleranter, & humanè toli; & nonc par-
tim amantissimis tuis monitis, & litteris,
partim rationibus ex intimâ philosophiâ
depromptis sublevatus nihil, aut parom
dolori cedo, & potiùs in recolendâ me-
moriâ matris optimæ, quæ mihi dulcis-
sima est, quàm in deflendâ morte sum
occupatus. Occurrit animo species ejos,
occurrunt facta, de quibus libenter, &
multum cogito; quæ cogitatio & si men-
E tem aliquo doloris morsu perstringit, mol-
tum habet admixtum jocunditatis. Itaque
conor, quam mors eripuit, præsentem con-
stituere; nec patior ejus unâ cum corpo-
re intermori memoriam, in qua acquiesco;
nec multo secus eâ fruebar, quum viveret;
neque enim præsentem videre, nisi raro, li-
cebat, quum tot menses abesse cogerer a F
Patriâ, & a conspectu meorum publico
munere impeditus. Quemadmodum igitur
eo tempore non augebar desiderio paren-
tis, & erat ejus mihi jucunda recordatio,
quia eam vivere sciebam; ita nunc minùs
crocior animo, & ejus cum quadam vo-
luptate memoriam colo, quia vitam flu-
xam, & brevem, & plenam morbis, & mi-
seriis cum sempiternâ, & beatissimâ arbi-
tror commutasse. Ac nisi corpus hoc, in
quod tanquam in carcerem sumus detrusi,
luminibus, ut ita dicam, officeret verita- G
tis, lætarer profectò, quòd eam crederem,
ex his tenebris evolasse, ex his fluctibus,
& procellis, quibus assiduè conflictamur,
emersisse, & omnia incommoda ingrave-
scentis ætatis effugisse, omnes dolores, &
cruciatus, & pericula evasisse, & in por-
tum tranquillitatis æternæ, & felicissimæ,
& in lucem purissimam pervenisse. Sed
quoniam hanc crassam, qua circumfundi-
mur, inscitiæ caliginem discutere penitus
non possumus, & aliquâ cogimur in com-
muni errore versari, dolorem certè speratâ H
felicitate parentis minuemus; quod nunc
ago, & egi, ubi primùm ejus mors nuncia-
ta est. Quin etiam gratias ago Deo optimo
maximo, qui mihi non improvisò tantum
hoc volnus inflixit; & primùm mori vo-
luit parentem meam eâ ætate, qua nemini
mors esse potest inopinata; deinde dedit il-
li proximis annis valetudinem valde infir-
mam; nam & vertigine laborabat, & distil-
latione, & tussi, & stomacho, & infirmis-
simis viribus utebatur. Quapropter expe-
ctatione mali ad malum perferendum ani-
mum meum Deus præparavit; sequor ergo
Deum auctorem minuendi doloris, qui me
non repente præcipitavit, sed molli bra-
chio deposuit. Vale.

Pisis Prid. Non. April. Anno MDCCIII.

EIDEM.

NOn oblivione tui, carissime A- I
driani, sed potiùs desidiâ qua-
dam, & fugâ laboris, diu nihil
ad te litterarum dedi; simul (ne
omnem silentii mei culpam in
me conferam) verebar, ne tuum altissimom
otium, quo mirificè delectaris, molestus
interpellarem; quod te omnibus humanis
bonis credebam anteponere eo adductus
argumento, quod videbam te Pisas, & a-
micos reliquisse, ne munere erudiendæ
juventutis, in quo diu cum ingenti laude
ver-

verfatus fueras, fungereris; Lucamque te
A contulisse, non ut Patriæ conspectu, sed
ut otio fruereris; multosque nobiles ado-
lescentes Lucenses, qui se tibi in discipli-
nam tradere cupiebant, repudiasse; ac ne
studio quidem juvandi tuos cives, & Pa-
triæ commodis inserviendi a consilio, quod
semel susceperas, abduci potuisse, quod
superest vitæ, procul ab omni labore, om-
nibusque curis exigendi; nec quemquam
audire voluisse, qui te ad aliquam docen-
di provinciam, licèt honorificam, licèt
B quæstuosam, licèt non admodum laborio-
sam vocaret; ut, quasi Epicureus Deus,
beatus esses nihil agendo. His de causis
suspicabar tibi molestum fore quidquid
longæ desidiæ indormientem excitaret,
omnemque scribendi, rescribendique mo-
lestiam, cane pejus, & angue vitaturum.
Augebatur hæc suspicio, quòd in tam pin-
gui otio, tot annis nihil ferè conscripse-
ras, quod in manus nostras perveniret; &
antea, quum esses occupatus, identidem
C aliquo poëmatio nos oblectabas, nunc o-
tiosus omnem pangendi carminis curam
abjecisti; itaque tandiu silent Adrianii
Musæ, videnturque Harpocratis esse co-
mites, non Apollinis. Non ergo absurdè
faciebam, si tibi, quem diligo, & cujus
voluntati morem gestum cupio, nolebam
meis litteris molestiam exhibere, & scri-
bendo rescribendi imponere necessitatem,
& quasi jucundissimo somno consopitum
excitare; in quo proposito meo perseveras-
D sem, nisi occasio incidisset, qua te velim meâ
causâ paulisper laborare. Amicus noster Ciu-
rinius homo probus, & studiosus tui, & a-
mans amicorum vehementer a me conten-
dit, ut pro eâ, quæ mihi tecum intercedit,
necessitudine a te etiam, atque etiam petam,
ut carmen aliquod Latinum, in laudem
Cardinalis amplissimi Francisci Pignattellii
eâ, qua soles, elegantiâ conscribas. Id e-
go cupiens & amici voluntati satisfacere,
& aliquid a te lucubrationis exculpere,
E enixè te rogo, ut enixiùs rogare non pos-
sim; perfer hunc meâ causâ laborem,
quem quum pertuleris, per me perpetuò
conquiescas, & Cretensis Epimenidis som-
no consopiaris, licet, quem totos quin-
quaginta annos ferunt obdormisse; cujus
ego tibi a Deo longinquitatem ætatis pre-
cor, quæ centesimum quinquagesimum ex-
plevit annum. Quum carmen elaboraris,
ad me mittito, ego Curinio mittam, vel
feram; nam reditus mei tempus appro-
pinquat, ut appareat, me ejus mandata
non insuper habuisse. Vale.

Pisis V. Id. Jun. Anno
MDCCIV.

EIDEM.

ACcepi litteras tuas, & cum litte- F
ris pulcherrimum poëmatium,
quod meo rogatu de laudibus
Francisci Pignattellii Cardina-
lis amplissimi condidisti; cujus
elegantiam, nitorem, numerorumque sua-
vitatem quum contemplor, doleo te ob-
stinasse animo Musis, quæ de te tam bene
meritæ sunt, nuncium remittere; & abdi-
cato docendi munere in ignobili otio,
non sine metu summæ egestatis (ignosces
mihi utenti libertate dicendi) quod supe- G
rest ævi consumere. Video enim id tuum
consilium, & publicè studiosæ litterarum
juventuti, & privatim tibi magno detri-
mento futurum. At quàm sunt leves, &
quàm facilè convelluntur eæ rationes,
quibus te adductum scribis, nolle te anti-
quo ludo rursus includere. Causaris in-
valetudinem tuam, causaris senectutem,
vel potiùs ætatem jam vergentem in se-
nium, perinde ac si te ad militiam, vel ad
fodiendum agrum vocaremus. Quomodo
nobis persuadebis te, qui paucis diebus H
tam elegans poëma componas, tam erudi-
tas epistolas conscribas, quales ad me sæ-
pe misisti extempore exaratas, non posse
pueris Argumentum proponere, non pos-
se dare præcepta dicendi, non posse Au-
ctorem Latinum explicare, non posse er-
rores puerilium scriptionum emendare;
quæ tu oscitans, & somnians, pro eâ fa-
cultate, quæ est in te summa, & pro diu-
turnâ exercitatione præstare possis? Quid
quod non exigit a te Pisanus Antistes assi- I
duam operam, & nunquam intermissum
laborem, qualem exigeret a juvene, & va-
lido; sed petit, ut valetudini parcas, ut
quantum potes, & etiam minus, quàm
potes, labores; ut quoties tibi commodum
erit, quoties libebit, quoties per imbecilli-
tatem capitis licebit, des operam erudiendæ
juventuti. Crede mihi non potes hanc op-
timi Præsulis humanitatem sine inhuma-
nitatis notâ repudiare; vel certè, si cri-
men inhumanitatis effugeris, desidiæ sus- K
picione aspergêris. Quis enim laborem,
quum facilè ferat, conjunctum cum lucro,
præsertim si non abundet, sine opinione
desidiæ possit recusare? Vide, ne deceptus
otii dulcedine, ubi nulla est, tibi fingas
insuperabilem difficultatem; solet enim
hominibus, postquam diu cessaverunt, du-
rior, & intolerabilior videri labor. Certè
mihi in summorum hominum vitas intu-
enti nimiùm delicatus videris, qui sexa-
ginta natus annos omnem docendi labo-
rem quantumvis levem reformides; quot
enim possim nominare clarissimos viros,
qui

qui quum octogesimum, vel nonagesimum
A annum excessissent, tamen & scholæ præfuerunt, & operam diligentissimè navarunt erudiendæ juventuti, & eundem vitæ finem, & eruditi laboris habuerunt? Sed exempla magnorum virorum, atque clarorum, quia tibi notiora sunt, quàm mihi, prætermitto, ne tuas aures obtundam vulgata referendo; unum tamen non libet præterire Posidonii doctissimi viri; qui quum intolerandis articulorum doloribus cruciaretur, audiente Magno Pompejo,
B de maximis rebus, & gravissimis disputavit; qui senex, & podagrosus nunquam destitit & docendo, & scribendo juvare sapientiæ studiosos. Quod si ille grandior natu, & eodem, quo tu, morbo laborans potuit in studiis rerum maximarum assiduè, accurateque versari, potuit difficillimas quæstiones explicare, potuit undique ad se confluentem multitudinem sapientiæ præceptis instituere; non video, cur te posse paucos pueros docere litteras Latinas,
C & Eloquentiæ rudimenta diffidas. At enim constituisti, quod superest vitæ, vacare Deo, & ad conciliandum tibi divinum Numen, omissis ceteris curis, toto pectore incumbere. Laudo voluntatem; sed vide, ne desidiæ, & fugæ laboris religionem, pietatemque prætexas, & ab opere, cui te idoneum constituit Deus, avoceris; & dum meliora concupiscis, deseras locum, in quo te summus Imperator collocavit. Te ille voluit inservire commodis juventutis, vo-
D luit teneram ætatem bonis artibus instituere, voluit ad omnem humanitatem informare; hoc gratius Deo facere nihil potes, siquidem nihil acceptius Deo, Deoque proximum, quàm juvare Mortales; & sicut immane facinus est, & Numinis odio, & ultione dignissimum (ut divina eloquia testatum reliquerunt) sceleris puros, & innocentes puerorum animos ad vitium deflectere; ita pulcherrimum facinus est, & amore Dei, & sempiterno præmio
E dignissimum, eosdem ad virtutem excitare. Huic rei si des operam, si impendas laborem, non est tibi pertimescendum, ne Superis omnibus non satisfacias. Nec verò debes vereri, ne si temporis aliquid tribuas instituendæ juventuti, a contemplandâ divinâ bonitate, & potentiâ penitus avertaris; neque enim sequitur, ut qui non est prorsus otiosus, non possit interdum in divinorum contemplatione versari. Quis enim fuit occupatior sa-
F pientissimo viro Thoma, qui tantam studiosorum multitudinem erudivit, tot conscripsit volumina, quæ ad omnem partem philosophiæ pertinent? & tamen idem ille tam altè sese extulit ad perspiciendam divinitatis, ut non humanâ stirpe creatus, sed unus e Cœlestium cœtu esse videretur. Sanctissima Virgo Senensis nomine Catharina, publicis negotiis se se G
immiscuit, ardentes discordiarum faces eonata est extinguere, & acerbissimo odio dissidentes civium animos inter se conjungere, & concordiâ Rempublicam stabilire; pro Florentino Populo præclaram ad Pontificem Maximum obiit legationem; & Pontifici persuasit, ut e Galliâ, ubi sedem aliquot Romani Pontifices collocarant, Romam remigraret. Num autem idcirco quia humana curavit, oblita Divinorum est, quæ cœlestem vitam egit in terrâ, &, H
quoad homini licet, ad beatarum mentium felicitatem proximè accessit? Dies me deficiet, si exempla eorum velim recensere, qui contemplationem cum actione conjunxerunt. Potes igitur tu quoque utrique rei operam dare; quod te, ut facias hortor, & omnes numeros præstantissimæ virtutis implebis; nam, quam insistis viam, ea nulla est; oportet priùs parare, quæ sunt ad vitam necessaria, deinde mentem ad contemplationem Divinitatis attollere; I
nisi enim corpus alatur, non potest animus ad Divina consurgere. Qui cœtus hominum instituerunt, qui contemplationi se totos dediderunt, eos præcipuam curam habuisse constat, ut omnia, quibus vita sustentatur, sectatoribus suis abunde superperent. Itaque Cartusianorum, aliorumque hujus generis hominum cœnobia non solùm videmus abundare, sed etiam superfluere. Dominus, & Servator noster non duxisset in solitudinem multitudinem K
Hebræorum divinum sermonem audituram, nisi tantæ turbæ alimenta ex inexhausto suæ potentiæ penu promere potuisset. Quos ille Discipulos legit, & suæ Divinitatis præcones, ut sibi vacarent soli, nunquam passus est ullâ re indigere, & tamen illi, quum tam liberali Præceptore uterentur, sibi non deerant, & piscatu vitam sustentabant. Tu verò omnia vitæ præsidia cogitas repudiare, & omnium egenum te putas mentem in Sacris Litteris, L
& in salutis æternæ cogitationibus occupaturum. Si consumpseris, quam habes, pecuniam; si Pisanus Antistes, vel offensus repulsâ, vel necessitate coactus unicum illud subsidium otii tui, & senectutis, quod fortasse cogitat, denegarit, & ad inopiam redactus fueris, næ tibi longè erunt illæ curæ sanctiores, quibus te dicis delectari. Sanctorum Patrum libros e manibus egestas excutiet; excutiet ex animo omnes honestas cogitationes; egestatis quippe stimuli sunt M
acerrimi. Cogita verò, quàm turpe sit, quum tuo labore possis victum tibi comparare, ex alienâ pendere misericordiâ, aliorum opem implorare; quæ vita mendicorum est, & ærusfcatorum. Nunquam, inquies, egebo, quia semper me alet ars eru-

erudiendæ juventutis; cur ergo, quod A facturus es aliquando, non facis? Cedò, quæso, quis præstat fore, ut possis laborem, quem nunc detrectas, vel ingravescente ætate, vel invalescente morbo tolerare? at durum est sororem ægram relinquere; durius mendicare. Quid tu sororem habes arborem, vel stirpem, quæ sine certâ pernicie aliò transferri non possit? quin tu eam Pisas jubes demigrare? ubi ab amico tuo humaniter, benigneque tractabitur; at ea recusat; æquum est te sorori, non sororem tibi imperare; B sed

Tollit te incautum pietas tua.

Non est ea soror, nam si esset soror, nunquam fratrem lucro non modico, & omnibus vitæ commodis privare, & ad inopiam redigere voluisset; profectò furia est, non soror, quæ tibi mentem omnem excussit, adeo ut tantâ prudentiâ præditus non videas id, quod cæci vident, inopiæ copiam, commoda incommodis anteponenda. Ignosces mihi tuam sororem maledictis incessenti, mulieris delicias ferre non possum; tua consilia velim fortunet Deus, sed tu mihi videris a recto toto Cœlo aberrare. Vale.

Dat. IV. Id. Sext. Anno MDCCIV.

EIDEM.

C Respondi epistolæ tuæ, qua me objurgabas, nunc respondeo litteris, quibus & mores, & orationes meas laudas, quas ego si in me laudes agnoscerem, gratias agerem humanitati tuæ, quæ tam magnificè de me sentit, Adriani clarissime; sed quum me excutio, vereor, ne tam abhorreant a veritate laudes, quibus me seriò afficis, quàm probra, quæ joco in me congessisti; & te suspicor, quum timeres, ne mordentem remorderem, voluisse palino- D diam canere, ut me placatiore utereris, si mihi stomachum fortè movisses. Utcumque ea se res habet, gaudeo me a laudato viro laudari; & hac quidem parte lætitiam mihi tuæ litteræ attulerunt; dolorem autem, & mœrorem non mediocrem, quòd mihi te erysipelate conflictari, & in febriculam incidisse nunciabant. Serva te, carissime Adriani, cura valetudinem tuam, noli nos, qui te amamus, semper sollicitos esse de tuo corpusculo; vide ne tibi noceat haustum meracius vinum. Non dico hoc reprehendendi tui, sed monendi causâ, si in hac re fortè peccares; nam frater meus mihi narravit te mero delectari; quamquam ille de te lætissimos nuncios E attulit, te pugilicè, atque athleticè valere, esse multo habitiorem, lætioremque, quàm antea. An hæc erant indicia futuri morbi? nam Hippocrates, ejusque sectatores ajunt, habitum corporis pleniorem solito, coloratiorem vultum, robustius corpus, interdum venturæ invaletudinis esse argumenta. Sed ego, qui non artificia statarâ, sed populari trutinâ rem ponderabam, lætabar tuis bonis; ideoque sum magis perturbatus accepto nuncio tam inopinato de morbo, in quem incidisti. Quare, si me amas, da operam, ut citò convalescas, & quum convalueris, fac me certiorem de tuâ valetudine. Vale.

Dat. Pisis Sext. Id. Jun. Anno MDCCV.

BENEDICTUS
AVERANIUS
VINCENTIO AULLÆ
Ornatissimo, atque optimo adolescenti S. P. D.



EGo, Vincenti jucundissime, F

Ni te plus oculis meis amarem,

cum isthac tuâ suspicione

Odissem te odio Vatiniano;

quæ (malum!) est ista perversitas? simul atque Florentiam veni ad te litteras dedi; feci adductus amore, feci desiderio tui, quod mihi levari litteris videbatur, quæ non mediocre solatium absentium sunt amicorum; tu factum criminaris, G quasi hæc festinatio scribendi fuerit animi parum fidentis amicitiæ nostræ; itaque alii negligentiâ offenduntur amicorum; tu offenderis diligentiâ, ut Ciceronis verbis libeat exclamare: o novum, & inauditum crimen! Huic suspicioni subtexis aliam; quum Pisis discederem ais me hilarem, lætumque discessisse, & exultasse, & triumphasse gaudio; id autem contigisse, non quòd in Patriam essem reversurus, non quòd aspectu meorum fruiturus (has enim non satis vehementes lætitiæ fuisse causas) sed quòd Pisis discederem. Primùm

mùm quis tibi dat me hilarem discessisse?
A ego verò, quum a te divellerer, lætus esse non poteram, & illud Ovidii meritò usurpassem:

Dividor haud aliter, quàm si mea membra relinquam,
Et pars abrumpi corpore visa meo est.

Sum enim in amicitiâ quodammodo mollior, & fortitudinis gloriam in hac quidem re concedo tibi, qui me minùs diligis, quum a me vehementissimè diligaris. Deinde, ut concedam me fuisse lætum, non
B id efficitur, quod effici vis. An verò tibi non justa lætitiæ causa reditus in Patriam videtur; cujus rei tanta vis est, ut sapientissimus ille Græcorum dicatur Patriam immortalitati prætulisse? Sed ille petebat Ithacam quasi nidulum quemdam saxis affixam asperrimis; ego Florentiam petebam, quam urbem exteri omnes uno ore maximè laudibus ferunt; quam Scaliger in poëticâ omnium, quas Sol aspicit, urbium ferè elegantissimam vocat; quam Cluve-
C rius Europæ totius, atque adeo Orbis terrarum pulcherrimam; hic autem homo Transalpinus excipit Antuerpiam; Boterus verò, nullâ exceptâ, putat ceteris omnibus antistare pulchritudine; multi prætarea Italiæ florem, nonnulli novas Athenas, quæ pulcherrimæ antiquitus habebantur, appellare non dubitarunt. Excederet epistola justi voluminis modum, si laudes, quæ ab Auctoribus Florentiæ tribuuntur, velim recensere. Hanc autem urbem,
D quam exteri tanti faciunt, tantopere mirantur, ego civis non admirer, non diligam, mihi uni insuavis ejus aspectus esse videatur? non movear urbis nitore, urbanitate civium, copiâ rerum, amœnitate agri non delecter, quem si videres, mirificam, opinor, caperes voluptatem? Quem enim non capiant vestiti vitibus colles amœnissimis, ornatæ nemoribus valles, pomiferis arboribus consiti campi, virentia prata, fontes, viridaria,

Speluncæ, vivique lacus, & frigida Tempe,

E subjecta collibus planities, his lætissimè virentibus in modum theatri circumsepta; nihil incultum, nihil horridum, nihil desertum, ædificia passim regio sumptu consurgentia, ea multitudo villarum, ut quasi virgulta, humo natæ videantur? Hanc urbem quum longo intervallo repeterem, & ad meos reverterer, nihil habui causæ cur lætarer? Utar argumento Virgiliani Æneæ leviter immutato,

...... si te Carthaginis altæ
F *Phœnissam, Libyæque aspectus detinet Urbis;*
Quæ tandem Ausoniâ Teucros considere terrâ Invidia est, & nos fas extera quærere regna.

Si te Pisæ delectant, quas & ego cum propter alias causas, tum maximè, quòd te genuerunt, amo, admirorque; quæ tandem invidia est, & me Florentiâ, non exterâ urbe, sed Patriâ delectari? At enim, nescio quid, notasti in corporis cultu meo, quod hominem gravem tibi dedecere videbatur; in quo possem tibi Senecam opponere, qui in epistolâ quadam, ait, sapientem comptam vestem incomptæ prælaturum, quod homo sit animal sui comendi studiosum. Possem Xenophontem, quem cultus elegantiæ studuisse constat, adeout etiam arma pulcherrima sibi compararet, H
Argolicum scilicet clypeum, Atticum thoracem, galeam Bæticâ arte concinnatam, Epidaurium equum. Possem denique Platonem, qui quum elegantem cultum haudquaquam repudiaret, a Diogene Cynico irrisus esse dicitur; quum enim Diogenes lectulum Platonis vidisset mundum, & elegantem, in ipsum insiluisse fertur, eumque conculcasse, quum diceret: calco fastum Platonis; cui Plato gravissimè, verissimeque respondit: calcas, sed alio fastu; I
ut nihil hîc de Demosthene, & Hortensio oratoribus dicam, quos ob eam rem tamquam molles cavillis adversariorum fuerunt impetitos. Quibus exemplis ego supersedeo; sunt enim a me aliena, qui tantùm absum ab elegantiâ cultus, ut ejus incuria mihi sæpenumero obfuerit; fatebor autem, id quod res est. Ego, ut nunquam corporis ornatum appetivi, ita nunquam habitu philosophiam simulavi, neque obsoletâ veste gravitatis famam sum K
aucupatus. Perversissimum ego duco ambitionis genus ipso ambitionis contemptu esse maximè ambitiosum; itaque vestes, & ornamenta corporis, quibus utitur vulgus, non repudio, neque tamen studiosè paro; sed externa hæc, utcunque se habent, haud in magno pono discrimine; ad illa intendo animum, quæ sunt interna; ut nihil magnopere concupiscam, non libidine, non avaritiâ, non irâ transversos agar, non fastu, non insolentiâ efferar, ut L
animo sim composito, & tranquillo etiam atque etiam curandum existimo; in his siquid peccare videbor pro amicitiâ nostrâ me velim admoneas, atque etiam reprehendas, & graviter increpes. Nam quod ad versus attinet, quibus me meos amores putas esse fassum, scito compositos fuisse duodecim abhinc annis, ideoque nihil ad præsens tempos pertinere; quos antequam Pisis litteras græcas profiterer, memini me recitare coram Ferrante Cappo- M
nio, Farfetto, Ricciardo, aliisque clarissimis viris; hi autem versus palinodia quædam fuerunt Elegiæ, quam adolescentulus, quum Pisana Gymnasia studiorum causâ frequentarem, in amoris contemptum conscripseram. Qua in re Stesichorum poëtam

sum imitatus; nam ille quum Helenam
A vituperasset, deinde laudes ejus cecinit;
ego quum pulchritudinem contempsissem,
ne penitus viderer ἀφιλόκαλος, pulchritudinis potentiam his versibus collaudavi.
Neque tamen in his quidquam est, quo possis arguere me amore fuisse captum;
nihil enim in his est, nisi moderatum, nihil autem lascivum, aut impudicum, nihil
non castis auribus accommodatum. Quod si esset, vitio tamen mihi verti fortasse non
debeat, nec a te improbari, qui nosti Ca-
B tulli sententiam:

Nam castum esse decet pium poëtam
Ipsum, versiculos nihil necesse est;

& epitaphium in Voconium poëtam ab Hadriano Imperatore conscriptum,

Lascivus versu, mente pudicus erat;

& Ausonii carmen,

Lasciva est nobis pagina, vita proba.

Plato gravissimus philosophorum in adolescentem Stellam, in Dionem, in Halicarnassam amatorios versus fecit. Fecit & Solon,
C & Cicero, auctore Plinio, & ipse Plinius, & alii, quos Apulejus in Apologiâ primâ recenset; quorum tamen gravitatem nemo desiderat, & jure, nam si de quâ re quisquam scribit, in eâ credatur excellere, ut ait Ovidius:

Accius esset atrox, conviva Terentius esset,
Essent bellaces, qui fera bella canunt.

Et tamen Alcæus fatetur se in quodam prælio parmam abjecisse, quum idem pugnas, & pannos magno spiritu cecinis-
D set; ex quo constat eum scripsisse fortiter, non fecisse; quod etiam de Demosthene fertur, qui quum ad bellum Athenienses fortissimè adhortatus fuisset, armis ejus fugientis hostes potiti sunt. Quare nihil est, cur ex genere scriptorum cupiditatem meam conjicias; possum enim verè dicere scribo ista, non facio; nec verò me decet; quare desine suspicari; hujusmodi delicias, & lusus, & voluptates tibi relinquo, qui ætate flores, & formâ præ-
E stas; quas si tu animi firmitate contemnis, noli mihi exprobrare. Quæres autem, cur ego te joco mihi amores objicientem tam seriò putaverim esse refutandum; tu ipse in causâ es; amo te, & a te amari cupio, id porro contingere non potest, si tu me a tuis discrepare moribus opineris; nam verissimum est illud Horatii:

Oderunt hilarem tristes, tristemque remissi;

te autem a re amatoriâ scio abhorrere, qui puellam cum dote summâ, ut tute mihi
F dixisti, recusaveris; ne videar ergo a te esse diversus, nolui hanc suspicionem animo tuo inhærere; quam ut magis evellerem, misi elegiam de contemptu amoris, quam pæne puer composui, ut superius indicavi; quæ si tibi displicebit, te ipsum accusabis, qui me ad id genus defensionis compuleris; huic alteram subjeci in Natalem Serenissimi Ferdinandi Etruriæ Prin- G
cipis, quam illi quum studiis puerilibus operam daret, obtuli; tu utramque, quâ soles humanitate, excipies. Gratias ago plurimas, pro epistolâ latinâ, quæ mihi visa est perelegans, & erudita, adeo ut nihil supra. Mei fratres, & Magius salutem tibi plurimam dicunt, quam patri tuo, fratribusque, & Adrianio velim impertiare. Vale.

Florentiæ XV. Kal. Jul. Anno MDCLXXXV.

EIDEM.

SEriùs omnino, quàm oportuit lit- H
teris tuis jucundissimis respondeo; in causâ ferunt occupationes, quibus distinebar; nec nunc quidem sum valde otiosus, quod ex eo conjicies, quod nihil tibi mitto nugarum, ut hactenus feci; sed hoc officium salutandi tui per litteras juxta Pindarum καὶ ἀσχολίας ὑπέρτερον duco. Nec verò quid ad te scribam habeo, adeo novi nihil est; nam illud & ipse scies, neque enim est
novum, in locum Antistitis Marchettii, qui I
impetravit senectuti suæ quietem, Sergrifium subrogatum. Ajunt hominem esse lenem, & perhumanum; quod facilè adducor, ut credam vel ex eo, quod potentiæ, auctoritatique, qua Senis abunde pollebat, Pisanum otium anteposuit. Scis Græcis bonos viros ἀπράγμονας appellari; talem esse arbitror Sergrifium, qui ut multis rebus declaravit, semper otii studiosus fuit. Meus est civis; sed id mea nihil in-
terest; nam Florentini magis exteris fa- K
vent, nec suos diligunt, & in eos illud Pindari convenit:

Ἔστι δὲ φῦλον ἐν ἀν-
θρώποισι ματαιότατον,
ὅστις αἰσχύνων ἐπιχώ-
ρια παπταίνει τὰ πόρσω.

Octodecim ferè ab hinc annis jus civile Pisis profitebatur; id magis ad rem pertinet, nisi falsum est Virgilii dictum, non ignara mali, nosti cetera. Illud quoque
scies Josephum fratrem meum petere mu- L
nus interpretandi institutiones juris civilis; competitores habet multos, neque enim plures unquam fuerunt, qui peterent, & in his Rillium, qui impetraturus putatur; habet fratrem, patremque summâ auctoritate, summâ gratiâ, amicis utitur multis; qui & mihi fortasse non desunt; sed animo sedit Plauti sententia:

Virtute ambire oportet, non favitoribus,

Sat

Sui habet fautorum semper, qui recte facit. Si, quod Deus faxit, votis respondebit eventus, habebis Pisis duos fratres amantissimos tui; sin res aliter ceciderit, ego fratris implebo vices, qui duorum amorem tibi repræsentabo. Vale.

Dat. Florentiæ XII. Kal. Sept. Ann. MDCLXXXV.

EIDEM.

Magna voluptate privatus, quam ex tua jucundissima consuetudine percipiebam, consolabor me frequentia litterarum, quas quum ad te scribo, mihi tecum loqui, ac te videre videor. Nam quamquam ita hæret pectori infixa memoria tui, ut de te cogitare nunquam desistam; tamen quum fungor hoc officio scribendi, gratius occurris animo, Vincenti carissime. Ne mireris igitur, si te crebris litteris compellabo, faciam id lubens, ut in tuo nomine suavissimo, ac memoria tui acquiescam, mœroremque, quem ex absentia a te mea suscepi, aliqua ex parte deponam; temperabo mihi tamen, ac moderabor interdum cupiditati meæ, ne studiis obstrepam, quibus assiduè distineris, neve tibi onus rescribendi frequenter imponam. Nunc autem quum recens a te discesserim, tam dulce officium scriptionis haudquaquam putavi differendum. Est enim in more positum, ut qui aliquo profecti sunt, ad amicos relictos dent quam primum litteras, quibus salvos, incolumesque se esse, iterque prosperum habuisse declarent. Hujus consuetudinis conservandæ caussa de incolumitate mea te certiorem facio; & ejo iter non infortunatum quidem, sed incommodum contigisse. Nam vetturius ille sceleftus, qui curaturum sese receperat, ut Florentiam prima luce perveniremus, verba nobis dedit, fidemque non servavit; itaque sesquihoram ante meridiem pervenimus, pulveremque, & Solem, & æstum gravissimum pertuli paulo minorem illo animi, quo angebar, quod te amicorum suavissimum reliquissem. Ubi vero Florentiam veni, nihil antiquius habui, quam ut libros, quos poposcisti, conquisierem; nam Epistolas Mureti reperi cum versibus Publii Syri mimographi ab orationibus ejusdem separatis; reperi etiam conjunctas cum orationibus, quas habuit, universis, sed sine carminibus Publii Syri; tu utras velis, indicabis; itemque Quintiliani declamationes cum notis Moschani, & sine notis; ex Auctoribus autem rei rusticæ Columellam, & Palladium; Catonem, Varronemque etiam inveniam, & reliquos, quorum bina exemplaria domi non habeo; sicut inveni Ælianum. Nihil est autem, quod me de pretio percontaris; nullum ex his emi; & ego malim tibi donare, ut sint nostri monimentum, & pignus amoris; nec ego cum amico omnium suavissimo libenter impensarum calculum pono; sed de his alias. In hac autem urbe nihil est novi; ludi equestres expectantur, nec quando sint edendi, liquet; in his Princeps Ferdinandus in equo cum magno comitatu sese ostentabit. Amphitheatrum temporarium exstructum est, & picturis exornatum, juventus equis exercetur, sed idoneo Magistro caret. De bello adversùs Barbaros nihil est, quod expectes novi, præter ea, quæ, quum Pisis eram, incertis auctoribus audiebamus; regiam Pannoniæ urbem, quam alii Aquineum, alii Curtam a Ptolemæo volunt appellatam, obsessam a nostris. Ferunt obsessam a Venetis Pylum in Peloponeso, quam Navarrinum vocant; Moschos præterea sese commovisse, duasque Scytharum arces expugnasse. Hæc habui, quæ scriberem; cura, ut valeas, meque mutua caritate complectere, & Adrianio meo, patrique tuo, fratribusque salutem plurimam dicito.

Dat. Flor. III. Kal. Quinct. Ann. MDCLXXXVI.

EIDEM.

Tert. Kal. Quinct. triduum postquam Florentiam perveneram, quo die primum tabellarius publicus istuc proficiscebatur, litteras ad te dedi, quibus adhuc nihil respondisti. Quamquam ego sum stultus, qui te arguam, nec omnino suspicer aliquid, quasi nesciam, quam sis occupatus, quam difficulter a studiis litterarum avoceris; id esse causæ, cur scribendi officio fungi non properes, quod ego libentissimè credo; nam si causa tibi a litteris abstinendi sunt ipsæ litteræ, est mihi non dico gratum, sed ferendum silentium tuum; præsertim si geometriæ studiis, & Græcæ litteraturæ aliquid temporis impertiris; quod, te hortor, ut facias, atque ea recolas, quæ quum Pisis agerem, in utroque studio tibi tradidi, ut quum ad te revertar, ad alia altiora possimus ascendere. Jurisprudentiæ studia non illa quidem sunt omittenda, sed cum iis artibus, quæ tibi aliquid eximiæ claritatis addituræ videntur, conjungenda. Nam pulchre vulgatus est gloria

ria Jurisconsultorum, multosque ubique
A reperias, qui de apicibus juris quantumvis argutè possint disputare; qui verò eruditum illum pulverem attigerint, aut docti sint probè utriusque linguæ sermones (ut ait Horatius) paucissimos; ea demum gloria est, quæ spernit, segregatque a se vulgus, nec nobis cum rabulis, & litigiosis hominibus communis est. Ad eam toto pectore incumbe, & quoniam te serius, quàm studiis tuis expediret, impeditus pudore quodam ad amicitiam meam appli-
B cuisti, diligentiâ brevitatem temporis compensemus. Habenda tibi etiam ratio valetudinis tuæ, qua labefactatâ nihil præclarum moliri valebis; ea cum semper tibi diligenter tuenda est, tum præcipuè hoc æstu sæviente, & anni sidere flagrantissimo; cui postquam consulueris, animumque satis relaxaveris, aliquid tribuas temporis litteris mihi scribendis. Id erit munus optatissimum, hoc mihi gratius facere nihil potes; quòd si temporis angustiis impedi-
C ris, in promptu est vetus illa formula, si vales bene est, ego quidem valeo. Sed, ut aliquando scribendi finem faciam, addam ea, quæ optatissimi nuncii pertulerunt, quæ tu fortasse jam audisti, captam a nostris in Peloponeso Pylum; in eâ obsidione tradunt millenariam cohortem, quam Magnus Etruriæ Dux misit auxilio Venetis, egregiam operam navasse Reipublicæ Christianæ; quod ideo scribendum putavi, quia scio quantopere soleas nostrorum ho-
D minum gloriâ delectari. Est etiam signis collatis prospere cum hostibus dimicatum; in eâ pugnâ ex nostris quinque sunt tantummodo desiderati; quidam addunt obsessam Methonen. Narrantiunculam quamdam rerum in Peloponeso, Pannoniaque nuperrimè gestarum tibi mitto, quæ heri Florentiæ typis excudebatur. Expecto avidè versiculos tuos tam etruscos, quàm latinos, quos missurum te mihi promisisti; quos, nisi volens miseris, ego convicio
E extorquebo. Vale, meque vehementer ama, parentique tuo, fratribusque salutem dicito.

Dat. Flor. Prid. Non. Quinct. Ann. MDCLXXXVI.

EIDEM.

Accepi tandem mihi exoptatas diu litteras tuas, omnino serius, quàm temporis, quo sunt a te scriptæ, ratio exigebat; quæ causa fuit, ut sæpius tibi de eadem re scribendum esse censerem, binasque litteras mitterem Pisas, unasque ad
Eræ pontem, quò suspicabar te jam contulisse; quod eo consilio feci, ut aliquæ saltem ad te maturè perferrentur. Eæ verò, quas ad me plenas mirificæ cujusdam suavitatis dedisti, sicut ingenti voluptate me affecerunt, ita pudorem mihi non mediocrem incusserunt. Sic enim verbis extollis beneficium meum, quasi pro eo plurimum debeas, quod levissimum est, neque satis dignum amicitiâ nostrâ, cui si vitam impendero, vix esse videar satisfacturus.
veruntamen accidit, ut opinor, abundan- G
tiâ quadam amoris, ut ea, quæ a me proficiscuntur, majora tibi, & gratiora esse videantur; nisi verò non tam ipsam rem spectas, quàm voluntatem. Est enim gratorum hominum beneficia non magnitudine, sed voluntate metiri; quod si ita est, fateor non sine causâ me a te beneficum appellari. Ardeo siquidem, ardeo incredibili desiderio augendæ tuæ dignitatis, aut aliquid tibi commodi afferendi; sed amor
benefaciendi tribuit cupiditatem, fortuna H
non tribuit facultatem. Commodè autem cecidit, ut qui re non possum, quum opes meæ sint nullæ, voluntate, quæ summa est, tibi satisfaciam. Desine tamen, si quid facio, aut faciam, quod tibi placeat, id magnificentiùs prædicare, ne non tam ornes beneficium, quàm oneres pudorem meum. Nec verò est, cur mihi agere, aut referre gratias cupias, quas abunde relatas arbitrabor, si te sensero meis rebus uti
pro tuis. Verùm de his aliàs; quibus, ne I
te seriis obtundam, otium, deliciasque ruris, quò te audio concessisse, captantem, leviora sunt prævertenda, ne contrahas frontem, adducas supercilium, animum a lusu ad tristitiam, severitatemque convertas. Quid agis, mi Vincenti, quæ te prata ludentem, qui venantem saltus, quæ te umbræ altorum nemorum, qui te fontes, vallesque vitantem Solis ardores habent? quantum jocaris, quantum rides,
quantum otiaris, quantum denique studes? K
neque enim Dianæ studia tibi, nisi fallor, amorem Minervæ abstulerunt; an verò solitudine ipsâ, aspectuque virentium silvarum, camporumque patentium, & amœnorum collium delectaris? Fac sciam, quibus deliciis, quibus avocamentis, qua voluptate animum relaxes, ut tuum gaudium gaudeam. Ego interim in strepitu urbis versor, nec aliâ re delector, quàm colloquiis amicorum, qui maximè vesperi, & ante meridiem solent in unum lo-
cum convenire; sed quum tu abes, maxi- L
ma pars a me abest hujus quoque voluptatis; nudius tertius tamen ad ludos publicos, qui tunc edebantur, accessi rogatus. Quid eos tibi nunc describam, neque postulanti, neque fortasse cupienti? fuerunt

illi

illi equestres magnifico satis apparatu, pom-
A paque visendâ. Mars, & Pallas aurato cur-
ru caveam circumvecti juvenes nobiles ad
extinguenda monstra vitiorum musico can-
tu, magnoque fidium concentu cohortati
sunt. Juvenes autem insidentes equis, il-
liciis auro, aut argento vestibus, varioque
colore distinctis, armisque nitidissimis in-
duti, cum magno peditum comitatu eo-
dem cultu, armisque fulgentium currum
sequebantur. Ubi verò Mars, & Pallas ju-
ventutem satis ad certamen incitarunt, in
B medium monstra processerunt, ea Juvenes
ex equis lanceâ, jaculo, ense, aliisque mis-
silibus confecerunt. Quum, quæ se illo-
rum manus præclarissimè gessisset, ambige-
retur, nec facilè id posset dijudicari, inter
se pugnæ simulacrum juvenes ediderunt;
ut quorum virtus eminuisset, ii victores a
Marte, & Pallade renunciarentur. Quum
prœlio commisso id adhuc esset obscurum,
victoriæ decus Magno Duci, qui specta-
verat ludos, Martis, & Palladis voce dela-
C tum est. Cujus rei celebrandæ causâ læti
juvenes equos, quibus insidebant, choreas
ducere, & inire cursus, & recursus, &
implicare orbes coëgerunt. Quæ ego di-
ligentiùs descripsissem, si te cupere putas-
sem; verùm quum spectare nolueris hos
ludos, nec audire quidem, quomodo sint
editi, arbitror velle; non omittendum ta-
men, quod præcipuum est, Principem Ju-
ventutis, & Etruriæ Ferdinandum cum
ceteris certasse adolescentibus, & equestris
D peritiæ specimen edidisse. In ejus cultu
id eximium inter cetera spectabatur, cir-
culus, vel potiùs semicirculus ex adaman-
tibus lucidissimis, & maximis; quem ha-
rum periti rerum ferunt centies sexagies
sestertiûm æstimatum; ut minùs mirum es-
se videatur, quod apud Plinium legitur
Lolliam Paulinam in quadam sponsalium
cenâ se se opertam gemmis ostendisse, quæ
quadringenties sestertiûm, hoc est decies
centenis millibus nummorum aureorum
E taxarentur; quum paulo minùs, quàm di-
midium hujus summæ in fronte dumtaxat
gesserit Ferdinandus. Vale.

Florentiæ Idib. Quinct. Anno
MDCLXXXVI.

EIDEM.

Quid tibi venit in mentem, ju-
cundissime Vincenti, suspicari
me, nisi litteras maturè misissas,
amicitiæ nostræ fuisse nuncium
remissurum; quod ex epistolâ
meâ te dicis collegisse? Adeo ne me le-
vem, & inconstantem putas, adeo ferum,
& inhumanum, & ferreum, ut neque me F
diuturnitas consuetudinis, quæ mihi te-
cum intercedit, neque voluntatum sum-
ma conjunctio, & familiaritas, & studio-
rum similitudo, neque toties laudata a me
probitas, candorque morum tuus, mode-
stia, pudor, innocentia, mansuetudo, sua-
vitas, comitas, ingenium, acre judicium,
prudentia, & ineunte ætate senilis quæ-
dam gravitas, & optimarum artium stu-
dium, quo ceteros meo judicio vincis a-
dolescentes, possent in officio continere? G
Ego nexum illum amoris, quo conjuncti
sumus, qui, ut ita dicam, adamante vin-
citur, dissolverem? ego contemnerem be-
neficia, officiaque, quæ in me humanissimè
contulisti? observantiam erga me tuam,
benevolentiamque pro nihilo ducerem?
si quid feci, quod tibi gratum fuerit, si
quid bene de te merui, perditum vel-
lem? At quàm levi de causâ, quàm pue-
rili suspicione perstrictus? quia litteris
meis non statim respondisses. Quàm mul- H
ta priùs excogitassem, quæ te negligen-
tiæ crimine liberarent? Non esse, cui lit-
teras dares, quum maximè cuperes, vel
datas periisse, vel meas ad te non esse per-
latas, vel minùs prosperâ valetudine im-
pediri; postremò, si aliæ rationes excusan-
di tui defuissent, putarem velle experiri,
quomodo negligentiam tuam ferrem, quan-
topere litteras tuas desiderarem; priùs cer-
tè omnia, quàm me a te negligi credidis-
sem. Scis amoris esse proprium, ut facilè I
suspicari, ita velle amicos absolvere. Xe-
nocratem Plato, quum de eo malè loqu-
tus argueretur, nec posset negare factum
excusavit, quum diceret, non videri tan-
tum virum sine magnâ causâ aliquid fecis-
se perperam. Quàm multa comminiscitur
apud Ovidium Phyllis, ne perfidiæ suum
Demophoontem insimulet?

Sæpe fui mendax pro te, mihi sæpe putavi
Alba procellosos vela referre Notos. K
Thesea devovi, quia te dimittere nollet,
Nec tenuit cursus forsitan ille tuos.
Interdum timui, ne, dum vada tendis ad He-
bri,
Mersa foret canâ naufraga puppis aquâ.
Sæpe Deos supplex, ut tu, scelerate, valeres,
Sum prece turicremis devenerata focis:
Sæpe videns ventos Cælo, pelagoque faven-
tes,
Ipsa mihi dixi, si valet, ille venit.
Denique fidus amor, quidquid properanti- L
bus obstat,
Finxit, & ad causas ingeniosa fui.

Non minùs ingeniosus defensor tui fuis-
sem. Finge tamen opinionem tuæ negligen-
tiæ altiùs, quàm ut convelli posset, inhæ-
sis-

fisse; tam infirmis nixam fundamentis a-
A micitiam nostram putas, ut adeo levi cul-
pâ labefactanda videatur? Ego verò, si tu
me maledictis incesseres, odium mei præ-
teferres, te implacabilem, inexorabilem-
que præberes, contra rem, famamque me-
am venires, vulnera inflixisses, mortem ma-
chinareris, injurias tuas æquo animo fer-
rem, potiusque vitam, quàm benevolen-
tiam erga te meam amitterem; ne levi
momento putes nostram necessitudinem
occasuram. Ego te, mi Vincenti, puerum
B cognovi, probavi modestiam, probavi pu-
dorem tuum, probavi gravitatem, huma-
nitatem, comitatemque sum exosculatus;
non erant mihi planè cogniti mores tui,
sed honestissimos esse audiebam. Quid
multa? cœpi tibi favere; excessisti ex ephe-
bis, frequentissimè ad me publicè disse-
rentem ventitabas, summumque mihi si-
lentium, modestiam, attentionemque præ-
stabas. Conciliavit id magis tibi jampridem
propensam in te meam voluntatem; non-
C dum erat inter nos amicitia, sed erat mu-
tua quædam benevolentia; pudor tuus, æ-
tas, & fortasse etiam rusticitas mea nos ar-
ctiùs jungi non patiebantur; & tecum,
quem plus, quàm nonnullos amicos, qui-
buscum frequenter versabar, jam dilige-
bam, nondum fueram colloquutus. Ubi
verò tibi, tanquam Homerico illi Tele-
macho, vigesimum jam annum attingenti
auctus est animus, me alloqui, mecum fre-
quenter esse, meam domum ventitare cœ-
D pisti; tum verò mihi perspecti penitus mo-
res tui me tibi penitus devinxerunt; visa
mihi admirabilis tua in Deum summa re-
ligio, pietas in Patriam, parentemque, a-
mor in fratres, observantia, qua Adria-
nium præceptorem olim tuum colis, cari-
tas, qua amicos complecteris, moderatio,
quam omnibus præstas. Quid enim dicam,
quàm facilè omnes perferas, ac patiaris;
quàm aliis te non præponas, sis adversus
nemini, eorum studiis, quibuscum es,
E obsequaris? Quibus rebus quum omnium
benevolentiam tibi conciliaveris, aliorum
amicitiâ repudiatâ optimi cujusque fami-
liaritatem appetis, nec inficeris vitiis nobi-
litatis, & juventutis. Jam verò doctorum
hominum consuetudinem quanti facias,
quid attinet dicere? nemo Pisis profitetur,
cui gratus, acceptusque non sis. Me verò
quibus officiis es prosequutus, qua beni-
gnitate fovisti, qua diligentiâ coluisti, quàm
mihi semper exposita humanitas tua, quàm
F obvia comitas, quàm promptum obsequium?
Tu a latere meo, dum Pisis eram, nun-
quam discessisti: tu, quotiescumque occa-
sio data est, me laudibus extulisti: tu me
semper, iramque meam patientissimè per-
tulisti. Ergo ego te, mi Vincenti, toto a-
nimo amplexus sum; tecum seris, tecum
jocosa, te semper in oculis gero; nec un-
quam amorem tui mihi extorqueri, nec a- G
micitiam nostram patiar ullo tempore in-
terire. Nec injuriâ; nam benevolentiam
in me tuam multis ex rebus videor per-
spexisse mirificam, & singularem; nec eam
unquam levem esse, vulgaremque sum o-
pinatus, licèt in epistolâ meâ id me dixe-
rim aliquando suspicari; quod me non ita
sentire vel ex eo conjicias, quòd hanc o-
pinionem meam somnium appellavi. Tu
autem id mihi reponere voluisti; nam
quia scripseram interdum mihi in men- H
tem venire, quum sine tuis litteris essem,
levem esse benevolentiam in me tuam; tu
contra, ut ostenderes, quàm levis esset mea,
affirmasti, nisi maturè mihi rescripsisses,
amicitiæ nostræ interitum consequuturum.
Sed quàm jure tu videris; ego nihil affir-
mavi, sed meam suspicionem pronuncia-
vi me falsissimam judicare; tu autem non
te suspicari, sed perspexisse dixisti. Ego si
id suspicatus essem, aliquo moverer argu-
mento negligentiæ in rescribendo tuæ, I
quum nihil litterarum accepissem; tu con-
tra quo ductus argumento tam levem esse
benevolentiam meam putavisti? nam quod
ais ex litteris meis collegisse, miror. Quid
enim illis mitius, quid amantius? signifi-
cabam molestiam, quam mihi silentium
tuum afferebat; est id argumento, quàm
non modo præsentiam tuam, sed hæc ab-
sentium amicorum solatia litteras deside-
rem. Ad extremum precabar, ne ad hanc
molestiam addere aliam velles, eam magno K
cruciatu animum affecturam; quo dicto
certè non levi momento mutandam vo-
luntatem, sed in amicitiâ constantem fu-
turam exprimebam; neque enim mihi do-
lorem inusturum silentium tuum, si fuis-
set voluntas immutata; ubi hic ira, ubi
indignatio mea? Jam adhortatio illa, tute
intelligis, quàm sit animi tuæ gloriæ consu-
lentis [cui tamen ita pareas, velim, ut ha-
beas inprimis valetudinis tuæ rationem, &
memor Isocratici præcepti a studio cesses, L
quum studere possis adhuc, nec expectes
ultimam defatigationem.] Quare sic ha-
beto, me, quantum tibi sim devinctus,
consequi non posse dicendo, nec te forsan
cogitando; nec ullam causam unquam tam
gravem fore, quæ leviter a te alienet meam
voluntatem. Præterea tibi confirmo me cla-
rissima in te perspexisse mutuæ caritatis
argumenta; ob eamque causam certò scire,
amicitiam nostram neutrâ ex parte clau-
dicare, quæ sine mutuâ benevolentiâ, ut M
rectissimè judicas, non posset consistere.
Habes litteras meas non acres, & vehe-
mentes, ut verebaris, sed indices lenita-
tis, indices tibi devinctissimæ voluntatis.
Quamquam me tibi non succensere ex lit-
teris perspicere potuisti, quas postridie I-
dus,

dus, vel Idibus ipsis ad te dedi; in qui- A bus ludos equestres, qui sunt hic editi, descripsi, quas an acceperis, velim me facias certiorem. Ego contra tibi significo narrationem, quam misisti, me accepisse; quam multis amicis recitavi, qui risum tenere non potuerunt. Præterea tibi mitto Ἐλεγεῖον, quod ego composui, quum iter facerem, quod exprimit desiderium meum videndi tui.

B Νῦν σέο, φίλε, πόθῳ δεδμημένος ἦτορ ἀπαυδῶ
Κείμενος ἔντε κακοῖς, ἔντε γόοισι τάλας.
Μηδὲν ἐμοὶ, μηδὲν χωρὶς σέθεν ἡδὺ λέλειπται,
Ἀλλὰ κατηφείη καρτερὰ, καὶ στοναχαί:
Οὐδέ με Πιερίδες κοῦραι Διὸς οὐδέ μ' Ἀπόλλων,
Οὐ τέρπει Μουσῶν ἡ χαρίεσσα λύρη,
Οὐ Χάριτες, Νυμφαί τ' οὔτ' αὐτὸς Ἴακχος ἀοίδων,
Πάντων τ' ἀνθρώπων δε μέγα χάρμα πέλει:
Φαίνεται Ἠέλιός τε, καὶ ἀστρῶν φέγγος ἀηδὲς,
Κοὐκέτι λαμπρὸν ἰδεῖν, καὶ βαρὺ, καὶ χαλεπόν:
Οὐ σε βλέπω γὰρ ἐμῆς ψυχῆς πολὺ φίλτερον ἄλλο
C Φέγγος, καὶ φιλίας ὄμμα φαεινότατον.
Ὡς δ' ἐξ ὀφθαλμῶν ὅτε φῶς ἄσπαστον ἀπῆλθε,
Πάντα σκότους πληρῆ, καὶ κενὰ πάντα χαρᾶς.
Οὐδὲν ἔτ' ἐστι καλὸν, κατέχει νὺξ πάντα, καὶ εἶδος,
Καὶ χροιὰν πάντων στυγνὸν ἔκρυψε κνέφας
Μηδὲν ἐμοὶ φαιδρὸν, γλυκὺ μηδὲν ἄποντος Ἑταίρου.
Ἀλλὰ λύπη στυγερῷ μ' ἀμφεκάλυψε νέφει.

D Mitto autem, ut te in studio Græcæ linguæ exerceas. Salvinius, ceterique, quos tuo nomine salutavi, tibi plurimam salutem impertiunt. Vale, mi Vincenti carissime, tuisque salutem nuncia meis verbis.

Florentiæ VI. Kal. Sext. Anno MDCLXXXVI.

EIDEM.

E Etsi binis litteris meis, quarum alteras postridie Idus Quinct. alteras VI. Kal. Sext. ad te dedi, nihil respondisti; nolo tamen tantum, ac tandiu expectatum gaudium aliunde, si fieri potest, quàm ex litteris meis, cognoscas. Jam octo ab hinc diebus auditum vobis esse arbitror Curtam, quam Budam nunc vocant, a nostris
F vi expugnatam. Id nuncius per dispositos equos Venetiis ad Magnum Etruriæ Ducem missus attulit; sed quum a Cæsare nondum venisset nuncius, res in dubium vocabatur; heri autem cognitum duos Hemerodromos, ita Græci vocant nuncios ingens uno die spatium emetientes, ad Cardinalem Pium a Cæsare missos G eandem victoriam Romæ nunciasse; quam lætitiam illic ferunt ignibus festis, aliisque significationibus celebratam. Hæc omnia, præterquam quod multorum litteris affirmantur, Mancinus, qui pro Magno Duce apud Pontificem legati vices gerit, misso tabellario, & litteris eidem Magno Duci nunciavit. Quæ quum tibi significaverim, nihil addam; breves erunt litteræ meæ, ut, si tibi sunt molestæ, frequentiâ, sin autem jucundæ, brevitate silentium tuum ulciscantur. Vale.

Dat. Flor. IV. Id. Sext. Anno MDCLXXXVI.

EIDEM.

Quum tabellarius, qui subinde mutatis equis Florentiam cursu venerat, quod genus nisi H certâ re, & exploratâ mitti non solet, Magno Duci nuncias victoriæ Christianorum litteras attulisset; quum non urbes modò, sed contermminas Pannoniæ provincias, quæ Cæsari parent, constaret festis ignibus, aliaque lætitiæ significatione eandem celebrasse, quum Cæsaris Oratorem senatui, populoque Veneto publicè nunciasse, creditum est urbem, arcemque, quam obsident Christiani [sic I enim nuncius, litteræque affirmabant] vi expugnatam. Quum autem recenti victoriæ nuntio Florentia gaudio triumpharet, plebs, nobilitas, senatus, pro se quisque Christianos duces laudibus ferrent, & cuncta civitas hilaritate circumflueret, mihique inprimis ingentem ea res lætitiam attulisset, te ejus expertem pro amicitiâ nostrâ esse nolui. Quapropter ad Adrianium misi exemplum Florentiæ exemplum litterarum, quæ ad Magnum Ducem missæ fuerant, K eique mandavi, ut ad te curaret quàm primùm perferendum. Quum ea res per aliquot dies caluisset, nec interea nuncius a Cæsare veniret, tepere paulatim cœpit; neque tamen in animum inducere poteramus duos Præsides provinciarum esse lusos, deceptum Cæsaris ad Venetos oratorem, quem alioquin esse ferunt humillimem prudentiâ singulari. Quare licèt nuncio jam diffideremus, sic eramus affecti, ut si quis tabellarius a Cæsare missus ad Ma- L gnum Ducem, vel ad Pontificem venisset, qui idem affirmaret, nihil essemus desideraturi; quum ecce tibi nunciatur duos tabellarios Romam per dispositos equos ad Cardinalem Pium advenisse cum litteris, quæ

quæ rem ita gestam declararent. Res erat
A minimè dubia, & quin venissent, nemo
ambigebat; nam & omnium litteræ id si-
gnificabant, & Mancinus, qui negocia no-
stri Principis Romæ gerit, ejusdem rei te-
stes Principi scripserat litteras. Cur autem
Cæsar ad Magnum Ducem nuncium mitte-
re neglexisset, multi probabiles causas af-
ferebant, idcirco te certiorem faciendum
judicavi. Sed quum litteræ meæ serò, &
nuncii vanitate deprehensâ redditæ sint,
credo tibi ridiculas esse visas. Decepti su-
B mus, decepti sed cum multis; credidimus
magnis auctoribus, quibus urbes totæ, pro-
vinciæque crediderunt. Nam ferunt Gal-
liam Cisalpinam ferè universam hoc acce-
pto nuncio commotam, & innumeras ci-
vitates festis ignibus, explosisque bellicis
tormentis, quod factum Florentiæ non
est, publicam lætitiam declarasse. Nunc
adhuc angimur sollicitudine, & eventum
tantæ rei trepidi expectamus; nam Bar-
baros constat obsessam urbem magnâ vi
C defendere; nec tamen diffidimus, & adhuc
meliora speramus. Pluribus in locis mœ-
nibus dirutis extremâ urbis parte nostri
potiti sunt, difficilem ascensu rupem, na-
turaque, & arte munitam, & arcis etiam
haud exiguam partem occuparunt; & mu-
nimenta sibi, ne detrudi possent, circum-
dederunt. Alii quidem muri disjiciendi,
replendæ fossæ, in ruinis murorum consi-
stendum, si qua hostes munimenta objece-
runt, diruenda; sed asperrima rerum pu-
D to effecta, quum editam rupem, in qua
sunt urbis novæ mœnia collocata, nostri
superarunt, atque ceperunt. Nunc in
plano labor, & æquiore loco dimicatur;
nec jam cum ipsâ naturâ, sed cum hosti-
bus, & eorum munimentis pugnandum.
Nostrorum copias fateor diminutas, sed
nec hostibus auctas arbitror, neque no-
vam editam terrâ sobolem; sunt illis sua
funera, parque per omnes tempestas; scis
in bello Martem sibi fortissimum quem-
E que pignerari. Adde, quod ad opem exer-
citui Germanorum ferendam auxilia un-
dique convolare, & viginti millia militum
e multis locis subsidio nostris dicuntur ad-
venture. Quid quod invalidus Barbarorum
exercitus exiguam auxilii spem ostentat
obsessis? ad triginta millia esse dicuntur,
plerique tyrones, & eam militiam detre-
ctantes, nec virtute, nec numero nostris
pares; qui ne dum Christianos intra val-
lum aggredi, obsidionemque solvere, sed
F ne e superiore quidem loco signis collatis
audeant dimicare; non tamen fidendum
nimis fortunæ, communemque Martem
fateor pertimescendum. Nuper autem a-
liquid lucis nuncii nobis attulerunt, qui
postridie Idus Augusti victos hostes affir-
mant; res autem ita gesta dicitur. Impe-
rator hostium decem millia ex universo e-
xercitu lecta submittere auxilio obsessis co- G
natus est; qui quum noctu vallum tran-
scendere, & in urbem penetrare aggrede-
rentur, nostros haudquaquam fefellerunt,
exceptique sunt acri prælio; diu non segni-
ter pugnatum, ad extremum fusi, fugati-
que hostes, cæsa tria millia, quingenti ca-
pti, signa militaria quadraginta, ahenea tor-
menta universa in nostrorum potestatem
venerunt. Id nudius quartus missus ad
Magnum Ducem tabellarius nunciavit;
qui quum noctu venisset, non potui face- H
re te hujus rei certiorem; quam ut tibi
significarem, has litteras conscribendas
censui, simul, ut epistolæ tuæ jucundissi-
mæ, & optatissimæ responderem; quam
scito quanto magis expectatam tanto fuis-
se gratiorem. Quid enim illâ dulcius, e-
legantius, humanius, amicitiâ nostrâ di-
gnius? In eâ me illud inprimis delecta-
vit, quod amoris erga te mei magnitudi-
nem intelligis; illud autem modestiæ tri-
buo, quod causam mihi diligendi tui pu- I
tas esse dumtaxat meam bonitatem, si tuam
dixisses a veritate non aberrasses. Diligo e-
nim, diligo, semperque vehementissimè di-
ligam virtutem animi tui singularem; sed
nolo, quamvis amor hortetur, in tuas lau-
des excurrere, ne epistola excedat mo-
dum, neve offendam pudorem tuum; nam
boni, ut ait Euripides, odere laudantes
quodammodo, quum laudant nimis. Quod
autem de joco te purges, nihil est, mi
Vincenti; fuit ille mihi perjucundus, qui K
mihi præbuit occasionem amicitiæ nostræ
causas exponendi; nec a te exigam pœ-
nam, nisi eam, quam sponte suscipis, ut
me ames; quæ eo gravior videbitur, quod
amabis hominem invenustum, & infice-
tum, & insuavem; sed & levis, quod ma-
ximè diligentem, & omnium, quos terra
sustinet, studiosissimum tui. Propediem
catalogus eorum, qui Pisis profitentur,
conficietur; ego peto mihi augeri stipen-
dium; si impetravero te certiorem faciam,
mi Vincenti; &, si me amas, cura valetu-
dinem tuam; te rus conferas, velim, ubi
soles valere plurimum. Patri, fratribusque L
tuis meo nomine salutem dicito, quam
Salvinius tibi me jussit plurimam nunciare.

Florentiæ VI. Kal. Sept. Anno
MDCLXXXVI.



E I-

EIDEM.

JAm, nisi fallor, audisti Curtam veteri vocabulo, sive Budam novo mavis appellare, Postrid. Kal. Sept. a nostris vi captam, præsidium, quod se pertinacissimè defenderat, cæsum. Multa præterea eredo istic falsis rumoribus ferri; quum hîc in urbe, per quam nunciis e Germaniâ venientibus commodissimum iter, multa nuntientur incerta, vel falsa, quæ prætermitto. Satis est nobis, quod certò scimus, urbem Pannoniæ Regiam situ, & arte munitam, inexpugnabile pæne propugnaculum Imperii Barbarorum, magnâ nostrorum temporum felicitate, in Christianorum venisse potestatem. Quam victoriam Florentia trium dierum supplicationibus decretis, sacraque pompâ, festisque ignibus, & dispositis noctu per fenestras domorum totâ urbe luminibus celebravit. Tertius hic est lætitiæ dies, nec minuitur gaudium tempore, sed augescit; plenæ viæ, plena fora, plena templa lætantium; sed non mihi consilium te de victoriâ Christianorum, neque de lætitiâ Populi Florentini certiorem facere; nec illud tibi significabo [est enim jam haud novum] viginti septem Cardinales creatos. Sed hæc mitto, neque enim horum causâ tibi scribo, sed ut scias, quinam professores novi sint lecti, quibus verò aucta stipendia. Nerius noster extraordinariam juris civilis cathedram est consequutus, & Corsignanus, additi sunt utriusque honorario quadraginta coronati; in eorum locum suffecti Montius, & Frosinius tui cives; Ansaldus, & Miglioruccius juris Pontificii institutiones explicabunt. Ordinariam medicinæ cathedram cum quinquaginta coronatis Zerillius est adeptus. Terentius quietem impetravit stipendio non diminuto. Adjecti sunt ad pristinum honorarium quinquaginta coronati Moneliæ, viginti Verzanio, triginta Brondio, viginti quinque Cascinæ, cui delata est ordinaria Juris Pontificii cathedra; viginti quinque Serrato, quadraginta mihi, Ricciardo triginta, Jannetto triginta, qui extraordinariam philosophiæ cathedram impetravit, in cujus locum Vanghettus est subrogatus. De Rosetto, & Frosinio dubitatur, an viginti fuerint consequuti. Primarius Institutionum civilium professor Farsettus est renuntiatus. Quum duo Senenses peterent Squarcius, & Lucarinus, auditi non sunt. Pro Rillio non petente, neque cupiente sua sponte Magius nitebatur, & stipendium sexcentorum coronatorum petebat; sed nihil æqui impetravit; itaque locus hic vacat. Capaecius etiam Senensis quum pristinam Cathedram, & stipendium peteret, repulsam tulit. Vale, meque, ut facis, ama.

Florentiæ III. Id. Sept. Anno MDCLXXXVI.

EIDEM.

ETsi fessus ex itinere, & mærore confusus ingenti, quem recens discessus a te meus attulit, vix animo constare possum, nedum scribere aliquid accuratè; quum tamen hodie litteras istuc mittendi per publicum tabellarium detur occasio, ab hac qualicumque scriptione haudquaquam potui abstinere, quæ sollicitudinem tuam tollet, quan ex itinere meo suscepisti. Illud autem prosperum contigit, quum satis longo somno nos refecissemus, horâ decimâ tertiâ Florentiam pervenimus; ubi vix mihi Patriæ jucundissimæ, pulcherrimæque aspectus arrisit aspectum tuum desideranti; vix ullam tot amicorum alloquia voluptatem attulerunt, quum tuâ consuetudine carendum mihi esse diutiùs cogitarem. Non mediocriter me tamen delectavit, quod Salvinium vidi lætum, & hilarem, & magno animo ferentem injurias fortunæ. Ab eo velim exemplum petas, si quando [quod avertat Deus] tibi opus fuerit animi constantiâ, & fortitudine. Huic a te missas chirotheeas dono dedi, & munus tuum meis verbis commendavi, qui tibi magnas gratias egit. Idem faciunt & fratres mei, quibus visa admirabilis comitas, & liberalitas tua. Pandolfinum nondum vidi; crastino die adolescentem conveniam, eique tuum offeram donum. Ferunt Cardinalem Mediceum ante Quintiles Id. non esse reversurum, quod mihi molestum est; seriùs enim te videbo, quo magis te rogo, ut cures, ut sæpe de tuâ valetudine certior fiam, nisi me hoc angore animi cupis macerare. Lippam a nostris ferunt occupatam; Pontificem summum quemdam in exilium ejecisse, qui sacræ pompæ iter, quum se per obliquum tulisset, ruperat; matronam autem summo loco natam ob eandem culpam triennio domo exire vetuisse. Te etiam, atque etiam rogo, ut mihi mittas carmina, quæ olim pollicitus, non dico fregisti fidem, sed certè non liberasti. Quæso, ne diutiùs me ducas, & hoc munere afficias, ut me consoler memoriâ tui. Carmina, quæ in te, Vincenti, conscripsi, multi petunt; cupio quamplurima eorum exempla colligas, ut

his

his obsequi possim. Vale, meo Adriano clarissimo viro, & Lanfreduccio suavissimo puero S. D.

Florentiæ IX. Kal. Quinct. Anno MDCLXXXVI.

EIDEM.

A QUibus tuis virtutibus adductus,
quarum causâ impulsus, Vincenti, te adeo vehementer diligam, mirari te scribis. Ego verò mirarer potius, quod te parum adamarem, si aliquid amori meo addi posse videretur. Eæ quippe sunt animi tui dotes, adeo eximiæ, singularesque virtutes, ut non mediocrem amorem, sed eximium, & singularem desiderent. Sed profectò modestâ indole præditis adolescentibus idem accidit, quod unguento pre-
B tioso delibutis, & odore suavissimo fragrantibus. Nam quemadmodum hi odoris, quem gerunt, non sentiunt latè spirantem suavitatem; qui verò proximè accedunt, sentiunt, & alieno bono perfruuntur; sic modesti, & graves adolescentes virtutum suarum excellentiam vix intelligunt; qui autem eos familiaritate attingunt, intelligunt, & earum, ut ita dicam, odore jucundissimo delectantur. Quare mirari desine, si quod animi tui bonum in te
C non vides, id mihi videtur magnopere expetendum; quin potius imitare formosos, quibus ignota est sui vultus pulchritudo; hi nimirum consulunt speculum, & lineamenta oris in eo contemplantur, ex eoque spectaculo magnam percipiunt voluptatem; & tu speculum consule, & (quando amicus est amici quasi quoddam speculum) in amorem meum intuere; quantique te faciam, vide; jam tuæ virtutis, quæ in me incredibilem ardorem excitavit, in-
D telliges venustatem; jam tuo bono lætaberis, jam me spirantem imaginem morum tuorum vehementius diliges, quam pulchris nihil speculo sit gratius. Nam hæc benevolentia mea, quam ingentem esse tute ipse confiteris, nisi te intus, &, ut ait ille Poëta, in cute novissem, levius esset argumentum bonitatis; nunc quum mihi prorsus cogniti mores, perspecta voluntas, explorata sit virtus, non est mihi, crede, falsa testis indolis tuæ; nec debes eam
E tanquam speculum mendax repudiare. Ego te ex omni Pisanâ juventute legi, quem amicitiâ complecterer; non qui genere, divitiis (quamquam & hæc sunt in te non contemnenda) sed qui probitate, & morum gravitate præstares universis; non potes, nisi judicium meum levissimum putas, ti-
bi displicere. Ad hanc causam, quæ est F
gravissima, illud accessit, quod aliquot annos me usus es præceptore; & ego te erudio non mercede adductus, non coactus officio (nam scis id meum munus non postulare,) nec te cum turbâ discipulorum, ut alii faciunt, admitto; tibi uni laboro, tibi obsequor, tibi soli trado ea, quæ arbitror profutura, tu mihi filius es, ut Græci loquuntur τηλυγέτης ἀγαπητός. Cave autem ullam conjunctionem arctio-
rem existimes eâ, quæ inter discipulos be- G
ne a naturâ informatos, & humanarum necessitudinum intelligentes præceptores intercedit; siquidem nulla major societas eâ, quæ rationis commercio copulatur. Id ex eo perspici potest, quod Deus & hominem, & mutas animantes procreavit; homines tamen duntaxat in deliciis habet, & eorum pater appellatur, mutarum animantium non item; non alia de causâ, nisi quia homines participes sunt rationis, cu-
jus ille fons, atque principium, qua mu- H
ræ carent animantes, vel certè utuntur admodum imperfectâ. Mentes illæ cœlestes, & immortales nunquam societatem cum brutis iniisse memorantur, cum hominibus verò sæpe; quod credere convenit & Poëtarum, & Historicorum testimonio, & quod majus est, sacrarum litterarum. Hujus autem necessitudinis, quæ tam diversas naturas, & pene infinito dissitas intervallo nectit, & jungit, sola mens, & ra-
tio causa est; quam quum in homine I
mentes divinæ videant, non possunt hominem, sicut alias animantes despicari. Jam verò hominem homini, quæ res conciliavit ad vitæ societatem, ad benevolentiam, ad amorem, nisi rationis, orationisque communio? Quare, cur bestias omnibus modis insectemur, servitio gravi opprimamus, impunè trucidemus, nihil cum ipsis commune habeamus; homines autem benevolentiâ complectamur, amore fovea-
mus, eorum commoda putemus ad nos K
pertinere, multi verò pro amico vitam profundere non recusarint; hujus diversitatis illam solam causam reperies, quòd homines communione sermonis conjunguntur, consilia inter se conferunt, animi sensa communicant; id vinculum est societatis humanæ, id amoris incitamentum, id amicitiæ firmissimum fundamentum. Quod si rationis communio sola est effectrix amoris, & societatis, nulla socie-
tas cum eâ, quæ contrahitur inter disci- L
pulos, & magistros, poterit comparari. Alias nimirum focorum, alias in commune collatæ opes, alias corporum commixtio, alias conjonctio sanguinis jungit, hanc sola rationis communio conglutinat. Quid enim aliud cum auditore præceptor, nisi cogita-

gitam sapienter, nisi rationes, nisi rerum
A scientiam communicat? quid aliud moli-
tur, nisi insitos a naturâ igniculos excita-
re, nisi ingenii similitudinem, & cogitatio-
num, & sermonis in eo, quem erudit,
procreare? Sed profectò sanctissimæ hujus
necessitudinis auctoritatem minuêre, qui
non animi propensione, nec benevolentiâ,
sed lucro ducti nobilissimas disciplinas tra-
dere adolescentibus primi instituerunt;
ideo præceptoris nomen eviluit, & aliæ
conjunctionis causæ potiores habentur.
B Sed ab iis ego, qui docent adducti lucri
cupiditate longissimè absum; idcirco noli
mirari, si te, quanta debetur huic arctissi-
mæ necessitudini, caritate complector; si
de tuis commodis nunquam desino cogi-
tare; si te mihi nihil est in terris jucun-
dius, nihil carius, nihil amabilius. Verum-
tamen satis, superque de his philosophati
sumus; & vereor, ne tibi molestiam attule-
rit oratio tam altè repetita; sed, de quo scri-
beremus, non habebamus, novi nihil est;
C Legatus Moscorum Magni Principis fertur
adventare. Tu interim, quem propediem
salvere me sperabam jussurum, vale, & fac,
ut sciam te valere, & parenti, fratribusque
tuis, & Adrianio clarissimo viro, & Lan-
freduccio festivissimo puero plurimam sa-
lutem impertire.

Florentiæ Prid. Kal. Jul, Anno
MDCLXXXVII.

EIDEM.

EX tuis litteris intellexi te in juris
D prudentiæ studium toto pectore
incumbere non amore ejus facul-
tatis adductum, sed necessitate coa-
ctum; eam rem tibi magnam mo-
lestiam exhibere, vehementissimeque esse
perturbatum, quòd amœnissimis disciplinis
prætermissis, & abstractus a florentissimis
rhetorum spatiis, & mollissimis recessibus
poëtarum in Jurisconsultorum salebras, &
dumeta compellaris; quæ tam dolenter,
acerbeque deploras, ut mihi consolandus
E esse videaris. Quid te maceras, Vincenti
suavissime, quid sponte susceptis molestiis
ætatis florem conteris? quid animum ad
magna surgentem curis oneras non ne-
cessariis? quin potiùs excogitas, quæ labo-
rem, mœroremque tuum possunt allevare?
quæ non levia arbitror, aut contemnenda.
Aut enim juris civilis profitendi publicum
munus hoc anno consequeris, aut in alium
spes tuæ differentur. Si consequeris, mo-
lestiam, quam capis, prospero petitionis
eventu compensabis; erit tibi magno so-
latio, magno curarum levamento, magnæ
voluptati reputare, te rem multis de causis F
hoc quidem tempore difficilem impetras-
se; tuæ dignitati magnum cumulum ac-
cessisse; tuam virtutem præmiis auctam;
nec carere lemniscis coronam, quam sum-
mo omnium plausu nuper es assequutus;
te vixdum jureconsultorum donatum in-
signibus a sapientissimo Principe dignum
tanto munere judicatum; non esse am-
pliùs incertum, in quo studio vitæ curri-
culum conficias; unde petenda sint hono-
ris, & gloriæ incrementa; illamque mise- G
riam effugisse, quam Virgilius expressit hoc
versu:

Incerti quo fata ferant, ubi sistere detur.

Sin autem, quod petis, minimè conseque-
ris brevitate laboris te debes consolari;
circiter Kal. Sept. id scies; tunc animum
quiete reficere, tunc licebit de viâ, quæ
in jurisprudentiæ studiis tibi restat, con-
ficiendâ paulisper declinare; & ad alias
disciplinas, quasi ad diversoria quædam a-
mœna divertere, & conficere cursum, quem H
in Mathematicis, & Græcâ litteraturâ in-
stituisti. Veniet tempus, quo studia instau-
rabuntur, audies novos professores expers
ipse molestiæ, expersque curæ, & sollici-
tudinis; quàm verè sit illud a Lucretio
dictum intelliges:

Suave mari magno turbantibus æquora ven-
tis
E terrâ magnum alterius spectare laborem:
Suave etiam belli certamina magna tueri
Per campos instructa tui sine parte pericli. I

Nec tamen tibi denegatum, sed dilatum
munus existimabis, quò ad id explendum
paratior accederes; neminem vidi medio-
criter eruditum, qui constanter hanc di-
gnitatem petiverit, quin seriùs, ocyùs im-
petrarit. Hæc si tecum animo reputaveris,
faciliùs laborem perferes, molestiamque,
quam hauris, libentiùs devorabis. Præcla-
rè Stoicorum summus Epictetus uniuscu-
jusque rei duas ansas esse confirmat; alte-
ram, quæ rem gravem, molestam, tristem; K
alteram, quæ levem, perferendam, jucun-
dam facere videatur. Grave est in eo stu-
dio, quod tibi sit insuave, laborare, gra-
vius, quum nescias, an ex labore fructum
sis percepturus; gravissimum necessitate
compulsum, & temporis angustiis circum-
ventum. Hæc si rem accipes, perturbabe-
ris, dolebis, angeris, ingemisces; si verò
studiorum profectum, spem præmiorum,
& gloriæ, brevitatem laboris, aliaque,
quæ censui, cogitabis, leviùs feres. Tri- L
stissima quæque non sunt animo agitanda,
& versanda sollicitè, sed quàm levissimè
transmittenda; ut ea, quæ fœdi sunt odo-
ris, olent commota deteriùs, ita, quæ sua-
pte naturâ molesta sunt, animum graviùs
animadversa, & cogitata perturbant. Que-

madmodum si inter spinas verseris, & quie-
A scas, minùs cruciaberis; si te commoveas, jactes, agites, volutes, gravissimè offenderis; ita si mentem abstrahas a cogitatione malorum, & in tranquillo colloces, aut nihil, aut minùs indolebis; sin autem ea verses, in iisdemque animum, cogitationemque defiges, intolerabilia tibi videbuntur. Quod si animi tanta vis est, ut qui aliò mentem vehementer intendunt, interdum corporis dolores acerbissimos, cruciatusque non sentiant [quemadmo-
B dum fertur Archimedes non sensisse vulnus inflictum intentus formis in pulvere describendis] multo magis idem suas molestias non sentiet, quum se ab ipsis abduxerit; præsertim quum vulnera, cruciatus, verbera suâ vi pellant corpus; animum res molestæ opinione magis, quàm suâ naturâ vulnerent. Quæ quum ita se habeant, noli te tristitiæ dedere, noli te miserum ducere, neque, præterquam quas ipsa res molestias

C *Habes, addas, & illas, quas habet, rectè feras.*

Quas molestias contemnendo, leves, aut nullas facies; neque enim in animo, quidquam juris externis, nisi ea ipse admiserit. Illud habet vim lædendi tui, a quo tibi præcipio esse abstinendum; cave, ne studio nimis, præsertim insuavi, corpus opprimas, ne vigiliis maceres, ne valetudini pessimè consulas;

Et tibi si non vis parcere, parce mihi;

D si tibi vilis tua salus, non debes amici salutem contemnere, quæ ex tuâ quodammodo pendet; si tu in morbum incides, ego quoque graviore animi morbo conflictabor; neque præceptorum, quæ tibi dedi, fortasse meminero Nulla necessitas cogit te supra vires laborare; non te veto studere, sed animum studio inclementer defatigare; novi impetus ad gloriam tuos, idcirco timeo, & te monitis insequor salutaribus, quæ tu ne despexeris. Apud
E favos jore sermones bonos esse litteræ sacræ testantur; nam sicut mellis liquor asperum saporem aliorum ciborum, & potionum admixtus temperat, & ut ait Virgilius, domat; sic amara curarum eluit, & mitigat prudens oratio; & quemadmodum mella habent abstergendi vim, atque purgandi, ita sermo bonus ex animo diluit molestias, & falsas aufert opiniones. Quæris autem quod tempus adventui tuo putem opportunum; ego tibi censeo maturandum; nam si citiùs veneris, parum tuis
F rebos offeceris, si seriùs, nihil egeris Quamquam citò venisse te non pænitebit, si quindecim dies Florentiæ commoraberis; nam interim urbem spectabis, & nisi res diutiùs, quàm anno superiore differatur, præsens eris, quum agetur de negotio nostræ Academiæ. Perendie igitur Pisis proficiscere, quod commodo tuo fiat; qua de re eupio scire, quid decreveris, ut tibi præstò G esse possim, nec tu me, aut ego te quærendo defatigemur; potes autem cras acceptis meis litteris tuæ profectionis tempus paucis indicare. Nocturnum iter si elegeris, pulverem, æstumque vitabis, & valetudini consules. Vale, & tuis, & Adrianio plurimam nomine meo salutem imperti.

Florentiæ IV. Kal. Sext. Anno MDCLXXXVII.

EIDEM.

Etsi nudius quartus ad te litteras dedi, tamen scribendum rursus H esse duxi, ne, si fortè non sint perlatæ, officium videar neglexisse, tuasque preces, quibus obsecrabas, ut significarem tibi, an eas accepissem, repudiasse; & privatim quidem quod scribam, nihil habeo, quum jam te certiorem fecerim Ferrantem Capponium erysipelate laborare, meliusque se se habere; sed nihilominus nostræ academiæ negotium dilatum iri longiùs, quàm putabamus. Publicè verò Hemerodromi attulerunt I Corinthum a Venetis in deditionem acceptam incruentâ victoriâ; centum quinquaginta vicos, & castella in nostrorum venisse potestatem, res gestas paucis diebus triumpho dignissimas. Non scribo pluribus, quia sum oppidò imbecillus; diarrhæa me malè habet, quæ si diutiùs mihi molesta erit, jam affigar lectulo; ita neque potus, neque cibus juvat, & vires incredibiliter sunt labefactatæ. Vale, & valere jube fratres, & patrem tuum.

Florentiæ IV. Non. Sept. Anno MDCLXXXVII.

EIDEM.

Ut mandatis tuis obtemperarem, K Magnellium domi conveni, qui febriculâ correptus decumbit; is mihi significavit florem, qui istic Riccardus appellatur a cognomine videlicet primarii viri, hîc alio nomine appellari. Nam ut Pisis a viridario ejus profectus a Domino vetere nominatur, ita consentaneum Florentiæ, quò missus est aliunde, aliter nuncupari; itaque

que

que se nescire, quis iste flos Riccardus sit, A & imperialis viridarii custodem etiam ignorare; se cupere, ut me certiorem facias, qua aliâ appellatione censeatur, vel saltem describas eum, ut certis cognoscere signis valeamus. Ab Ambrâ quoque viro perelegenti, & humanissimo petivi bulbos, quos promiserat; qui respondit, quamvis habeat domi pretiosos, & raros (id quod omnes Florentiæ sciunt, est enim harum deliciarum indagator acerrimus, & diligentissimus cultor) tamen se hic non esse con- B tentum, sed expectare quosdam insigni raritate, horum partem mihi daturum; nec sibi quidquam optatius, quàm ut meæ morem gerat voluntati; opus autem esse diligenti culturâ, nam præstantissima quæque studio maximo, vulgaria sponte proveniunt. Hæc ille, qui an expectationi, promissisque tam speciosis sit re satisfacturus, nescio; illud scio me flagrantissimè cupere, ut tibi meâ operâ sit aliquid, quod amicis possis ostentare, mi Vincenti; sed hoc in alienâ positum est potestate. Vale.

Dat. Flor. XII. Kal. Oct. Anno MDCLXXXVII.

EIDEM.

C TE binas litteras meas puto accepisse, quas post illas, quibus postremò respondisti, dedi duodecimo, & quinto, nisi fallor, Kal. Sept. sed quia fieri potest, ut eæ tibi redditæ non fuerint, quum certi hominis, qui istuc proficiscatur, detur occasio, denuo scribendum esse duxi. In illis autem significabam hic ignorari, quis flos Riccardus sit, quem petiisti, alio nomine appellari; opus esse, ut indicares, quomodo aliter vocetur. Magnellum sæ- D pe conveni, quo interprete a custode viridarii, quod Riccardius satis instructum, ornatumque habet, impetravimus, ut nobis copiam faceret bulborum omnis generis paulo selectiorum. Capsulam autem his deliciis plenam paravimus tibi, quum Pisas veniemus, perferendam. Magnellius constituerat mittere primo quoque tempore; sed ego auctor fui, ut supersederet, ne, quum Pisis non esses, periret. Ambra quoque mihi viginti sex bulbos tradidit E diversi generis, qui, quantum ex ejus verbis conjicere potui, sunt non contemnendi. Sed ego harum rerum sum admodum imperitus; idcirco subjeci eorum indicem vernaculâ linguâ, quòd eorum nomina barbara satis concinnè exprimi latino sermone non possent. Ego jam orationem absolvi, quam Kal. Nov. in instauratione studiorum sum habiturus; qua conor o- F stendere litterarum studia afferre animis veram quietem, & tranquillitatem, te autem auditorem desidero, quem videre vehementer cupio. Camillus Pandolfinius, qui hactenus erysipelate laboravit, nunc convalescit; tibi plurimam salutem dicit, & Redius. Vale, Aulla jucundissime.

Florentiæ VI. Id. Octobr. Anno MDCLXXXVII.

EIDEM.

ETsi statuerim hoc anno frequen- G tibus litteris abstinere, ne tibi molestus essem vehementer occupato, nec, priusquam respondisses, officio fungi scribendi; ut esset in tuâ positum potestate crebriùs, an rariùs acciperes meas epistolas; quas crebrò rescribendo crebras, raro raras eliceres; non tamen sic animum obstinavi meum, ut siquid acciderit, quod te scire velim, non esse tibi putem indicandum. Quapropter ignosces mihi, si quum paucis H ab hinc diebus tibi scripserim, non expectato responso tuo denuo scribo; æque animo feres hanc temporis jacturam, quæ pro amore, quo me, fratremque meum complecteris, aliquo tuo gaudio compensabitur. Quæres quid acciderit, de quo te esse velim certiorem, quod gaudium loquar, quod ad amorem erga me, fratremque meum pertinere videatur; non diutiùs distendam cupiditatem tuam; frater meus heri a Magno duce est accersitus, & I jussus hoc anno juris civilis institutiones Principi Gastoni tradere. Id, ne illud Ovidianum posses usurpare,

Cur mihi fama prior, quàm nuncia littera venit?

significandum tibi judicavi; nam ita naturâ comparatum est, ut, si quid nobis, aut nostris accidat prosperum, amicis nunciare gaudeamus; tu verò mihi es amicissimus, ut nemo sit, quicum mea omnia malim communicare. Vale, Vincenti carissime, & Adrianum clarissimum virum, & optimum parentem, fratresque tuos valere meis verbis jube.

Florentiæ III. Kal. Quinct. Anno MDCLXXXVIII.



EIDEM.

A EX Adriani clariſſimi viri litteris nuper intellexi, te nimiò opere, nimioque labore in ſtudiis verſari parum valetudinis tuæ memorem, quam mihi ſcis eſſe cordi. Id magnam animo ſtudioſiſſimo tui attulit curam, ne me abſente incidas in morbum, quum ægro aſſidere, fallere ſermonibus diem, adhibere fomenta, intervallum locorum, quo disjungimur, non finit; quod ne accidat, vehementer timeo, Vincenti cariſſime. Quare mihi es admonendus, ut B laboribus parcas, ne graviùs, quàm neceſſe eſt, animum defatiges. Jam te puto ex eo tempore, quo diſceſſi à vobis, prælectiones multas confeciſſe, multas item, antequam diſcederem, confeceris. Noli timere, ne ſi tibi jus civile ſit hoc anno explicandum, imparatus hoc munus aggrediaris, non multis prælectionibus tibi opus erit. Veniet Piſas nova Principis noſtri Nupta, & vulgò ferunt ejus fratrem Ducem Noricorum eſſe venturum: Princi- C pum adventus, & præſentia, lætitiâ, & ſpectaculis publicis celebrabitur; in hoc tanto gaudio minus moleſtiæ diſcipuli nobis exhibebunt. Quæ quum ita ſint, paulum remitte laborem, qui forſitan erit ſupervacuus. Nunc æſtus eſt graviſſimus, flagrantiſſimo ſidere Cœlum concaluit; nihil eſt magis cavendum, quàm immodicæ curæ, animique vehemens contentio, quem ſi pergas exercere ſeveriùs, corpus, quod eo laborante debilitatur, æſtu diffluens, & D laboribus impar opprimetur. Quod omnibus quidem timendum eſt, ſed præcipuè adoleſcentibus, & his, qui in juventutis flore, quo viges, conſtituti ſunt. Quantopere autem adoleſcentibus officiat æſtus, & labor, exemplo ſunt duo Magii fratres, qui ex itinere morbum contraxerunt, & nunc ægrotant Urbini. Hæc ego tibi præcipienda eſſe duxi, ut periculum vites, mea monita ne contempſeris, & Homerum audias dicentem:

.... ἀγαθὴ δὲ παράφασις ἐστιν ἑταίρου

E Ex te viciſſim velim cognoſcere, quomodo ſe habeat Adrianius noſter, an adhuc veſtigio inſiſtat ſine dolore, & ſe ſuis pedibus portet. Huic nunciabis Lippam, & Ilochium, & Julam a noſtris receptas eſſe. Sed hoc anno victoriarum nuncii minus afferunt lætitiæ, quàm ſolebant; ſive quòd minùs accidunt inopinati, quum in Pannoniis deploratæ ſint res Barbarorum; qui nec exercitum habent, nec ſpem, nec animum adverſæ fortunæ contemptorem; ſive quod lætitia nuptiarum avertit Etruſcam Aulam a cogitatione bellorum. Sunt enim hæ & Principibus noſtris lætiſſimæ, & Duci Noricorum, & præcipuè F novæ nuptæ, cui nihil ajunt longiùs videri opportunitate ad nos veniendi; quæ quotidie peritos homines de noſtræ urbis pulchritudine, de ſplendore villarum, de amœnitate camporum interrogat. Corſinius, qui mittendus eſt orator ipſam nomine Principis noſtri petiturus, nondum profectus eſt, nec ſcimus, quando ſit profecturus. Vale, & eruditiſſimo viro Adrianio, & parenti, fratribuſque tuis, & Lanfreduccio ſalutem plurimam impertire.

Florentiæ XIII. Kal. Sext. Anno MDCLXXXVIII.

EIDEM.

QUæ cauſa tibi tam diuturni ſi- G lentii fuerit, licèt ipſe mecum diu cogitarim, invenire non poſſum. Abiſti Piſas anni tempore flagrantiſſimo, quo periculoſa eſt omnis locorum, Cœlique, Cornelio Celſo teſte, mutatio; nonne me certiorem de tuâ valetudine factum oportuit? Ne ſcribendi officium differres, ego prior te meis litteris ad XIX. Kal. Sept. datis compellavi; nonne reſponſum oportuit? tu verò nihil reſcribis, nec officium me- H um aliquid excuſare litterarum poteſt. Quid putem, niſi me aba te contemni? nam quoties ad humanitatem tuam reſpexi, quæ ignotos etiam, nedum tam longâ familiaritate conjunctos ultro ſolet officiis laceſſere; quum venit in mentem promiſſi tui, quo fidem obſtrinxiſti, te, ſimul atque Piſas veniſſes, eſſe ad me ſcripturum; ſuſpicor taciturnitatis tuæ cauſam eſſe incommodam valetudinem, quæ ſuſpicio me valde ſollicitat. Nuper Adrianii viri præ- I ſtantiſſimi litteræ timorem meum aliquantum levaverunt, quia nihil ſiniſtri nunciabant; ſed quum in his mihi ſalutem, ut ſoles, non aſcripſiſſes, non omnino metu ſum liberatus. Accedit eodem, quod multis in locis ferunt inſalubritate corporum laborari; Senis certè aliquot millia eſſe dicuntur ægrotorum. Vos quidem moleſtè ferris, quotieſcumque exteri veſtram civitatem morbis obnoxiam ſuſpicantur; nec ullos alios vidi hac de causâ tantopere K commoveri; ſed neque Florentia, neque Feſulæ, neque Tibur, neque Piſæ aëris intemperiem ſentire non poſſunt. Quare quum in aliis quibuſdam locis frequentes eſſe morbos audiamus, licet ſuſpicari, nonnulliſque ſcribentibus credere vos, qui in orâ Tuſcorum degitis, quam Plinius, & Sido-

Sidonius Apollinaris pestilentem vocant,
A hujus calamitatis immunes hoc tempote
non esse, quo autumnus appropinquat maximè
corporibus insalubris. Quare scribe
aliquid, quo te valere cognoscam, nam te
silere valde miror. Mandaveram tibi, ut si
Martinius claves, qoas dederam, domum
tuam attulisset, me certiorem faceres, aut
si non attulisset, exigeres; nec allatas, nec
exactas a te cognovi; Itaque domus mea te
Pisis degente egregio amico patere furibus
potest; & non vis admiter hoo silentium
tuum, quum tot causis ad scribendum compulsus
obstinatè tam diu taceas. Vale, &
salvere jube Adriaoium virum, qoi officium
scribendi nunquam insuper habuit.

Florentiæ XII. Kal Sept. Anno
MDCLXXXVIII.

E I D E M.

INvidet mihi profectò fortuna & ab-
B sentiæ tuæ solatium ingens, & ma-
ximam in solitudine meâ voluptatem;
quum sæpissime ejus culpâ fit, ut lit-
teræ toæ seriùs ad me perferantur.
Scripsisti ad XV. Kal. Sept. satis maturè post
discessum tuum, ad X. redditæ sunt; ut
ex Adrianii clarissimi viri epistolâ intel-
lexi, iterum scripsisti X. Kal nullas accepi.
Crederem vitio eorum id accidere, qui
Florentiæ reddunt; sed cut Adrianii litte-
ræ redduntur statim, tuæ non redduntur?
C sospicari subit famulum, cui das ferendas
ad tabellarium, serò perferre; sed nolo in-
nocentem redarguere, satis peccavi, quom
te immerentem accosavi, & molestè fero,
& me ejus facti pænitet, & infectum velim,
quia meam accusationem tibi acerbam fuis-
se accepi. Quoniam verò mutari non po-
test, mihi etiam, atque etiam rogandus es,
ut ignoscas amori erga te meo, igooscas ti-
mori, quo sollicitabar; quum enim a no-
bis discessisses æstatis gravissimo tempore,
& litteras tuas nullas accepissem, nec un-
D quam tandiu siluisse te meminissem, time-
re cœpi, ne mutatio Cœli, & itineris in-
commoda te lecto affixissent. Ea suspicio
mihi magnam molestiam creavit, cujus
tædio offensus irascebar tibi, si qoom scri-
bere posses, officium litterarum omitteres,
quæ solæ mederi poterant animo sollici-
to, & pertubato. Feci, fateor, iracundè,
quum de benevolentiâ tuâ, & fide dubita-
vi; sed satis pœnarum dedi, quum te lit-
teris meis offensum esse, tristemque co-
gnovi. Redde te mihi hilarem, & placa-
tum; nunquam posthac tibi vel reverâ si-
lenti succensebo; habes meam satisfactio-
nem, quam tibi probari cupio. Meas O-
rationes, quas publicare cogito, scito me E
censori publico recensendas tradidisse, ne
me putes in hoc non gessisse morem tuæ
voluntati. Claves domus meæ, nisi ser-
vantur apud te, recuperes, te vehementer
rogo. Vale, fratribusque tuis, atque pa-
renti salutem plurimam dicito.

Nunc demum epistolam tuam accepi
scriptam humanissimè, qua me certiorem
facis te a Martinio claves recepisse; gra-
tias pro hac re tibi ago; gaudeo etiam vos
expertes esse morborom; sed in hoc non F
te patiar errare. Ego non affirmavi Flo-
rentiæ, aut Fesulis, aut Tibure aeris in-
temperie laborari; sed quum in iis locis
possit laborari, quæ nonnullis Auctoribus sa-
luberrima prædicantur, non debere vos of-
fendi, si quis de Pisis idem aliquando sus-
picetur. Ceterùm Florentiæ, quod qui-
dem sciam, nulla est adhuc suspicio insa-
lubritatis; quod ex paucitate ægrorum con-
jicio, quorum mihi ootitia est, & quod
qoom in eo loco vesperi verser, ubi fune- G
ra frequentissima duci solent, vix unum,
aut alterum totâ æstate fonus vidi. Gherar-
dius tamen, & Serenajus diem supremum
expleverunt; sed uterque morbum venan-
do contraxerant; qua tempestate maximè
flagrabat æstus, quatuor venatum simul exi-
verunt, Rusticus quidam, Sacerdos Paga-
nus, Gherardius, & Serenajus; omnes pa-
ri fato occiderunt; præter horum nullum
aliud funus audivi. Ita Deus faxit hæc
propria, & perpetua bona; certè proxi- H
mis annis octo, novem, aut decem milli-
bus capitum aucta est hujus urbis multi-
tudo; quæ tamen exhausta non funeribus
fuerat, sed abitu civium. De Tibure, &
Fesulis mentirer, si quidquam affirmarem;
quæ ideo subtexui, ne me auctorem cita-
res falsi nuncii. Vale rursus.

Florentiæ V. Kal. Sept. Anno
MDCLXXXVIII.

E I D E M.

NIhil est, quod verearis, Vincenti
suavissime, ne, quòd officium I
rescribendi parumper distuleris,
te inhumanitatis crimine au-
deam accusare. Nam tanta ex
litteris ad me proximè datis argumenta a-
moris eximii, & singularis elucent, ut non
modò te non suspicer inhumanum, sed e-
tiam mihi gratuler, quod te habeam omni
studio, & benevolentiâ, & conjunctione
devinctum; nec tu pœnâ afficiendus, sed
amore mutuo remunerandus videris. Quam

enim

enim sollicitudinem, quem timorem susce-
A pisti, quum intelligeres me in periculum invaletudinis devenisse! Gratias igitur ago tibi pro significatione tantæ benevolentiæ, proque precibus, quibus Deum fatigas, ut mihi inoffensa valetudo contingat; sed eas potiùs adhiberi velim, ut mentis bona, ut integer animus, ut non fucatâ simulatione virtus, quæque alia verè e re meâ sunt ab Auctore omnium bonorum, & summo, unicoque bono tribuantur. Quod ut precer, adducor Platonis exemplo, qui
B nunquam divitias, & honores, & corporis firmitatem, & quæ alia prima Mortales putant, sed bonum precatus esse fertur. Nam opes, & valetudo, & dignitas an profutura sint nobis, ignoramus, quum multos transversos egerint, quibus adversæ res fuerunt virtutis exercitatio, secundæ incitamenta vitiorum. Sunt igitur bona a Deo petenda; ille, qui scit, quid nobis expediat, nos verè profuturis cumulabit; nos enim in magnâ rerum expetendarum
C ignoratione versamur, nec hominibus ferè contingit boni, malique non falsa judex, disceptatrixque prudentia. Utcunque tamen ea se res habet, dici non potest, quàm sit jucundum mihi, quàm gratum, quàm optandum, quod amorem erga me tuum non solùm apud homines, verùm etiam apud Deum benevolâ precatione testatum esse voluisti. Illud ingratum, quod scribis te negotiis domesticis distineri; cave, mi Vincenti, ne a studiis abducaris: cave, ne
D ad publicum munus, quod tibi demandatum iri speramus, imparatus accedas: cave, ne existimatio, quæ de ingenio tuo, & doctrinâ est, minuatur. Omnia minoris facienda, quàm laus, & dignitas, & amplitudo; quas abunde consequere, si principia rectè processerint, & hoc anno firmiter jeceris tuæ gloriæ fundamenta; quæ si infirma sint, frustra, quidquid superstruxeris, inædificabis. Quæ tibi scribenda esse duxi, quod Academiæ nostræ nego-
E cium differtur, & longiùs etiam differetur; vereor autem, ne, quum incertus animi pendeas, ad desidiam faciliùs convertaris. Zambeccarius oblitus est, quem bulbum ab eo petiveris; quum scribes, ne graveris mihi significare, ut hominem commonefaciam. Eadem operâ me certiorem facito, quando tempus fuerit opportunum bulbos florum petendi, quos desideras, ut morem geram tuæ voluntati. Vale, & salutem patri tuo dicito, & ut rectiùs valeas, abi rusticatum.

Florentiæ XVI. Kal. Oct. Anno MDCLXXXVIII.

EIDEM.

Quatuor Hemerodromi Florentiam venerunt, unus Bononiâ, F
Venetiis alius, tertius a Cæsare, quartus a Mantuæ Duce; hi omnes nunciant Taurunum vi esse captum; in eâ expugnatione Noricorum Ducem, & egregii imperatoris, & strenui militis implesse partes. Nam quum murorum ruinas transcendere propter interjectam haud exiguæ altitudinis fossam non planè reliquo solo æquatam milites cunctarentur, & sese invehentibus Barbaris paulum cessissent, Princeps fossam superavit, stragemque murorum cum G
delectis ascendit. Exemplo ducis accensum exercitum per æqua, per iniqua vadentem sustinere hostes non potuerunt; omnes in medio trucidati sunt, urbs Pannoniæ propugnaculum expugnata; qua captâ, & Illyria universa illa vetus, & regio omnis, quæ Dacia antiquitus appellata est, in nostrorum ditionem, potestatemque concedet. Nec ea nobis fuit incruenta victoria, ad sexcentos e nostris cecidisse editæ typis H
litteræ testantur; alii duo millia cæsa Christianorum ferunt, qui non inulti occubuerunt; in urbe captâ iracundè sævitum, non ætati, non sexui victores pepercerunt. Eædem litteræ tradunt omnes provincias inter Pannoniam, Thraciamque interjectas ad rebellionem spectare; fusa, atque fugata quindecim millia Barbarorum, ex quibus tria millia cæsa; signa militaria capta complura; Euboeam etiam ab exercitu Venetorum summâ vi oppugnari, ac I
pœne captam esse; in Dalmatiâ ejus provinciæ munitissimum oppidum (Clinium vocant) obsideri alii licèt minùs certi nuncii attulerunt. Adrianio, si Pisis adhuc versatur, meis verbis nunciabis me ad eum de rebus in Pannoniâ gestis fuisse scripturum, nisi Lucam ad suos abiisse censuissem; quæ si tibi erunt notæ, ignosces, non enim priùs ad te litteras dandi fuit facultas, quum nudius tertius nuncii venerint. Vale, & salutem dicito parenti, & fratribus tuis. Sgrillius supremum diem obiit, quum jam esset rediturus; ejus locus vacabit; Deus faxit, ut hunc te implere videamus.

Florentiæ XIV. Kal. Oct. Anno Sal. MDCLXXXVIII.



EIDEM.

A Tandem aliquando in nostrum ordinem es cooptatus; gratulor tibi ex corde, & eo magis ex corde gratulor, quo magis ex corde gaudeo; gaudeo autem vehementiùs, quo diuturniore curâ sum conflictatus. Si citò veniet nova nupta, annus tibi, nobisque minimè laboriosus continget; sin autem cunctabitur, erit tibi aliquantulum desudandum. Ego Orationem de Nuptiis Principis Ferdinandi cras absolvam; quæ Orationem de victoriis Christianorum longitudine superabit. Orationum mearum tertia ferè pars impressa est. Vale.

Florentiæ V Id. Oct. Anno MDCLXXXVIII.

EIDEM.

B Ego litteras ad te Pisas tabellario perferendas dedi; sed quia sum suspicatus ad Eræ Pontem abiisse, istuc quoque mittendum epistolium censui, quo certior per me fias te esse auctum dignitate, & tibi institutiones Juris civilis profitendi munus demandatum. Non gratulor tibi, quia tu magis mihi gratulari debes, ad quem ex hac tuâ prosperitate majus gaudium redundavit. Jam ego

Musis amicus tristitiam, & metum,

qui meum animum longo tempore occupavit, dum erat incertus eventus petitio-
C nis tuæ,

Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis......

Meus etiam frater in superiorem gradum ascendit, & auctus est liberaliore stipendio; quæ & Farsetto contigerunt. Vale.

Florentiæ V. Idus Oct. Anno MDCLXXXVIII.

EIDEM.

D Quamquam mihi grave est, & permolestum, Vincenti suavissime, tanto locorum intervallo a te esse disjunctum; illud tamen in hac absentiâ mihi accidit perjucundum, quod intelligo te non minore mei desiderio teneri, quàm ego tenear tui. Nam, ut laudari a viro, qui dignus laude videatur, gratissimum est, sic amari ab eo, E qui sit amore dignissimus, magnam affert voluptatem. An verò non tu, mi Aulla, talis es, qui obsequio, fide, modestiâ, suavitate morum, integritate vitæ omnium, quibus notus es, amorem promereris? Quum te igitur ex litteris perspicio orbatum consuetudine meâ mærore affici, & angi vehementer, amoris erga me tui per quàm suavis est mihi significatio. Atque is, quum mihi nunquam fuisset obscurus, in litteris, quas proximè ad me dedisti maximè elucebat; F in quibus affirmas discessum a te meum tibi omnem lætitiam, omnes avocationes, omnia studia excussisse; quod, quum animum tuum ex animo specto meo, verissimum puto. Sed ferenda necessitas, & utendum hoc qualicunque solatio litterarum; quo utinam uti quotidie possem, neque tuæ occupationes a scribendo me deterrerent, quas interpellare frequenter est inhumanum; præsertim quum nihil accidat hoc anno, quod epi- G stolarum frequentiam desideret; quo fit ut adsit scribendi voluntas, desit argumentum. Nam anno superiore quot evenerunt, quæ tibi significanda litteris videbantur? certè & hæc urbs multa tulit, quæ benignam scriptioni materiam suppeditabant; & crebri nuncii, qui ex Germaniâ afferebantur, silere me non sinebant; nunc & bella, quibus universa ferè ardet Europa, nescio quo fato frigent, & in hac urbe nihil est novi. Vale, & parenti, fra- H tribusque tuis, & Adrianio, & Zerillio, & Terentio salutem plurimam meo nomine nuncia, quam Rossius, & amici reliqui tibi dicunt. Tillius Inconiriæ feminæ primariæ valetudine, quæ in ejus ædibus ægrotat, domi attinetur, & nondum Florentiam venit.

Florentiæ VII. Id Jul. Anno MDCLXXXIX.

EIDEM.

I Tu verò, quasi hæc sit inter nos nupera notitia admodum, nec rei ferè sanè ampliùs quidquam fuerit, ut ait Terentius, ita verecundè in tuis litteris loqueris, & te affirmas vereri, ne mihi gravioribus curis occupato accidant injucundæ. Ego autem non solùm tuas res, verùm etiam lusus antiquiores occupatione qualibet, ut cum Pindaro loquar, duco; & litteræ tuæ mihi non lusus videntur, sed amicitiæ pignora, nostri desiderii leva-

levamenta, absentiæ a te meæ solatia pæne necessaria; quas quum lego merum nectar, & ambrosiam, puto; quare cave, mihi molestas unquam esse censeas, quæ quo fuerint frequentiores, eo erunt suaviores. Illud etiam desine suspicari me, si quid elaborassem ingenio tuo dignum, suppressurum fuisse, ac non statim tecum communicaturum; ac pro certo habe, si aut elegos, aut aliud genus carminis conscripsero, quod aptius exisse videatur, extemplo esse missurum, neque te fraudatum iri eâ voluptate, quam magis ob amorem erga me tuum, quàm ob elegantiam meorum poëmatum percipis. Sed nondum cum Musis in gratiam redii; nescio quo pacto eæ me aversantur, ideo a pangendo carmine prorsus abstinui; nec est, quod me tanquam desidem objurges. Nam quod otium in scriptione non consumpsi hactenus, in lectione contrivi, quæ prævia esse debet, & quasi præludere scriptioni; qua lectione potissimum illi spiritus excitantur, qui nos ad scribendum compellunt, & vehunt. Sed ego imposterum aut inertiam meam mittendis carminibus apud te purgabo, aut occupationes meas excusabo; ne, si nihil misero, tanquam ex Syngraphâ mecum agas. Video enim te esse paratum, si promissis non stetero, mihi dicam scribere, & obtorto collo me rapere in jus; qui tantopere meos versus desideres, ut quum te, Adrianio teste, sciam assiduè studiis operam dare, & nullo uti avocamenti genere, sed dies, noctesque vacare gravissimis litteris, tamen aliquid temporis meis nugis tribuere concupiscas. Atque hîc est locus admonendi tui, ne valetudini tuæ malè consulas, ne corpus, animumque nimio labore pessumdes; sed aliquando mentem quiete reficias, quæ cum corpore solet defatigari. Quæ monita si frater meus non esset aspernatus, rectiùs valuisset, nam postquam a studio se transdidit in otium, sanitatem, quæ labefactari cœperat, pæne recuperavit. Mater mea se meliùs habet, & spero brevi fore, ut convalescat. Heri supplicationes habitæ sunt ob Pontificis Maximi valetudinem restitutam; nonulli tamen ferunt depositum esse, & eo morbo laborare, qui humanâ ope curari non possit; & opinionum tam diversarum auctores citant litteras testes, quæ Româ afferuntur; adeo nihil certi est, ut quæ Romæ gerantur, in illâ ipsâ urbe ignorentur. In Germaniâ, Pannoniaque bella frigent, nihil præclatum geritur, nunciique sunt tam varii, tamque incerti, ut pigeat vana pro veris affirmare. Hispanus quidam librum publicavit in duas partes distributum, quarum alteram Regi Hispaniarum, alteram Francisco Redio dedicavit, & utrumque eodem titulo insignivit. Mitto formulam libelli supplicis, quæ potest esse hujusmodi. Vale.

Florentiæ X. Kal. Aug. Anno MDCLXXXIX.

EIDEM.

Postridie ejus diei, quo litteras ad te dedi, Ferdinandus Etruriæ Princeps in villam se contulit, quæ Pratolinum appellatur; quare non data est mihi ejus adeundi facultas; exquisivi tamen interim per otium, an quod frater tuus petit, soleat concedere, & mihi jam liquet solere. Itaque jam spondeo me tuæ voluntati morem esse gesturum, & spero, hoc a Principe beneficium impetrabo; sed vereor, ne sit aliquanto seriùs, quàm velis, ob eamque causam ingratius; nam, ut est in epigrammate græco,

Ω'κεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι, ἢν δὲ βραδύνῃ,
Πᾶσα χάρις κενὴ, μηδὲ λέγοιτο χάρις.

At frater meus, inquies, cupit ingentem ficedularum stragem facere, quibus occidendis jam tempus est opportunum; doleo differri, vel auferri hanc fratri tuo voluptatem; & magis dolerem, si propinquiores essemus, quòd suavissimarum avium esu fraudarer, sed omittam hunc sermonem, qui mihi salivam ciet. Elogium scripsi in quemdam e domo Navarrettâ rogatu cujusdam Neapolitani viri præpotentis; quod tibi mitterem, non quòd a me valde probetur, sed ut videas, quantâ ejus domus proceres, quæ tibi affinitate conjuncta est, in regno Neapolitano polleant auctoritate; sed piget transcribere, est enim serum diei. Vale.

Florentiæ X. Kal. Sept. Anno MDCLXXXIX.

EIDEM.

Audio Adrianium tertianâ febri laborare, ac pro eo, ac debeo, molestè fero, & sollicitor ejus valetudine; quare gratissimum mihi fuerit, si de omnibus, quæ ad ejus morbum pertinent, certior per te fiam. Scio hujusmodi febres hoc anno magis longas esse solere, quàm periculosas; tamen id non evellit ex animo curam, quam injecit hoc qualecumque discrimen carissimi viri; nam, ut tu probè nosti,

Res est solliciti plena timoris amor.

A Heri vidi avem peregrinam ex Indiâ advectam struthiocameli ferè magnitudine, quum adolevit; sed hæc, quæ ostenditur, nondum excrevit ad justum corporis modum. Est colore fusco, sed qui propiùs accedit ad atrum: habet setas veriùs, quàm pennas, collum oblongum, in capite os protuberat, collo non palea dependet, sed ejus vice quædam excrescentes carunculæ purpureo colore cernuntur: caret linguâ, caret caudâ, rostro utitur valido, &
B magno, gutture tam patulo, ut integrum malum glutiat: alarum breve vestigium veriùs, quàm alæ, pedes trifidi. Hæc Eme barbaro vocabulo appellatur, de qua pauci scripserunt, & paucissimis hanc videre contigit; ferunt ardentes prunas inlæsam devorare. Ostenditur & equa miro ingenio, cui si horologium ostenderis, indicare dicitur horam; & si nominaris Hispaniæ Regem, aut Cæsarem, venerabunda procumbere; si Turcarum Imperatorem
C jusseris venerari concusso capite renuere; si magis institeris edito hinnitu fugere, & hujusmodi cultum aspernari. Hæc in magnâ nobilium juvenum coronâ Principem Etruriæ solùm adoravit; multaque alia fecit, quæ omnium admirationem excitarunt; pro quibus Princeps ejus domino sexcentas drachmas dedit. Vale, & salvere jube fratres, & parentem tuum, & Adrianium.

Florentiæ III. Non. Sept. Anno MDCLXXXIX.

EIDEM.

D Memini te mihi præcepisse, quum Pisis essem Florentiam profecturus, ne crebriùs, quàm decimoquinto quoque die litteras ad te darem; sed patiaris, Vincenti carissime, ut hac vice dumtaxat præcepto tuo minùs obtemperem semper inposterum pariturus. Nec est, cur timeas, ne te avocent a studiis, ne tibi negotium facessant litteræ frequentiores; non exigo responsum; itaque tuus tantummodo erit labor legendi, non rescribendi, qui per quam
E est levia, nec fanè molestus; quum legere possis, & inter deambulandum, & dum epulæ opponentur, & quum te studendi satietas capiet, & quum tempus cupies fallere, & quum surges e lectulo, & quum dormiturus intraveris cubile. Quæres, cur malim excusare factum, quàm excusatione prorsus non indigere, quod esse ridiculum Catonis oraculo admonemur? Puto fratrem tuum

Joannem, ut est juvenis venandi studiosus, de impetrandâ facultate armorum gerendorum sollicitum esse, & jam quotidiano convicio efflagitare, ut ad me scribas, F
ut morem suæ voluntati geras. Ut igitur hac te molestiâ liberem, indicandum tibi esse judicavi, me, quod frater tuus petebat, impetrasse; siquidem impetrare est, ejus, penes quem hujus rei summa est potestas, promisso fidem obligare. Postridie ejus diei, quo Florentiam veneram, hominem clarissimum Magium, mihique multis de causis amicissimum conveni, qui me hu- G
manissimè excepit, seseque ostendit omnia meâ causâ facturum, nullamque rem, quæ esset in suâ potestate, petenti mihi denegaturum. Ego, quamquam statueram eo die nihil hac de re loqui, ne viderer non salutandi hominis, sed petendi causâ accessisse; tamen quum perspicerem adeo propensum in me ejus voluntatem, mihi nihil gratius futurum affirmavi, quàm si fratri tuo Principis rescriptum daret, quo ipsi quolibet armorum genere palam uti li- H
ceret. Annuit ille, & rogavit, ut ad se scriptum fratris tui nomen afferam, ne memoriâ excideret. Nudius sextus attuli, quum frater meus hominem salutandi causâ conveniret, perendie rursus eum adibo, &, ut puto, rescriptum auferam; & quum primùm erit copia hominis, cui tutò possim committere, ad te mittam; si Jannettus ad vbs proficiscetur, ei dabo, sin minus, erit mihi quærendus alius. Et quoniam Jannetti incidit mentio, respondebo I
litteris, quas a te humanissimè scriptas attulit; in quibus me scito non probare inhumanam illam amicitiam non dolentium discessu amicorum, & ne funeribus quidem illacrimantium, quam proponis; verissimumque existimare dictum Symmachi oratoris celeberrimi, qui mollem esse affirmat amantium animum, & ad quemlibet sensum doloris acutum. Ego & quum a te divellor, vehementissimè perturbor, videorque mihi animæ dimidium meæ re- K
linquere; & tuas calamitates meas ducam, & siquid tibi humanitus, quod Deus avertat, acciderit, obruar doloris magnitudine. Faciliùs in meo luctu, quàm in tuo a lacrymis temperabo; adversitatem fortunæ æquo animo perferam, vultu non immutato adversa tolerabo; teque arbitror hanc animi mei in amore mollitudinem haudquaquam improbare; quem sæpe animadverti me discessuro non posse lacrymas continere. Habes meam sententiam hominis, ut parum sapientis ita certè plurimum L
diligentis. Vale. Horologium tuum ad artificem detuli, qui non inscienter fabrefactum videri, nisi quid intus lateat, quod pravum, depravatumque sit, affirmavit. Camillus Pandolfinius me magnopere oravit, ut

ut te salvere plurimum suis verbis jube- A rem. Adrianio, & fratribus, patrique tuo salutem dicito.

Florentiæ Kal. Julii Anno
MDCLXXXX.

EIDEM.

B NUnquam mihi putassem ad te scripturo verba defutura; quum enim, quo tempore in illâ urbe versor, totos dies, partemque noctis interdum soleam tecum commorari, nec unquam desit mihi tecum loquendi, jocandique materies; quis credat septem diebus, quibus abstinui a scribendo, non potuisse, quod scriberem, reperire? Et tamen non reperi, quia tu diu siluisti, caruique litteris tuis, quas & si non exigo, ne tibi valde occupato negotium C videar exhibere; tamen eæ, quum afferuntur, me quadam voluptate perfundunt, quæ me efficit loquaciorem; & ita me experior, quod Symmachus orator non contemnendus affirmat facundam esse lætitiam, & clausi pectoris angustias aspernari. Nunc in inopiâ tuarum litterarum eloquii quoque inopiâ laboro, & arescit ingenium orationis tuæ suavitate non irrigatum. Accedit eodem, quod vel ut imiter solitudinem tuam, vel quia sine te omnes pæ- D ne consuetudines, & alloquia amicorum mihi sunt injucunda, quum eorum, ut ita dicam, greges quotidie domum meam ventitent, parum cum his versor, parum colloquor; sed inclusus in meo cubiculo dies, noctesque maneo, aut solus per hortum domesticum spatior; ad bibliopolarum tabernas non accedo, ubi si quid novi divulgatum est, audiri solet. Itaque nec quid rerum in hac urbe, nec quid alibi geratur, scio; ob eamque causam eo argu- E mento careo litterarum, quo solemus frequenter uti, quum amicos absentes certiores facimus de iis, quæ illos ignorare censemus, & nosse cupere arbitramur. Quare deest mihi argumentum scribendi, non deest voluntas, cui ut morem geram, scribo nihil esse, quod scribendum videatur; in quo puto me obsequi amori erga me tuo, quem ita reor avidè expectare litteras meas, ut ego tuas expecto; & quum dies venit, quo Florentiâ Pisas litteræ afferuntur, mihi te videre videor maturiùs exeuntem domo nullâ interpositâ morâ tabellarii publicas ædes adeuntem, interrogantem ministros, an aliquid habeant tibi reddendum litterarum. Ut igitur huic studio tuo satisfaciam, quamvis nec res, nec verba suppetant, scribendum est tamen; nec mihi manium litterarum tam F est reprehensio pertimescenda, ut tibi dem occasionem silentium meum silentio tuo ulciscendi, & ego caream solatio, quo utor in hac absentiâ, quod est longè jucundissimum. Nam quum tuas litteras lego, animus te præsentem sibi fingit, te alloquitur, te videt, & in earum lectione acquiescit. Has ergo ut eliciam, mihi laborandum est, quarum beneficio præsentiâ tuâ quodammodo fruor; tu ignosces, si nihil est in litteris meis, quod te nosse juvet; G nam si nullâ aliâ re te delectabunt, in his expressam videre tuarum cupiditatem; tibi certè non insuave esse debet. Vale, & salvere jube patrem tuum, Joannem, & Jacobum fratres, & Laurentium Adrianium.

Florentiæ VIII. Id. Julii Anno
MDCLXXXX.

EIDEM.

QUum bines ad Adrianium litteras dederim, nec ullum respon- H sum tulerim, quod antea nunquam accidit, sum valde cupidus ex te cognoscendi, quæ causa hominem a scribendi officio deterreat; est enim admodum mirum eum tamdiu siluisse, qui solebat priùs tam accuratè litteris respondere, tam crebrò scribere, ut pæne excederet modum. Morbo impeditum suspicarer, nisi epistolam tuam accepissem, quæ invaletudinem ejus non I indicabat, alioquin indicatura; præsertim quum verisimile sit ipsum, si minùs commodè sese haberet, fuisse rogaturum, ut hac apud me excusatione utereris. Est autem mihi molestum ejus litteris caruisse, ac porro cariturum, quòd minùs crebrò de vestrâ valetudine certior fiam; & quòd in posterioribus, quas ad eum scripsi, rogavi, ut tibi significaret horologium, quod mihi tradidisti, non posse reconcinnari, nisi bractea illa ex chalybe, unde rotarum motus existit, reficiatur; hujusmodi bra- K cteas decem drachmis, & semisse æstimari; aliquid præterea pro operâ dandum opifici; itaque quindecim drachmas, quas nunc vocant Julios nummos, impendendas esse; cupiebam scire, an hoc pretio refici velles; quod quoniam Adrianius tibi exponere supersedit, aut certè mihi non aperuit tuam voluntatem, quàm maturrimè, quid fieri velis, indicabis. Est enim periculum, ne quum ad horologii vitium deprehendendum fuerit dissoluta compages, & ita soluta servetur apud opificem,

ejus

ejus aliqua pars pereat. Diploma Princi- A pis, quo arma lege vetita gerendi tuo fratri facultas conceditur, jampridem tibi misissem, si Magius mihi tradidisset; nondum mihi obligatam fidem liberavit; sed promisit propediem liberaturum; quum primùm licuerit, ad te mittam. Scriptis litteris accepi Adrianii litteras, ex quibus cognovi, quid fieri velis, itaque horologium reconcinnandum curabo; neque enim periculum esse credo, ne bracteâ motrice restitutâ consistat, aut brevi perver- B tatur; quum haud inscitè factum opifex dixerit, & nullum aliud vitium appareat. Conjicere in litteras diploma Principis non audeo; quum ex litteris Adrianii intellexerim ejus epistolam tabellario datam intercidisse. Vale, & Adrianio, ruisque meo nomine salutem dicito.

Florentiæ XII. Kal. Sext. Anno MDCLXXXX.

EIDEM.

C NUnquam existimassem fore, ut ad te scripturus pudore quodam suffunderer, & quod usuvenire negant solere, litteræ meæ quodammodo erubescerant; & tamen quod non putavi, id mihi accidit, ut planè pudeat, quum cogito me adhuc, quod sum pollicitus, præstare non potuisse. Quæ res quantam animo afferat molestiam, & quantam ægritudinem dicendo assequi non possum; nam quum singularis amor erga te meus me in- D citet ad studium tibi gratificandi, subdatque calcaria currenti ad eum finem, qui mihi est a tuâ voluntate constitutus, sine magno dolore nequeo impediri; & ut navim remis, velisque actam si quod impedimentum violenter coërceat, & repente comprimat, labefactari necesse est; sic animum tua mandata exequi festinantem quævis mora objecta vulnerat, & convellit. In summâ tamen molestiâ, qua afficior, id me consolatur, quod nihil prætermisi, E quod ad rem conficiendam pertinere viderετur; & ad extremum, quum me parum valere crederem, ad eximendam Petro insitam cunctationem ad eum fratrem allegavi, qui nihil ad eam diem ab homine frustra petiverat; sed id quoque hactenus irritum cecidit. Nam Petrus haud negar se morem esse gesturum meæ voluntati, neque enim honestè potest, quum toties promiserit; sed differt, cunctatur, & me blandis dictis ductat, immo mehercule excruciat non solùm cupiditate ejus, quod petis, impetrandi, sed etiam stomacho, & F irâ, & odio talium ineptiarum; quæ mihi tuâ causâ patienter ferendæ sunt. In causâ autem est mos, quo utuntur omnes, qui plurimum possunt; qui, ut magnum aliquid concedere videantur, tardè tribuunt, quod statim possunt; millies rogari volunt, quod ultro polliciti sunt; tantumque a sapientiæ præceptis desciverunt, ut quod sapientia summopere cavendum docet, id illi studiosè quærant, & deditâ operâ semper usurpent. Nam sapientes ita beneficia danda censent, ut G nihil eorum gratiæ minuat dandi difficultas, nihil cunctatio decerpat, nihil asperitas detrahat, morositasque tribuentis. Quò spectat Isocratis dictum damnantis eos, qui χάριτας ἀχαρίστως χαρίζονται: at stultissimi homines beneficium vile existimant, quod non vi quodammodo extortum, quod ultro collatum est, quod sine magnâ curâ, & labore petentia impetratum. Hujus moris si non est expers Petrus, mirari non debes; quum hoc tempore omnes, ut ait H Seneca, eant, quà itur, non quà eundum. Ego autem, dum aliquam spem mihi Petrus ostendet, non defatigabor; a te peto, ne quod ejus culpâ fit, mihi vitio vertas; peccavi, fateor, quum scripsi me rem impetrasse; veruntamen feci adductus ejus promissis, qui poterat, & velle mihi gratificari videbatur; nec nunc nolle arbitror, nec accuso ejus fidem, accuso tarditatem, accuso inscitiam beneficiendi. Sed ille utitur more pervulgato eorum, qui quod citò promiserunt, tardè præstant; ego veniâ dignus, qui quod nullo negotio confici poterat, maturè confectum iri putabam. Vale, & salutem tuis, & Adrianio impertire.

Florentiæ Id. Aug. Anno MDCLXXXX.

EIDEM.

TAndem aliquando ab amico nostro, quod petebas, impetravi; I mitto tibi diploma; abeat tuus frater, quod jam diu cupit, rusticatum; habeat Dianam propitiam cum Nymphis, & ingentem stragem edat ferarum, nil illum remoratur. Extorsi ab homine invito, & repugnante beneficium, quod licèt sit levissimum, tamen id difficiliùs sum assequutus, quàm Hercules fertur balteum Amazoni detraxisse. Atque haud scio, an omnia, quæ aliis concedi solent, tuo fratri concessa fuerint; sed, si fortè quid deest, feret æquo animo, & æqui, bonique consulet; non e-

A rat in meâ manu, quid ipsi amicus ille concederet; ego quantum potui, gratiâ, precibus, auctoritate contendi. Vale, & Adrianio salutem, & patri, fratribusque tuis dicito.

Florentiæ IV. Kal. Sept. Anno
MDCLXXXX.

EIDEM.

B ETsi nudius quinctus binas litteras ad te scripsi, tamen hoc die recurrente, quo tibi, hoc veluti pensum litterarum debeo, non potui mihi temperare, quominus hanc epistolam exararem; præsertim quum supervacuum esse non duxerim, te rursus admonere, ut exigas a Balatrio meas litteras, quas in fasciculum litterarum, quæ ad Equites Pisanos perferuntur, conjiciendas curavi. In his quippe est scriptum Petri sigillo consignatum, quo tuo fratri omne
C ferè telorum genus gerendi facultas conceditur; id ne pereat, cautio est. Ignosces mihi, si in hac re nimiâ diligentiâ videbor uti, & te sæpius obtundere; mihi enim grandem pecuniam, aut aliquid carius pecuniâ præoptem, quàm illud scriptum, interire; quod si intercidat, actum est; mihi rursus Petrus adeundus, molestiæ perferendæ, quæ bilem misero concivere, stomachumque moverunt. Itaque nunc solutus hac curâ me pulchrum, ac bea-
D tum puto; nunc animum adjungo ad aliquid scribendum, quod tu mihi discedenti præcepisti; nunc orationem meditor, quæ mihi habenda est in instauratione studiorum; antea mihi omnes curas ea cura excusserat, quæ me angebat, quòd tuæ voluntati morem gerere non potueram, quodque me irrideri, ludique quodammodo arbitrabar. Et sanè si quid fortè exierit, quod non indignum videatur, quod inter hominum manus versetur, commodiùs
E deinceps publicare poterimus. Est enim typographiæ officina tandem instituta, egregiis formis litterarum, ad quarum elegantiam nihil addi posse tradunt; conductus est artifex conficiendorum characterum, qui inter Batavos excellere putabatur. Liber experimentorum, quæ sunt acta Florentiæ jussu Ferdinandi Secundi Magni Ducis, primus edetur, qui jam imprimitur. In eum haud contemnendas adnotationes paraverat Jannectius, quo magis vendibilis evaderet; sed ab his, in lucem emittendis est deterritus auctoritate cujusdam, quem quia Jannectius vetat, minimè nominabo. Etiam opera Galilæi typis imprimentur. Vale, & salute plurimâ Adrianum, & tuos impertire;

Florentiæ IV. Non. Sept. Anno
MDCLXXXX.

EIDEM.

QUum decimo quincto quoque die ad te scribere consueverim, F
& hic dies tertius sit ante Idus Octobris, quum quindecim dies rursus effluxerint, ego ad te proficiscar, & eo fortasse die me videbis, quo meas litteras, si diutiùs Florentiæ manerem, esses accepturus; itaque hæc postrema erit epistolarum in absentiâ a te meâ exaratarum; veniam mox ad te, veniam, & tu mihi gaudens gaudenti occurres, & valens valentem appellabo; sed
quid gaudium cogitatione præcipio, quod G
inopinatum solet esse jucundius? Ego novem his diebus proximis orationem confeci, quam Kal. Novembr. sum habiturus, & ferè totam transcripsi; tu cogita, quàm fuerim occupatus, quò minùs est mirum ad te pridie Nonas me litteras non dedisse; quamquam eo die rationem habui tuarum occupationum magis, quàm mearum. Argumentum fortasse orationis meæ tibi probabitur, proposui mihi ostendere honorem, qui doctis viris habetur, ejus esse decus, qui habet, & injurias, quæ eisdem inferuntur, & contumelias ad auctorum contumeliam, & ignominiam redundare. Vale.

Florentiæ III. Id. Oct. Anno
MDCLXXXX.

EIDEM.

QUum Florentiam pervenissem,
tuæ voluntati parendum, & oc- H
cupationibus parcendum esse duxi; quocirca quamvis gestirem te litteris compellare, quo uno modo poteram levare dolorem, quem a te abiens ceperam, silendo malui præceptis tuis obsequi, quàm loquendo indulgere voluptati meæ. Nec ea res mihi benè cessit; nam quum Adrianio scripsissem, ut ex eo itineris mei caussas cognosceres, responsum adhuc nullum tuli. Nescio autem, qua de caussâ mihi accidat, ut amici respondendum sibi litteris meis non putent; expectabam avidè Rossii epistolam,

quò

quò certior per eam factus de re, quam A mihi mandasti, possem fratris tui commodis inservire; expectavi frustra. Elephantum vidi, & mirificè sum eo spectaculo delectatus; est digna spectatu bellua, caput ejus ingens, & informe, rostrum oblongum, & acutum, quale est aprorum; oculi pro mole corporis parvi, vastus hiatus oris; supra os proboscis illa protenditur, quam pro arbitratu modò contrahit, modò protendit; ea tanquam fistula in summo perforata est, & mirâ facilitate constringitur, B & dilatatur; in ejus parte superiore protuberat caruncula, qua tanquam digito utitur; inter tempora, oculos, os, & proboscidem hiant magni cavi; aures adeo grandes, ut his hominem insidentem vehat; cutis est aspera, atro colore, qualis est bubalorum, in eâ rari prominent pili; crura tantæ crassitudinis, & tam ubique æqualis, ut columnarum speciem referre videantur. De dentibus nihil dico, quia minores non apparent, majores nondum C sunt orti, ut constet nondum adolevisse, & multum illi ad justam magnitudinem deesse. Quid memorem, quàm ingeniosa sit bellua, quàm dicto audiens, ut salutet venientes vel altero tantùm genu, vel utroque flexo; ut obsequii causâ impositum capiti pileum sibi detrahat, & capiti rursus imponat; ut stipem poscat, & colligat, ut inclinet latus, quo herum dorso insidentem molliter humi deponat? Ex quo intelligi potest non esse mirum, quod ab D Historicis narratur, si Porum vulneribus confectum, & jam collabentem elephas, qui vehebat, eo casu affligi non permisit; sed quum sese paulatim in terram depressisset, cavit, ut sessor sine ullo dolore decideret. Illud miror quosdam prodidisse elephantos, quum procubuerint, non resurgere, & Agatharchidem apud Photium hoc pacto capi belluas tradidisse; quum ad arbores ex dormituræ sese reclinent, venatores ita serrâ secant truncum, ut ne- E que arbor procumbat, neque possit tantum pondus substinere; quum autem arbori elephas incubuerit, eversa arbor affligit humi belluam, quam jacentem venatores vel occidunt, vel diuturnâ fame domant; quem secutus Bargæus ita cecinit:

Idcirco tenebras quum Luna inducit opacas,
Astraque consurgunt tenues suadentia somnos,
Prostratus mediis nunquam requiescit in arvis,
F *Verùm humeros truncis, riparumque aggere fultus*
Substinet, & placidam fundit per membra quietem;
Interdumque unà veteri cum stipite phagi,
Condidit hesternus tales quam Maurus ad usus,
Pascua dum servat fallax, & lustra pererravit, G
Prostratumque dolo, & adhuc languente sopore
Devinctum aggreditur, ferroque obtruncat acuto.

Nam hic noster, & facilè recumbit, & nullo negotio resurgit; plura de hac belluâ scriberem, nisi vererer, ne hæc ipsa sint inepta. Habebimus hoc anno novum professorem, qui Concilia explicabit; is a Magno Duce conductus jam dicitur advenisse; ajunt ex eo esse collegio, quod Sorbona vulgò appellatur. De bracteis aureis te mihi non nihil mandasse memini, sed expecto tuas litteras, quibus indices, an earum specimen tibi mitti velis.

EIDEM.

Amicitiæ nihil amicius est veritate, nullumque verius inter a- H micum, & adulatorem discrimen est, quàm quod alter veritatem plerunque profert, & sincerè semper agit, alter occultat, subdoleque se gerit. Quare quum ex me quæras, cur ego nullas nuper ad te, vel Adrianium nostrum litteras dederim, veram silentii mei causam aperiam, licèt ea minùs tibi jucunda futura videatur; neque causabor occupationes (hanc enim rem, ut ait Pindarus, ἀσχολίας ὑπέρτερον, *occupatione antiquiorem* existimo) quas excusare si voluis- I sem, justiùs, ut opinor, in quærendâ bonâ mente, & rerum scientiâ comparandâ, quàm tu in quærend s margaritis, & perdendâ pecuniâ es, me dicerem occupatum. Quid ergo est? cur, inquies, non scripsisti? ut verum tibi respondeam, non mediocriter succensebam, & meas litteras tibi molestas esse arbitrabar. Quod ut crederem, eo adducebar argumento, quod quum omnes amici soleant amicos discessuros enixè rogare, ut sibi quàm maturri- K mè scribant; tu contra mecum egisti, ne simul atque in Patriam revertissem, litteras ad te mitterem; mihi, inquisti, perendie sponsalia sunt contrahenda; quasi verò tibi non liceret servulum mittere, qui litteras meas exigeret, etiamsi ne dum sponsalia, sed & nuptias esses celebraturus. Pupugit ea res leviter animum, dissimulavi tamen, parui præceptis tuis, nonnisi septem diebus exactis ad te scripsi; quibus litteris, etsi responsum dare supersedisti, Adrimius te per litteras purgavit, & ego accepi excusationem, erat enim justissima; negotium publicum agebas, salubritati Patriæ consulebas. Paucis post diebus creatus

tus est summus Pontifex; quid egissem, ti-
A bi significandum putavi, non ut studium erga te meum ostentarem, sed ut, quid agendum esset, cognosceres; nam ad Frosinium litteras te dare oportebat, quibus ei tui fratris negotium in memoriam revocares, quod mihi non licebat; quum enim ego præsentem convenissem, si reverso paulo post Pistorium eadem per litteras iterassem, visus essem hominis diligentiæ diffidere; nunc, quid ille egerit, nescio, & ea res me sollicitat. Cur me i-
B gitur, inquies, non admonuisti? verebar, ne surdo fabulam canerem, & tu mihi omnia, præter nuptias insuper habere, quarum tibi minima cupiditas esse deberet, videbaris; quod ex eo conjiciebam, quod ad litteras de gravi negotio scriptas mihi nihil rescribebas. Auxit eam suspicionem Adrianius, qui te responsum dilaturum significavit, quod in suppellectile disponendâ, salutandaque quotidie sponsâ esses occupatus; ea excusatio mihi stomachum movit;
C quare prudenter fecisti, quod amorem tibi fuisse caussam negasti non rescribendi. Sed heus tu haudquaquam satis est tibi alienatum non esse a sensibus animum; nam si ita te haberes, propinqui tui te vinculis, & custodiæ, non tibi puellam nobilem traderent, sed oportet habere sedatum cupidinem; non veto amare te sponsam, quod esset inhumanum, sed incendi, sed uri nolo. Amor conjugalis amicitiæ, non cupidorum hominum libidini similis esse de-
D bet, non officii negligens, non turpitudinis appetens, non ardens, non inflammatus furore, sed quietus, tranquillus, temperatus. Is & constantior est, neque maturè satietate exolescit, & zelotypiâ vacat, vacat curis, vacat miseriis, vacat luctu, & omni tragœdiâ, nec in uxorum servitutem redigit viros, & jucundiora efficit matrimonia. Lucretius, qui felicitatem voluptate metitur, jucundiorem esse coitum arbitratur non amantium, quam
E amantium; ego non putem jucundiora esse matrimonia sedatè diligentium, quam insanè amantium? Hæc ego tibi, Vincenti mi, præcipio, quia & ex brevitate litterarum, & quòd eæ scriptæ sunt negligenter, conjicio te esse animo perturbato, & in aliam curam intento. Ignosces mihi intimum animi sensum exprometi; molestè fero tibi hanc occasionem datam animum a studiis avocandi, & ad alias cogitationes convertendi; irascor parenti tuo,
F qui te jam ingressum curriculum laudis, atque gloriæ nuptiis impeditum retardavit; qui dum ad vota festinat, objecit moram currenti, & a medio studio properantem revocavit. Si ad hoc impedimentum accedet amor ille vehemens, & incitatus, avertet mentem a labore suscepto; & tu non progredieris, sed retrorsus rejectus a calce ad carceres compelleris; id ne tibi ac- G
cidat, vereor; est enim, ut Comicus ait,

..... ingenium omnium
Hominum a labore proclive ad libidinem.

Ea re me angit, & quia te amo plurimum, & quia te apud omnes Etruriæ Principes viros magnificè collaudavi; nuperrimè verò Ferdinando Principi, quanti esses faciendus, exposui; si tu falles expectationem, te levem, & nullius hominem judicii judicabunt. Accedit eodem, quod id H
in non mediocri meâ laude pono, nullum ego adolescentem probavi, & amicitiâ sum, & familiaritate complexus, & intimum habui, qui si non in summum, at saltem in non contemnendum virum evaderet; qui si optimos elegi, prudentiæ, sin autem aliquid consuetudine quotidianâ, & disciplinâ sodalibus protuli, ingenii, & doctrinæ gloriam tuli; hæc mea laus fuit olim adolescentuli, quæ ne hac ætate exolescat, pertimesco. Tibi præcipuè indulsi, tu u- I
nus es, quicum seria, quicum joca egerim; si tua vita ab industriæ laude ad ignaviam defluet, ego gloriâ, cujus multos annos compos fui, spoliabor; ad amicos quodammodo pertinent probra, & laudes amicorum, quia amicus est amici quasi quoddam speculum. Ne mihi igitur pudorem incutias, ne te effeminari patiaris, ne te dedas voluptati constringendum;

Nunc specimen specitur, nunc certamen cernitur. K

Illud etiam te admonitum velim; quem tu modum facies gemmas coëmendi, supellectilem comparandi, ornatum domus, & cubiculi tam anxiâ curâ conquirendi? Veniat tibi in mentem Platonis, qui in magnis excellere quemquam non posse dixit, qui esset in parvis nimium occupatus. Vis & domui, & novæ Nuptæ ornamentum parare non vulgare, non contemnendum? finge te talem, qualem esse decet virum nobilem, & litteratum; orna- L
menta sunt uxoris viri virtutes. Præclarè Spartana illa suum mundum muliebrem esse viri facta illustria affirmavit; quæ corpus ornant mulierum, plerunque famam maritorum dehonestant; quanto enim uxor tua incedet ornatior, tanto te stultiorem fuisse declarabit, qui pecuniam tam effusè prodegeris, quò tua uxor aliis placeat; nam mulieres non suis viris ornantur, sed alienis. Viri incomptas, illotas, inornatas M
vident, non possunt decipi, non externis ornamentis allici, & accersitum decorem nativum putare; alieni falsâ pulchritudine, & exquisito corporis cultu inescantur, quia nunquam incultas aspexerunt. Aliquid consuetudini, aliquid ingenio muliebri tri-

tribuendum, fateor, aliquid, sed non om-
A nia; & in hac re præcipue modus est optimus; quod enim feminas ornamentum magis decet, quàm modestia? Ego tibi jam misissem notas, quas confeci in Ciceronis olorem, qui redarguit summum virum de insolentiâ, & novitate verborum; sed ne in epistolam longissimam conjiciam longiorem dissertationem, nunc id facere supersedebo. Meis litteris quando voles, & quan-
B do commodum erit, respondebis; neque enim offendor dilatione tuarum litterarum, sed excusationibus, quæ te animo remisso nimis, aut immutato esse declarent. Salvere jube fratres, patremque tuum, & tu plurimum vale.

Florentiæ IV. Kal. Sext. Anno MDCLXXXXI.

EIDEM.

C AD iracundissimas litteras tuas nihil respondebo; hoc tantùm dicam, neque animum meum tibi cognitum, neque irâ officiente judicio amicitiæ leges perspectas fuisse; qui libertatem admonentis amici tam graviter feras; qui litteras meas, si benignè interpreteris, amicissimè scriptas, veneno imbutas audeas appellare. Nec tu mihi vitio vertes, quod quum vehementissimè abs te fuerim accusatus, non me apud te purgem; non enim id
D facere supersedeo contemptu tui, a quo longè absum, sed ne tecum cogar litigare, quod ego non sine causâ timeo; quum mea dicta, factaque in pessimam accipi partem videam. Negligentiæ dumtaxat crimen, quod ego in amicitiâ gravissimum judico, diluam; cujus est tam expedita defensio, ut id sine jurgii periculo facturus esse videar. Ego litteras non exigo, quia exigi a me non possunt; nunquam ii, quorum munus id est, mihi eas reddere voluerunt, quum ad ædes, ubi litteræ reddun-
E tur, centies accessissem; statim mittuntur ad fratrem meum, si is mittat, qui eas exigat, si non mittat, non redduntur; ideo periculum est, ne pereant; id autem ne accideret, quotiescumque litteras vestras non accepi, significandum vobis putavi; non ut vos arguerem negligentiæ, sed ut, quum scirem a vobis ad me datas, possem inquirere, possem a fratre, ut eas exigendas curaret, postulare; neque tamen illæ, quod adhuc sciam, perierunt; id autem eâ curâ sum consequutus, quæ vobis adeo stomachum movit. Quare frustra exemplum misisti earum litterarum, quas paucis diebus post discessum meum conscripsisti;
F quas cur intercidisse sis suspicatus, non video; ego certè nunquam id affirmavi; quod intelliges, si meas litteras diligentius inspexeris; sed questus sum ad secundam epistolam mihi serò esse responsum non meâ, sed tuâ causâ; quia ea dilatio responsionis tuæ mihi fuit impedimento, quominus auderem ea ad te scribere, quæ in rem tuam esse videbantur. De ceteris non me, ut initio scripsi, purgabo, ne tibi causam convicii præbeam; satis purgatus videbor tibi, si officia in te mea cogitaris; neque
G facti mei veniam petam, neque iram tuam deprecabor, quia nunquam me peccasse minus certò scio. An ædes, in quibus ego habito, sint divenditæ, & an mihi migrandum sit, me certiorem facias, quæso, ut alias possim conducere. Lucubrationem meam ad te mitto, ea qualiscumque est, tu æqui, bonique consules. De cetero ego abs te peto, ut abstineas a jurgio, & a convicio; sed utcumque tibi libuerit, ego ingenium tuum patienter feram; tu tamen
parcius ista viris, si tibi parco, te quo- H
que mihi parcere æquum censeo, si nullam alium ob causam, saltem propter ætatem; ego nullum officii genus in te colendo prætermittam; tuum est amicum, quo neminem habes, aut habebis amantiorem tui, non contemnere:

...... πάρ' ἐμοὶ δὲ ϗ ἄλλοι,
Οἵ κέ με τιμήσουσι μάλιστα δὲ μητίετα Ζεύς.

Vale, & salvere jube Adrianium nostrum, fratremque tuum.

Florentiæ Non. Sext. Anno MDCLXXXXI.

EIDEM.

NIhil est, Vincenti, cur mihi persuadere coneris, ut omnem su- I
spicionem deponam mutatæ voluntatis tuæ; si quid scripsi, quod animo parum securo de tuâ fide scriptum videretur, ideo scripsi, quia acerbiores litteras tuas nondum fuerant mitiores consequutæ. Quum verò XII decimum Kal. Sept. acceperim epistolam tuam (nam altera, quam scripsisse confirmas, non est ad me perlata) suavitatis, humanitatisque plenissimam; non modò sum omni curâ liberatus, quam mihi tuus dolor K
injecerat, sed etiam alio mæroris genere sum affectus, quum me de iracundiâ tuâ questum esse pæniteret; quòd eâ querelâ tibi molestiam allatam arbitrabar; sed tamen quum animo meo tuum metior, hic ipse dolor evanescit. Nam quemadmo-

modum iracundia tua amorem erga te
A meum non extinxit, sed accendit; ita querimoniam meam benevolentiæ in me causam tibi, non odii futuram esse confido. Quare desine suspicari, me quidquam de te secus, quàm tua perspecta fides postulet, cogitare: desine sollicitus esse de meâ erga te voluntate: cave quemquam mihi, quàm te cariorem esse existimes, & inposterum, si quid accidet hujusmodi, cave, credas, id ab aliâ causâ, quàm a benevolentiâ, qua te complector, proficisci.
B Nam cur ego curo, quid tu rerum geras, quid autem alii non tantopere puto ad me pertinere? cur sollicitor metu, ne aberres ab institutâ vitæ ratione, hoc idem ne aliis accidat, non pertimesco? cur litteras tuas flagito, aliorum non magnopere desidero? cur interdum me a te parum diligi, licèt falsò, conqueror; quantum alii me ament in eorum arbitrio situm esse arbitror oportere? cur audeo te admonere, vel, ut tu interpretaris, objurgare vehe-
C mentiùs, aliis autem minimè sum molestus; nisi quia tanto ardentiùs te, quàm alios amo, quanto majori curæ mihi res tuas esse perspiciis, quàm aliorum? Nemo querulum in amicitiâ me esse dixit, nemo proclivem ad suspicandum, nemo difficilem, & morosum. Quapropter hæc vitia si in me fortè deprehendes aliquando, non ea esse naturæ, sed amoris, quo te prosequor, existimato. Sed ut mihi te inposterum placatum esse pervelim, ita in præsen-
D tiâ te cum Adrianio cupio in gratiam reducere; quidquid ille scripsit, vel incautè protulit, vel non accusandi, sed purgandi tui causâ. Quare desine innocenti succensere, teque ad pristinam mansuetudinem tuam refer; ac ne verearis, ne cuiquam magis, quàm tuis litteris credam; nam si quid antea suspicabar, idcirco suspicabar, quòd nondum mihi redditæ fuerant litteræ testes tuæ voluntatis; his acceptis nullum testimonium desidero amoris erga me tui. Hæc
E ego ad te scribenda judicavi, quò te, quàm citissimè possem, omni metu expedirem, omni molestiâ, qua te angi dicis, liberarem. Tu, quando libebit, rescribes; ego enim animo sum quieto, & tranquillo, quoniam te non ampliùs irasci mihi perspectum, exploratumque est. Vale, atque Adrianio, tuisque salutem meis verbis nuncia.

Florentiæ VII. Kal. Sept. Anno MDCLXXXXI.



EIDEM.

Etsi puto ad vos allatam esse famam de insigni victoria Christianorum, F quæ nudius tertius nunciata est; tamen te de eâ certiorem faciendum esse judicavi, ut rem tantam non ex populi rumore, non ex aliorum litteris, sed ex meis cognosceres; res autem ad hunc modum gesta narratur. Quum in conspectu ambo exercitus essent, Barbari tantis operibus castra muniverant, ut ad ea expugnanda nostri aspirare non possent; itaque quum difficulter aquarentur, & siti milites laborarent, vasa concla- G mare, & in locum magis opportunum se recipere statuerunt. Discedentibus nostris Barbari instructâ acie, relictis castris instare, & quà extremum agmen carpere, quà latera assultare, quà turbam cædere moratorum; nostri vix agmen moliri, vix toto die sesquihoræ spatio procedere; donec ad clivum hostibus iniquum pervenerunt; tunc Germanorum imperator dextrum cornu in Barbaros invehi jubet; eam impressionem Barbari magno animo exce- H perunt, diuque ancipiti Marte dimicatum est; nostri videlicet virtute, & arte pugnandi, hostes numero vincebant; tunc Dux nostrorum sinistrum cornu imperat in hostes, quàm maximo posset impetu, ferri; nec invehentibus se se Christianis Barbari diutiùs restiterunt; acies inclinata est, neque tamen effusa fuit fuga, sed cedendo paulatim in castra, unde egressi fuerant, se se receperunt, & ad ea defendenda se compararunt. Germani re prosperè gestâ elati ausi sunt oppugnationem castro- I rum; nec sustineri potuit victor exercitus, sed dejectis propugnatoribus magno tandem labore, magnâ utrinque editâ cæde potiti sunt castris; cæsa sunt hostium duodecim millia, capta tormenta centum triginta tria, omnia hostium impedimenta in nostrorum venerunt potestatem, præda ingens parta, omnes hostiles copiæ dissipatæ; multos præterea Savum tranantes vorticibus haustos, multos fugientes ab Incolis trucidatos ferunt. Magno tamen stetit K nobis ea victoria, quinque millibus nostrorum desideratis. Hæc accepto primo nuncio Scipio ita esse gesta narrasse dicitur; postea verò, quum alii nuncii advenissent, ea, quæ dixerat, retractasse, & ad hunc modum rem exposuisse. Quum Barbarorum imperator Savum trajecisset exercitum adductus famâ, quâ Christianos paucos esse sibi persuaserat, quum nostrorum castris appropinquaret, misit exploratores, qui quantus esset Germanorum numerus, quæ consilia agitarent, ad se referrent; hi in-

ingentes esse eorum copias renunciarunt;
A eo nuncio allato magna trepidatio injecta
ducibus, magnus exercitui terror incus-
sus, qui nihil tale cogitarant, sed facilem
victoriam animo præceperant; & quum
alii quàm celerrimè abscedendum alii
permanendum censerent, alii sese ad fu-
gam, non ad pugnam expedirent, non
procul a seditione res aberat. Eâ re per
exploratores cognitâ utendum occasione,
& instandum perculsis ratus noster impe-
rator motis raptim castris ad hostes perve-
B nit adhuc trepidantes, diffidentesque suis
rebus, & ejus adventu insuper territos ag-
gressus fudit, fugavitque non repugnantes,
ingenti cæde factâ potitus est clarissimâ
victoriâ; in qua ex suis paucissimos ami-
sit; utro autem modo prœlium commissum
sit, maxima res effecta est; Barbaros ingen-
ti clade affectos esse constat, spoliatos om-
nibus impedimentis, plurimos eorum du-
ces interfectos. Vale.

Florentiæ Kalend. Sept. Anno
MDCLXXXXI.

EIDEM.

C Consilium meum tibi probari fa-
cilè mihi persuades, quum ejus
rei tibi auctor fuerim, quam pu-
tabam re sponte sequuturum;
neque tamen non sincerè protu-
li, quod sentiebam (verè enim exigua ad-
modum spes ostendi videbatur te iter ad
nos non frustra suscepturum) & cum a-
micitiæ, fideique satisfeci, tum habui ra-
tionem quoque ruæ voluptaris, non meæ.
Nec de brevitate litterarum queror; quia,
quum scribis longiores, irasci soles; ita-
D que non quæro jam causam, cur omnes
hoc anno a te, præter unam, aut alteram,
quàm brevissimas acceperim; unumquem-
que censeo arbitratu suo scribere oporte-
re. Ac ne superiore quidem mense que-
stus sum te perbreves litteras conscripsis-
se, sed nullas de eo negotio, quod negli-
gendum minimè arbitrabar; addidi tamen,
fateor, illud, negligentiam in scribendo
tuam, brevitatemque litterarum mihi vi-
sam argumentum animi perturbati, & in
E aliam curam intenti; ac deinde occasione
sumptâ de amore illo vehementi, & con-
citato multa scripsi, quæ non a me inven-
ta, sed ab aliis dicta e tripode, cortinâ-
que prolata existimo. Sed ignosces mihi,
iterum dico, ego te semper adolescentem
cum omni virtute ornatum, tum præcipuè
modestiâ, & pudore; sed tamen hominem
judicavi; itaque quum ab ætate tuâ suspi-

cio amoris præsertim legitimi, & non in-
honesti non abhorrere videretur, meas es- F
se partes putavi, antequam capereris, te,
ut caveres, admonere; quia sciebam in hac
re principiis obstandum; me autem mise-
rebat tui, si fortè fortunâ accidisset, ut eâ
peste tenereris, qua adolescentem probum,
& pudentem amicum, & collegam meum,
quum uxorem duxisset, ad insaniam reda-
ctum videram; de te autem nihil tale suspi-
cor, novi prudentiam, novi moderationem
tuam. Hæc ego tecum lusi, quia te lude-
re arbitror, quum ambulationem tuam cum G
Tillio tanquam præclarum facinus mihi
prædicas; & simul volui materiam quære-
re longioris epistolæ, ut litterarum tuarum
ulciscerer brevitatem. Sed tibi nuptias pa-
ranti licet ludere, quum exultes lætitiâ, quæ,
Deus faxit, ut tibi sit diuturna; quemadmo-
dum tranquillitatem animi mei futuram
spero sempiternam. Vinum Politianum
multo minoris emi posse, quàm hic ema-
rur a mercatoribus, qui a Monte Politia-
no veniunt, si quis habeat amicum Poli- H
tianum, qui illud curet, mihi Roboredus
affirmavit; tu amico uteris Serratio, qui
habet ferè semper discipulos Politianos;
tu me certiorem facies, quid mihi agendum
sit; ego non emam, nisi te velle intellexe-
ro. Vale.

Florentiæ III. Kal. Oct. Anno
MDCLXXXXI.

EIDEM.

Quotiescumque ad suavissimas lit-
teras tuas me non respondisse I
intelliges, mihi non esse reddi-
tas existimato, quod nunc acci-
dit; nam tu ad V. Nonas O-
ctobris epistolam conscripsisse confirmas;
ego autem usque ad XIV. Kal. Novembr.
sine tuis litteris fui Qua de causâ verò
Adrianii litteræ ad me perferantur omnes,
tuæ non perferantur, nequeo suspicari;
certè bis tuæ magnâ cum molestiâ meâ pe-
rierunt; quum autē priores non acceperim,
posterioribus rescribam. Quod attinet ad K
Vinum Politianum, Camillo Pandolfinio
dedi negotium, ut id curet, mandavique,
ut, si posset, trimum coëmeret; nam duo-
bus his annis proximis vina minùs ad ma-
turitatem vitio æstatis pluviæ, & subfrigi-
dæ pervenerunt. Geminianum non pos-
sum invenire, quum de fratre cognoverim
anno superiore tantam fuisse uvæ acerbi-
tatem, ut vinum illud, quod expetitur,
confici non potuerit. Scribo raptim, quia
orationem, quam sum Kal. Nov. habitu-
rus

rus, nondum duxi ad umbilicum; ejus ar-
A gumentum, ſi quæris, exponam; mihi pro-
poſui oſtendendum viros excellenti do-
ctrinâ iam adverſam, quàm proſperam for-
tunam ferre poſſe moderatè. Vale.

Florentiæ XIII. Kal. Nov. Anno
MDCLXXXXI.

EIDEM.

SI me, Vincenti jucundiſſime, defeſ-
B ſum itinere eſſe pernegem, valde
mentiar; lumbi ſedendo in ciſio
dolent, oculi vigilando ſunt deſa-
tigati: ſi me reperire, quid ſcribam,
confirmem, multo magis mentiar. Nam
quid, ut ſæpe feci, tibi exprimam dolo-
rem, quem cepi, quum a vobis diſcede-
rem, quum tibi ſit notiſſimus, & de tuo
metiri poſſis? quid me permoleſtè ferre
dicam carendum conſuetudine tuâ jucun-
diſſimâ, quum ſcias, quàm libenter verſa-
C ri tecum ſoleam? Quare quum & vires de-
ficiant ad ſcribendum, & ſcriptionis argu-
mentum minimè ſuppetat, utraque res mi-
hi ſilentium ſuadet. Sed ego dum excuſa-
re brevitatem litterarum volo, cogor eſſe
longior, quàm cogitaram; quum enim laſ-
ſitudinem meam cauſatus fuerim, fortaſſe
tibi ſcrupulum injeci, & tu me putas iti-
nere uſum incommodo, minuſque proſ-
pero; quæ ne te cura angat, dicam me ma-
turè Florentiam perveniſſe jam die illuce-
D ſcente, nihil inſolitæ moleſtiæ paſſum, nul-
lum metum, ut anno ſuperiore, fuiſſe la-
tronum, nullas inſidias; quæ ſi fuiſſent,
quum nummos non haberem,

Cantaſſem vacuus coram latrone viator;

veniſſe nobis obviam cum bigis, & ciſiis
Ambroſium, & Ciampellium ſuaviſſimos
adoleſcentulos, quod pertinuit ad itineris
incommodum mitigandum. Sed tamen,
E quum & veſperi nihil cibi ceperim, & hac
nocte non obdormiverim, ſum planè ſeſ-
ſus, itaque verbum non ampliùs addam.
Vale, & ſalutem impertire tuis omnibus,
& Adrianio, quem cur inter tuos nume-
rem, non video.

Florentiæ VIII. Kal. Quinct. Anno
MDCLXXXXII.



EIDEM.

AUdio te dolore capitis vehemen-
tiùs his diebus proximis eſſe F
vexatum, quòd meridianum So-
lem diu pertuliſſes; itaque tibi
auctor ſum, ut inpoſterum ne
ad maris litus accedas, præſertim hoc an-
ni tempore, neve ambules in Sole; id e-
nim iis, qui in umbrâ nutriti ſunt, ubique
inſalubre eſt; in regionibus verò Mari
propinquis, lociſque lacunoſis, ut ſunt
ferè Tyrrheni maris litora, inſaluberri-
mum; ubi Solis ardor augetur, & inten-
ditur vaporum copiâ, quæ ex humido ſo- G
lo, putribuſque humoribus exhalatur. Non
eſt tanti ulla voluptas, non ullæ cum fe-
minis primariis ambulationes, non ulla pi-
ſcandi oblectamenta (quæ tu dum accura-
te, eleganterque deſcribis, & quaſi mihi
ponis ob oculos, his te capi mirificè de-
claras) ut in febrem incidas, ut aliquo va-
letudinis incommodo conflicteris; magno
quippe emitur oblectatio, quæ cum ſanita-
tis labe contingit. Quare differas, cenſeo,
in aliud tempus voluptatem in litore Ma- H
ris ambulandi; quum videlicet ver erit,
& clementior Solis calor nullum pericu-
lum afferet valetudini tuæ, quam volo in-
tegram, incolumemque ſervari. Gaudeo
tamen, quòd nullo graviore damno affe-
ctus es, quòd bene vales; apponendum
eſt enim lucro, quod quum poſſes majore
detrimento affici, leviore defunctus es;
verumtamen de his hactenus. Horolo-
gium, ſimulatque Florentiam veni, artifi-
ci reconcinnandum locavi; ſed nondum I
remiſi, quia nondum eſt in eum ſtatum
reſtitutum, ut horas ſine aliquo errore in-
dicet; non mihi deſuerunt, quibus illud
perferendum darem, ſed defuit ipſum ho-
rologium, quod artifex niſi pulchrè con-
cinnatum reddendum eſſe non cenſet.
Alliata juvenis ornatiſſimus hac nocte ex-
ceſſit e vitâ. Vale, & Adrianio, tuiſque
omnibus ſalutem impertire.

Dat. Florentiæ Non. Julii Anno
MDCLXXXXII.

EIDEM.

UNo die ſeriùs, quàm debebant, K
mihi redditæ fuerunt litteræ
tuæ; quas ego ſi accepiſſem
ſtatim, nullâ interpoſitâ morâ
tibi reſpondiſſem, ne diutiùs
differrem, quod petis. Petis autem, ut ar-
gumen-

A gumentum proponam tibi gratiarum agendarum Academicis Romanis, qui Arcades appellantur, a quibus es in suum cœtum, conventumque cooptatus. Ego verò morem geram libens voluntati tuæ, quamquam poëtæ difficile est, quid potissimum dicendum esse videatur, præscribere; qui quum impetu quodam incitetur, vix ullis legibus potest coërceri. Ideo non sine causâ Horatius poëtas admonuit, ut numquam jussa canerent; cui auctor essem, ut pareres, & te, ut aliquid tuo marte invenires;
B adhortarer, nisi vererer, ne dum suadeo Horatiano præcepto obtemperandum, videar tua jussa detrectare; quæ plurimi semper feci, semperque capessenda esse duxi. Effundam igitur ea, quæ mihi veniunt in mentem, ne studio tuo desim, quibus eâ conditione dumtaxat uteris, si tuæ musæ ab ipsis non abhorrebunt. Hesiodus fertur, qui ab Ascrâ Bœotiæ vico Ascræus vates appellatur, quum rudis esset carminum, & poëticam nunquam attigisset, ut-
C pote qui vitâ pastorali delectaretur, pasceret autem oves juxta montem Heliconem in Musas incidisse, quæ choros ducebant; a quibus ascitus in earum cœtum fuerit, & lauro donatus, & sceptro; ex eoque tempore dicitur præstantissimus vates evasisse non arte, sed quodam spiritu, afflatuque divino. Eodem modo te dices in Arcadum conventum acceptum impleri quodam furore, & a Musis afflari, & eximi vulgo, & sordidis curis relictis immorta-
D litatem poëticæ laudis cogitare, vitamque semotam a tumultu, & miserâ ambitione remotam sequi; jam tibi liberè Arcadiæ montes, dilectaque visere Musis, Pastorum argutis antra canora modis; jam tibi Cyllenes in sacro vertice sisti, aut in Stymphali, Parrhasiique jugis, aut quà Ladon fluvio fertur, aut Erasinus, aut Erymanthus gelido; felices montes, felicia flumina, felix Parrhasiæ tellus; ubi homines quondam felicissimam vitam agebant, va-
E cuam a sollicitudine a strepitu. Laudabis hic Arcadum vitam pastoralem, & innocentissimam fuisse dices, & hanc primos homines coluisse. Nam Arcades antiquissimi fuisse perhibentur, adeout se ante Lunam natos ferrent, & aureo sæculo extitisse. Potes nonnulla de aureo sæculo delibare; exemplum dabit Tibullus; sicut laudandi rusticam vitam Virgilius, ubi sic ait:

F *O Fortunatos nimiùm, sua si bona norint,*
Agricolas......

Ad hoc igitur vitæ genus quum sis ab Academicis invitatus, & ascriptus in eorum numerum, te dices illis gratias agere, & felicitatem ipsis acceptam referre; neque enim te desiderare antiquos illos semideos, qui Arcadiam coluerunt; quum hi non G
cedant illis neque suavitate cantus, neque ingenii gloriâ. Hæc sunt quæ videntur mihi posse dici, tu, non dubito, quin plura, & meliora sis inventurus. Hæc quoque mihi visa sunt adnotanda, quæ tibi usuvenire posse arbitror; montes Arcadiæ sunt Cyllene, ubi natus est Mercurius, Parrhasius, Parthenius, Lyceus, Mænalus, Stymphalus; fluvii, Erasinus, Ladon, Erymanthus. In Arcadiâ inventa est a Mercurio lyra; primus omnium hominum e terrâ procreatus Pelasgus; Arcades dicuntur Lycaonii a Lycaone, Parrhasii a monte, Nonacrini ab urbe Nonacri. Vale, & salutem plurimam dicito Adrianio, & omnibus tuis.

Florentiæ XIV. Kal Aug. Anno MDCLXXXXII.

EIDEM.

Est planè, cur mireris, Vincenti ju- H
cundissime, quod ego, qui semper aliàs fuerim solitus frequentissimè scribere, nec expectare, dum tuis litteris lacesserer; nunc a te provocatus integrum pæne mensem ad te nihil litterarum dederim. Id autem accidit, non quia mihi defuerit voluntas, sed quia deesse facultatem mittendi litteras arbitrabar; quum enim te rus abiisse cognovissem; nec eodem in loco semper mansurum in eâ rusticatione suspicarer, & modò in tuis, modò in amicorum prædiis es- I
se moraturum, quod facere in animo habere mihi olim prædixeras, difficulter tibi reddi litteras posse censebam, quum, ubi maneres, esset incertum; ideo supervacaneum duxi litteras dare, quæ perferri non possent. Sed hanc meam cunctationem, vel ignaviam excussit mihi querela epistolæ tuæ, quam ad fratrem missam legi; in qua postulas, ut indicem tibi tempus opportunum Florentiam veniendi; quod eram indicaturus, etiamsi non postulasses. Vale.

Dat. Florentiæ Id. Sext. Anno MDCLXXXXII.



EIDEM.

A Cauſa, cur ad te ſcriberem, non fuiſſet, nam quum tu recens à nobis diſceſſeris, nihil accidit novi, de quo te vellem facere certiorem; & mos eſt vetuſtiſſimus, ut qui aliquò profecti fuerunt, ii priores fungantur officio ſcriptionis. Quare expectaſſem litteras tuas, quas brevi pro tuâ diligentiâ, & erga me amore allatum iri ſciebam; neo meis jejunè, & inaniter ſcriptis oneraſſem patientiam tuam; ſed Federighius adoleſcens omnibus numeris abſolutus, & utri-
B que noſtrûm amiciſſimus me rogavit, ut ad te litteras darem, ſe enim miſiſſe dixit ſcripto comprehenſam facultatem armorum gerendorum, quæ lege prohibentur; miſiſſe autem cum faſciculo litterarum, quæ ad Equitum Piſanorum magiſtratum perferri ſolent; ne igitur ea facultas intercidat, exiges ab iis, qui faſciculum acceperunt. Et quoniam te de hoc admonere neceſſarium fuit, illud etiam non omittam me ſolviſſe pecuniam, quam apud
C me reliqueras, ei, cui fuerat numeranda; ſumma fuit, niſi fallor, viginti quatuor coronatorum. Vale, & Adrianium clariſſimum virum, omneſque tuos memento plurimâ ſalute impertiri.

Dat. Florentiæ VII. Idus Sept. Anno MDCLXXXXII.

EIDEM.

D Jucundiſſimæ conſuetudinis tuæ voluptate deſtitutus nullum ſolatii genus invenire ſuavius poſſum, quàm litteras; quibus, dum è te abero, tecum quodammodo colloquar, & deſiderium tui leniam. Utar igitur frequenter hoc ſolatio, quod & mihi gratiſſimum eſt, & tibi pro amicitiâ noſtrâ futurum eſſe arbitror non injucundum. Atque id ego nunquam aliàs aptiùs mihi poſſe videor uſurpare, quàm hoc tempore, quo, quum recens à te diſceſſerim, tu ſci-
E re deſideras, en incolumis, ſoſpeſque Florentiam pervenerim. Quum ergo tribus ferme poſt meridiem horis ciſium inſcenderim, ſeſquihorâ poſt occaſum Solis ad cauponam veni, ubi nobis erant mutandi equi, & vires cibo reficiendæ; in eo itinere non ſol, non æſtus, non pulvis valde moleſtus fuit. Cena præbita eſt nobis non inelegans; poſt cenam cubitum conceſſimus, ut aliquantulum ſomni caperemus; ſed mihi contigit lectus, de quo dici non F
poſſet,

..... *nec tritus cimice lectus.*

Itaque eâ moleſtiâ ſum coactus vigilare, iterque ſum ingreſſus duabus horis, antequam diluceſceret; equi mihi dati ſunt nitidi, validique, ciſio nunquam commodiore me uti memini; ſed ciſiarius tam equis pepercit, tam abhorruit à celeritate, tam lentus fuit, ut illud iter, quod alio ciſium regente quatuor, aut quinque horis conficere potuiſſem, ferè ſeptem confecerim. Quapropter, quamvis frigidi venti ſpira- G
rent, moleſtiam mihi Solis ardor exhibuit, ac multo magis ciſiarii contumacia, qui jurgiis noſtris non commovebatur. Vale, & nos, ut facis, ama, & Adrianium, & fratres, patremque tuum meo nomine ſalvere jube.

Dat. Florentiæ X. Kal. Jul. Anno MDCLXXXXIII.

EIDEM.

Non mihi videtur abſurdum, quod ſuſpicaris, epigramma, quod nu- H
per ad me miſiſti, è fratre meo eſſe conſcriptum. Nam præter quam quod in eo eſt quidam linguæ latinæ candor, quædam numerorum ſuavitas, quædam ſententiarum non injucunda concinnitas; quas virtutes hoc tempore pauci intellectu aſſequuntur, pauciſſimi exprimunt ſtylo, & ſcriptione, ut non multum conjectura poſſit aberrare, animadvertiſſe videor imitationem meorum carminum non in uno loco ſolùm, ſed in pluri- I
bus; quo magis tuum judicium ad veritatem arbitror accedere; eſt enim id fratri meo familiare, ut ſive in his, quæ proſâ oratione, ſive in his, quæ carmine condit, aliquot locos ex meis ſcriptis imitari; id quod etiam à te puto obſervatum; me certè non fugit, quum nemini, quàm mihi, mea ſint notiora; ſed ſive à fratre, ſive ab alio quopiam facti ſunt illi verſiculi, planè ſunt non inſuaves, habeoque tibi gratiam, cujus beneficio in manus meas per- K
venerunt. Ciampellius præſtantiſſimæ indolis adoleſcens incidit in atrocem, gravemque morbum, quem comitialem vocant, decimuſquintus hic eſt dies, ex quo primò concidit; putabamus animi deliquio accidiſſe; non fluebant ex ore ſpumæ, non diſtentione nervorum tentabatur, non ulla vultus depravatio, non membrorum in diverſa raptus, non confuſæ vocis, aut ſtridoris emiſſio ſequebatur; ſuſpicabamur tamen id, quod erat, eo præcipuè adducti

dusti argumento, quod adolescens om-
A nium, quæ morbo correpto accidissent,
obliviscebatur; sed tamen, quia non vi-
deramus ipsi, sed audiveramus, quæ ac-
cidissent, nondum adducebamur, ut cre-
deremus in te tantum esse mali, quantum
ferebatur. Nuper autem quum ipsum in-
viserem jam decumbentem, & cum eo
familiariter loquerer, ecce tibi hominem
invadit stupor, deficit animus, mens oppri-
mitur, vocis emittendæ interceptâ facul-
tate dumtaxat anhela spiritus reciprocatio
B relinquitur. Quum aliquamdiu sic esset con-
flictatus, refocillari jam videbatur, & re-
dire mens, quum rursus opprimi cœpit,
tum distorqueri os, in diversas partes ra-
pi membra, non crura, non brachia, non
ullam partem corporis consistere, tumere
guttur, spumas fluere, intendi præcordia,
agitari, vexari hominem vidisses; sed nos
maximè terruit, quod Tullius, qui bra-
chium apprehenderat, cessasse percussum
arteriarum ferebat; quæ omnia licèt iis,
C qui comitiali morbo corripiuntur, inter-
dum evenire solere non ignorarem, ta-
men in amici periculo vehementer com-
movebar; ubi verò morbi vis paulisper
consedit, duarum horarum spatio mansit
idem stupor, eadem mentis alienatio, i-
gnoratioque omnium; donec admotæ sca-
pulis cucurbitulæ, & incisa caro hominem
excitarunt. Nos adhuc in metu versamur,
ne aut hic morbus curari non possit, nec
sinat adolescentem conficere curriculum
D studiorum, in quibus antea magnâ cum
laude versabatur, aut hic morbus in gra-
viorem transeat (neque enim desunt ἀ-
ποπληξίας indicia) & hominem repentinò
in ipso flore ætatis extinguat; hodie ta-
men mihi nunciatum est esse quædam ad
salutem signa. Doleo autem adolescentem
omnium, quos ego novi, ingeniosissimum,
modestissimum, suavissimum, & quadam
alacritate mentis, & morum suavitate mi-
hi jucundissimum in tanto periculo, &
E calamitate versari. Pauci sunt, qui seriò
bonas artes amplectantur, & ex his non-
nulli nihil afferunt ad studia præter vo-
luntatem; ex his autem, qui & possunt,
& volunt ad aliquam in litteris claritatem
pervenire, multos fortuna variis casibus
impedit, & ab incepto cursu retardat; ut
non mirum sit tantam esse doctorum ho-
minum paucitatem. Vale, & Adrianio,
& Andreonio, tuisque salutem dicito.

Florentiæ VIII. Kal. Sext. Anno
MDCLXXXXIII.



EIDEM.

NOn obtunderem te meis litte-
ris, quum virium imbecillitate, F
quominus rescribas, impedia-
ris, nisi scribendi necessitas in-
cidisset. Baldinuccius illustrium
pictorum vitas eleganti sanè stylo, & ac-
curatâ scriptione complectitur; quum per
ætatem peregrinari non possit [est enim
natus annos octo, & sexaginta] cogitur
ex auditu clarorum artificum opera inter-
dum cognoscere. Quum autem hoc tem-
pore Aurelii Lomii, & Artemisiæ cujusdam
Pisanæ feminæ, quæ pingendi arte præsti- G
tis, & ex Horatio Gentileschio pictore Pi-
sano procreata est, vitam sit litteris consi-
gnaturus, cupit certior fieri, quæ uterque
Pisis opera elaboravit; & Lomii quidem
tabulæ pictæ in publico multæ conspiciun-
tur, ut non difficile sit Baldinuccii studio
satisfacere; Artemisiæ picturæ in privatis pi-
nacothecis sunt requirendæ, ut non medio-
cris diligentia sit adhibenda. Sed habes ami-
cum harum rerum peritissimum, cujus operâ
facilè poteris hæc omnia investigare; eo H
utaris, oportet; nihil enim incognitum, ni-
hil non exploratum est referendum, ne
culpâ nostrâ Historicus a veritate cogatur
aberrare, quod est turpissimum. Mitto tibi
schedulam, qua, quid Baldinuccius cupiat,
continetur. Cum amico IV. Non. Sext.
sum colloquutus, eique te commendavi;
is mihi respondit se, quid agi posset, &
quo pacto, consideraturum; sed non sum
ausus hominem iterum convenire, quum
id haudquaquam sit expeditum, atque ille I
non multo post abiverit rusticatum; itaque
quid fuerim consequutus, nescio. Frosi-
nius nudius tertius mihi significavit se Pi-
storio ad te dedisse litteras, quum autem
responsum non acceperit, vereri, ne eæ
litteræ non sint ad te perlatæ. Vale.

Dat. Florentiæ XI. Kal. Sept. Anno
MDCLXXXXIII.

EIDEM.

NUdius tertius primis incumben- K
tibus se tenebris Florentiam
pervenimus. Tam serò, inquies,
adeo ne lenti fuerunt mei illi
Pegasi, quibus, quò citiùs com-
modiusque conficeres iter, te devehendum
curavi? nihil est, cur equos accuses, nihil
illi peccarunt. Quum tres horas in cau-
ponâ essem commoratus adhuc incertâ lu-
ce ad

ce ad octavum ab urbe lapidem pervene-
A ram brevi reliquum iter peracturus; quum ecce tibi juvenes quatuor, nescio quibus e latebris prodeuntes cisium, in quo eramus, clamantes invaserunt. Jam, nisi fallor, pertimuisti, & in grassatores incidisse, me suspicaris; non fuerunt illi grassatores, sed fuerunt humanissimi adolescentes, Friderighius, Ambrosius, Ciampellius, Baldinuccius; hi nos consistere coëgerunt: hi cisiario dimisso ad Baldinuccii villam, quæ non procul aberat, deduxerunt; ubi
B aliquantum temporis quieti dedimus, deinde experrecti multum risimus, multum jocati sumus, donec prandii tempus adveniret; quod pro loci copiâ satis lautè nobis apparatum est; post prandium vires vilâ, & proximæ noctis vigiliâ fessas somno refecimus; a quo excitati quà prædio perambulando, quà spectandâ subjectâ planitie, collibusque circumjectis (quorum in eo loco aspectus est pulcherrimus) quà jucundissimis sermonibus diem contrivimus.
C Quum jam advesperasceret, inscendimus cisium, & post occasum Solis in urbem vecti fumus; ubi hactenus hilariter egi, & jucundissimâ consuetudine sum usus amicorum, ac nisi tu abesses, nihil mihi ad summam animi voluptatem deesset; sed desiderio tui minuitur gaudium, quod percipio ex Patriæ, amicorumque conspectu. Vale.

Florentiæ VI. Kal. Quinct. Anno MDCLXXXXIV.

Scripsi latinè conservandæ consuetudinis causâ; ceterùm, si capitis imbecillitati consulere in animo est, vernaculo sermone rescribito.

EIDEM.

D Olim ego diligentiam a te requiri meam propter diuturnum silentium, quo sum usus; neque enim sine causâ litteras ad te dare supersedi, propterea quia quam epistolam exararas ad VI. Non. Quinct. ea mihi reddita est III. Id. Nec ea sola causa fuit meæ taciturnitatis; sed quum te Pisis discedens imbecillitate capitis laborantem reliquissem, nec dum te ex eâ convaluisse cognossem, inhumanum duxi non habere invaletudinis tuæ rationem, teque crebris litteris compellare, & homini nihil magis, quàm requiem desideranti respondendi laborem injungere. Nunc eadem causâ, qua sum hactenus a scribendo deterritus valetudine scilicet tuâ, compellor ad scribendum; nam scire cupio, an adhuc labores; nos verò valemus, om-
E nesque mirantur tam pingues esse. Senator Pandolfinius distillatione tentatur, quo morbo quotannis affici vel æstate, vel hieme summâ solet. Propediem publicabuntur sermones vernaculâ linguâ a Salvinio compositi; sunt autem non multo pauciores, quàm centum, sed admodum breves. Adrianio salutem, & tuis omnibus adscribito. Vale.

Flor. XIV. Kal. Sext. Anno MDCLXXXXIV.

EIDEM.

Unquam commisissem, si valde gravem, periculosumque fra-
F tris morbum putassem, ut te non facerem certiorem; quare nihil erat, cur tantopere commovereris; neque enim me silente admodum tibi pertimescendum; sed, opinor, credidisti litteris, quas ad Giannettium dyselpis ille, ac pseudologos dedit; nosti hominis mores; nemo eo ad tristiora eredenda pronior; is divulgavit meum fratrem in pestilentem febrem incidisse; quod a veritate longè abhorrebat. Nam ea
G febris nunquam vehementer me terruit; neque habuit notas febris pestilentis, neque etiam valde periculosæ. Quid ergo hominem, qui solet fluctus in simpulo excitare ad tristissima nuncianda compulit? Initio quidem febris non erat admodum contemnenda; nam & nunquam ægrum dimittebat, & concitatior videbatur; accedebat capitis dolor assiduus, qui se in accessionibus intendebat; insuper quum æ-
H ger e lecto surgere vellet, animo defecerat; quæ tamen defectio non ex imbecillitate virium, sed ex impetu bilis provenerat. Id arteriarum validus pulsus declarabat, & vires ægri quiescentis, qui modò in sinistrum, modò in dextrum latus, ut ipsi videbatur, cubabat, & facillimè convertebatur. Sed ea febris, quæ primum impetum satis habuit magnum, magis, ac magis in dies decrescebat, ac minuebatur; itaque post quinctam accessionem æger est omnino liberatus. Quare, quod timerem,
I non erat, aut te perterrefacerem; febris quotidie se magis, magisque remittebat, validis viribus ægrotus utebatur, noctu dormiebat, interdiu ferè vigilabat; sudabat interdum, & sudore levabatur; urinam reddebat abundanter, eamque modicè coloratam; nullus erat præcordiorum tumor, nulla durities, lingua humentior, & eo ferè habitu, quo solet esse sanorum. Hæc

autem

autem signa mihi salutem, non perniciem indicare videbantur. Nec ea res fallum me habuit, jam ferme septem dies effluxerunt, ex quo ægrotus convaluit; quapropter hac sollicitudine liberatus Senas cogito, quo Idibus Sextilibus proficiscar; neque enim Tillii precibus, qui me quotidie sollicitat, possum resistere; qui ad me Ciurinium allegavit hominem mihi multis de causis amicissimum. Hujus itineris habere te comitem voluissem; sed non sum ausus tibi tantum oneris imponere; quum præsertim labores capitis imbecillitate, neque Solem, aut æstum ferre possis. Vale, & Adrianio salutem, quem doleo in podagram rursus incidisse.

Dat. Florentiæ III. Id. Sext. Anno MDCLXXXXIV.

Subjicienda videtur sequens epistola, quum ab eodem Auctore exarata fuerit, licèt sub nomine Priorum Pisani Gymnasii circumferatur, quorum unus ipse tunc temporis erat.

Pisani Gymnasii Priores

Eminentissimo, & Reverendissimo Cardinali

ENRICO NORIS

S. P. D. D.



SI quantum est hominum litteris deditorum gaudio debet efferri propter eum, quem consequutus es altissimum dignitatis gradum; nos qui in Pisano Lyceo bonas artes, & disciplinas profitemur, exultemus omnibus lætitiis, Eminentissime Princeps, & triumphemus, necesse est. Alii quippe communi Reipublicæ litterariæ bono gaudent, quæ videtur augeri, quum viri tui similes augentur honoribus; nos propriâ nostri Ordinis, nos hujus Athenæi gloriâ, quæ ornatur, & splendet tuo splendore, lætamur. Quare verbis consequi non possumus, quantam animi voluptatem capiamus, quum te tantum virum ex his ipsis Gymnasiis ad tantam amplitudinem processisse recordamur. Ipsam cathedram, ipsos parietes, qui tuis olim eruditis vocibus personabant, cum ingenti delectatione crebrò quasi venerantes intuemur; qui nobis quodammodo sacri habebuntur, & animos ad honestam cupiditatem laudis, atque gloriæ inflammabunt. Sed modicum est gaudium, quod potest pectoris angustiis contineri; nos, ne in tacito sinu gaudeamus, nostram tibi lætitiam his litteris declarandam putavimus. Gratulamur igitur tibi nostro, & Pisani Gymnasii nomine, non solùm quòd indeptus es Romanam Purpuram, sed quòd ea splendet in te, quàm soleat plerumque, speciosius; quia parta solâ virtute est, nec sibi quidquam de tuâ dignitate fortuna decerpit. Tuam magnitudinem debes ingenio, debes doctrinæ, debes prudentiæ, reliquisque præclarissimis animi tui dotibus; nec te tam ornat purpura, quàm ipse purpuræ es ornamento. Id lætandum, id præseferendum, id omnium gratulatione dignissimum est. Deus ergo, qui virtuti favet, qui sacros honores ad merentes deferri gaudet, tuam amplitudinem, dignitatemque fortunet, augeat, extollat, vehementer optamus; teque ut nos diligas, nostrumque cœtum potenti patrocinio tuearis, etiam, atque etiam rogamus. Vale.

Dat. Pisis VII. Kal. Jan. Anno Sal. MDCLXXXXV.

BENEDICTUS

AVERANIUS

FRANCISCO FRANCESCHIO

Ornatissimo Adolescenti, Equiti splendidissimo, Amico suavissimo

SAL. PLUR. DIC.



ACcepi litteras tuas plenas humanitatis, plenas officii, plenas amoris, & cujusdam jucundissimæ humanitatis; quibus ego sum mirificè delectatus cum aliis de causis, tum quòd incredibilem curam præseferebant, & studium colendi mei. Nam quum biduo, postquam in Patriam reverteris, ad me humanissimè scripseris, quamvis occupatus, tamquam duo menses prætericrint, accusas tarditatem in scribendo tuam. Est id argumentum summæ benevolentiæ, quum diligentiâ tuâ mihi abunde satisfacias, tibi ipsi non satisfacias. Addis ea, quibus, nisi te plus oculis meis

meis amarem, amore tui me planè incen- [A] disses; sed nullus cumulus ad amorem, quo te complector, potest accedere. Quare nihil est, cur labores, ut benevolentiam meam tibi concilies, ut me tibi devincias. Cum Rossio amico nostro de negotio, quod mihi mandasti, heri sum colloquutus, qui non diffidit rem confici posse; immo se confecturum existimat, sed in aliud tempus rem differendam decrevimus, dum hæ silescunt turbæ, tum spero fore, ut Religiosum virum tibi commendatum, oppressum inimicorum calumniâ ab exilio revocemus; tu amicum bene sperare jube. Vale, & me, quàm primùm potes, revise; frater meus, & contubernales tui tibi plurimam salutem dicunt.

Dat. Pisis XVIII. Kal. Maii Anno MDCCV.

EIDEM.

Tu quidem jocaris, & rides, vel potius irrides, amice, quia quem [B] propediem sperabam esse rediturum, quem expectabam, quem videre cupiebam, video consilium abjecisse redeundi. Eò nimirum spectat epistola tua, ubi mihi convicium facis, propterea quod, ut te ad reditum cohortarer, scripsi perincommodè cecidisse, ut abesses hoc tempore, quo adhuc Pisana Gymnasia doctorum hominum vocibus personant, & studia celebrantur; & ais ad famam, & nominis claritatem Pisano Athenæo te non indigere, & posse in studiis litterarum magnâ cum laude versari, [C] etiamsi absis ab hac urbe, ubi, pace tuâ dixerim, Musæ domicilium collocarunt. Ego nunquam negavi posse acri viros ingenio ubique terrarum ad altissimum sapientiæ fastigium pervenire: ego quoque mihi persuadeo

Summos posse viros, & magna exempla daturos
Vervecum in Patriâ, crassoque sub aëre nasci.

Tua verò Patria, quantum conjecturâ con- [D] sequi possum, est ingeniorum solertium ferax, nec deest vobis acumen, nec animus rerum naturæ capax; tu verò & ingenio flores, & polles prudentiâ, quæ ætatem antecellit, & morum probitate, & præstantissimæ corporis formæ respondet animi tui pulchritudo. Quid me criminaris, quid accusas arrogantiam meam? num me insolentius jactavi? num mihi excidit verbum, quod superbiùs dictum videretur? num mihi quidquam arrogavi, quod non omnium concessu tribuatur? num meis laudibus tuas aures oneravi? quid mihi succenses? [E] Ego per litteras indicavi adolescenti, qui Pisas ad ingenii cultum capiendum se contulerit, non prodesse ad hominum existimationem, & ad progressum in studiis litterarum, abesse diutius ab hoc Lyceo; dum adhuc tot liberalissimarum artium, disciplinarumque professores in erudiendâ juventute desudant; & in eo non te accusavi, sed fortunam, quæ te abstraxit a nobis, & abstraxit intempestivè. Num idcirco me laudavi? laudavi Pisanum Lyceum, [F] laudavi Principes nostros, qui tantis impensis hæc gymnasia tuentur, ut cum clarissimis Italiæ gymnasiis possint comparari. Sed ego sum ineptus, qui laudibus hujus Athenæi celebrandis revocare te studeam; quum tibi non deesse dicas in istâ civitate doctorum hominum gregem, qui cum Pisanis professoribus jure conferantur. In quo invideo felicitati tuæ, qui tot sapientissimos viros in Patriâ inveneris [ita enim eos appellas] quum in altrice om- [G] nium disciplinarum Græciâ septem tantùm sapientes fuisse dicantur; quod nomen quia Deo dumtaxat convenire videretur, Pythagoras non sapientem se, sed philosophum, hoc est studiosum sapientiæ appellavit. Diogenes quum hominem in Græciâ quæreret, non reperiebat; tu in unâ urbe, eaque magis refertâ mercatoribus, quàm litteratis viris, tot sapientissimos homines invenisti. Ergo ne Pisis quidem, inquies, reperientur sapientes; non [H] ausim affirmare; quippe sapiens

Rara avis in terris, alboque simillima corvo;

sed reperiuntur paulo doctiores homines, quàm in multis aliis urbibus, quippe qui in doctrinæ studiis ætatem contriverint; certè reperiuntur ad erudiendam juventutem paratiores; quum ad id opus liberalitate Principis invitentur, & hinc sibi decus, & nomen comparent. Nam quod me tanquam maledicum redarguis, [I] vide sis, ne condemnem eodem ego te crimine; qui ex trinis litteris, quas ad te dedi, ad eas tantùm respondisti, quæ tibi calumniandi mei occasionem præbuerunt; in quo tu mihi monitis meis videris offensus, quæ neminem, quum ab animo benevolo, qualis est meus, proficiscuntur, debent offendere. Quare te monere inposterum desinam; hoc tantùm tibi meo quodam jure præcipio; noli, mi Francisce, qui non es, ut alii juvenes, cereus in vitium flecti, esse monitoribus asper. [K] Sed quid ego tandiu te demoror? quid ad singula epistolæ tuæ capita accuratè respondeo, quasi ea, quæ dixisti, joco te dixisse nesciam? quid faciam? mihi jucundissimum est tecum etiam per litteras loqui, qui-

quibus tui desiderium absentis solor, ideo
A diutiùs garrire, quàm par est, volui; illud seriò dico, si quid dixi revocandi tui causâ, quod animum tuum pupugerit, quod non credo, quum omnem absentiæ tuæ culpam non in te, sed in fortunam contulerim, indictum volo. Ignosce mihi si molestè fero, quod tamdiu abes, quum tuus a me discessus tantum mihi mœroris attulerit. Vale amicorum suavissime.

Dat. Pisis XI. Kalend. Majas Anno MDCCV.

EIDEM.

B Hodie Florentiam proficiscar; tam serò, inquies? volebam maturiùs, & constitueram ad XIII. Kalend. Jul. discedere; sed pridie ejus diei mihi guttur intumuit, & ex tumore dolor exortus est; itaque discedendi consilium abjeci, ne Solis ardore, & incommodo itineris morbus, qui modicus erat, ingravesceret. Nunc Deo juvante valeo, ubi Florentiam venero, conveniam statim Rossium, Amici tui negotium procurabo, &, si qua re potero,
C consilio, gratiâ, operâ hominem juvabo; interea, dum absum, cura corpus tuum, cura animum, quem unicè diligo, da operam, Francisce jucundissime, ut sicut pulchritudine corporis, & robore antecellis, ita animi virtutibus præstes: bonus esse malis, quàm videri: hanc compendiariam ducas ad amplitudinem, & gloriam viam, si qualis haberi vis, talem te præstes: ex amicis, his gaudeas, qui te augere sapientiâ possunt, non his, qui jucunditate
D dumtaxat delectare. Nam voluptas instar fluentis aquæ præterit; sapientia magis, ac magis in dies efflorescit; & voluptas, quasi solstitialis herba, repente exoritur, repentinò occidit, sapientiæ fructus sunt sempiterni. Sed dum tibi præcipio, dies effluit, & abeundi tempus appropinquat. Vale; ego domum relinquo, in qua tu nuper versabaris, sed non relinquo desiderium tui; immo quia longiùs abscedo a te, iterum distrahi videor; iterum vale, & parentibus tuis, & patruo, & fratri plurimam meo nomine salutem impertire.

Dat. Pisis XI. Kal. Jul. Anno MDCCV.



EIDEM.

Etsi vereor, amicorum suavissime, ne frequentiâ litterarum tibi molestiam creem, quum paucis hisce proximis diebus non unas, aut alteras, sed plures ad te conscripserim, tamen Florentiam reversus te de meo reditu, & itinere certiorem faciendum judicavi, ut salvum, & incolumem in Patriam rediisse cognoscas. Fuit autem iter valde prosperum; paulo post meridiem Pisis profectus in Aullæ villam veni ad Æræ Pontem, quum adhuc multum diei superesset; itaque spatium fuit & agros amici, F
& fabricæ, quam molitur, structuram contemplandi. Post occasum Solis cenavi, & inter epulandum, quum tui mentio incidisset, magnopere sum laudibus delectatus, quas omnes uno ore in te congerebant; in honorem tui non unum calicem hausimus, & tibi absenti non semel propinavimus. Est planè, cur, mi Francisce, læteris; omnes, quos convenio, quibus aliqua notitia tui est, te laudibus in cœlum vehunt. Es in hoc Pamphilo Terentiano, G
cui te nuper comparabam, simillimus, nam de te quoque video

...... uno ore omnes omnia
Bona dicere......

Atque haud scio, an illud ex eodem Terentio addam, *& laudare fortunas meas*, qui te non gnatum, sed amicum habeam tali ingenio præditum, quod omnes probent, ament, exosculentur. Nec vereor, ne, quum te amici mei laudant, mihi blandiantur; nam quum comitatem, H
tuam, & modestiam, & urbanitatem, & leporem, & formæ dignitatem, & suavissimos mores, & sermones melle conditos, & nectare, & benevolentiam, qua bonos complecteris, & facilitatem considero, te verè, & ex animo ab omnibus laudari mihi planè persuadeo. Sed desino, quia, ne offendam modestiam tuam, non mediocriter pertimesco; solent enim boni, ut ait Euripides, odisse laudatores, quum lau- I
dant nimis; quare ad iter meum jam revertar. Oriente jam Sole complexus utrumque Aullæ fratrem discessi, & meridie perveni Florentiam sospes; ubi nihil aliud cupio, quàm tibi morem gerere, tuis mandatis obtemperare. Itaque simul atque domus meæ limen attigi, nihil antiquius habui, quàm ut Rossium amicum nostrum convenirem; sed is expectabat adventum Magni Ducis; quare vix mihi cum homine colloquendi facultas data est; pollicitus tamen est se pro religioso viro, qui exulat a Patriâ, apud Cardinalem Mediceum verba

ba factùrum, si fortè possit ei reditum im-
A petrare. Hodie Rossium iterum conveniam, ut qua ratione confici negotium possit, inter nos deliberemus. Verumtamen de his satis; venio nunc ad Epistolam tuam latinam, in qua significas me tanti a te fieri, ut, quæ volo, non solùm velis, verùm etiam ardenter concupiscas; & gratias ago tibi pro tam propensâ in me voluntate, & tantâ animi conjunctione, qua nihil mihi accidere potest jucundius, aut optatius. Cave au-
B tem, suspiceris mihi posse in mentem venire, quod in eâ videris indicare, te quidquam simulatè loqui; scio ingenium tuum rectum, & generosum ab omni simulatione abhorrere: scio me tibi esse carissimum, quod ex innumeris argumentis intellexi; nec quisquam neque plura, neque majora, quàm tu, amoris erga me sui dedit documenta; idque mihi præclarum est, atque magnificum diligi me ab adolescente, qui sit omnium amore dignissimus. Quare
C si quisque facilè credit ea, quæ maximè concupiscit, in eam me adduci opinionem necesse est, neminem a te mihi anteponi. Quamquam si prorsus essem incredulus, his rebus ostendisti vera esse, quæ scribis, ut mihi dubitandi locus non relinquatur; quoties enim mihi te audientem dicto præbuisti? quoties meam voluntatem tuæ prætulisti? quoties denique factis benevolentiam in me tuam declarasti? Idcirco non sum de tuâ voluntate sollicitus;
D illud velim tibi persuadeas neminem mihi te esse cariorem, neminem esse, cui sis acceptior, jucundior, quàm mihi, meque tecum vel Soldariorum lege libenter victurum, libenter moriturum. Vale, mi Francisce, vale, & parentibus tuis, & patruo præstantissimo viro, & fratri dic meis verbis plurimam salutem. Tillius tibi gratias agit pro curâ, quam ostendisti in amici sui negotio procurando.

Dat. Florentiæ IX. Kal. Jul. Anno MDCCV.

EIDEM.

E His litteris, quas ad XI. Kal. Sext. exarasti, te mihi latino sermone scripturum, ubi prima daretur occasio scribendi, polliceris. Tot jam tabellarii Florentiam istinc venerunt, duas a me epistolas accepisti, & tu nihil misisti litterarum; itaque, te in adversam valetudinem incidisse sum diu suspicatus, & adhuc suspicor, & ea res malè me habet. Si me amas, aut etiam si non amas, mi Francisce suavissime, &
F non inimicè insectaris, libera me hoc miserum metu, quo torqueor; non est tuæ humanitatis hominem studiosissimum tui pati in tanto animi angore versari. Ego, quæ possum, omnia tuâ causâ facio; clarissimum virum Magalottum conveni, rogavi, ut susciperet causam religiosi viri, quem mihi commendasti; ille primùm questus est me tantum cepisse incommodi, ut domum ejus longè remotam venirem; potuisse me, si quid vellem, per codicil-
G los imperare; amicitiam nostram inanibus officiis non indigere; deinde se pro religioso viro, apud Cardinalem Mediceum verba facturum, ubi primùm rure reverteretur in urbem, recepit, & spopondit; & credo, vel aliquid impetrabit, vel certè aditum patefaciet Rossio amico nostro pro eodem majore cum auctoritate dicendi. Itaque nolo verba des amico, quod epistolâ quadam significas, ipsique, quo loco sit res, planè aperias; nihil circuitio-
H ne utaris. Sed dum ego, quæ vis, curo, velim, ut tu quoque, quæ mandavi, cures; & illud inprimis, ne me sinas pendere animi incertum de tuâ valetudine; quum te valere scio, mihi bene est, etiam si egrotem; quum suspicor ægrotare, mihi malè est, etiam si valeam. Hæc ego scripsi, quia Equiti Corso cognato tuo non potui nihil ad te litterarum dare; ignosce mihi, si te obtundo frequentiâ litterarum, quæ tibi fortasse accidunt injucundæ, & ideo tamdiu
I taces; meus in te amor silentium aspernatur. Novi nihil est; Salviatus, qui Romæ agebat, diem supremum obiit; ea calamitas perculit, & afflixit clarissimam domum, ne rebus ejus prosperis nihil adversi misceretur; ita læta, & tristia alternat Deus, ne secundis nimis insolescamus. Vale.

Dat. VI. Non. Jul. Anno MDCCV.

EIDEM.

K Serius omnino, quàm oportebat, accepi suavissimas litteras tuas; nam quas exaraveras VI. Id. Jun. accepi IV. Doleo autem mihi non statim redditas, ægritudinem quippe animi, qua propter discessum tuum afflictabar, adhuc recenti vulnere levavissent, sicuti nunc levaverunt. Sunt enim amantissimè conscriptæ, & in his elucet amoris erga me tui incredibilis quædam magnitudo, quo nihil mihi dulcius, nihil suavius, aut optatius potest evenire. Itaque lectâ epistolâ tuâ mærorem absterfi; quis in eâ mihi videbar amorem tuum non ignotum qui-
dem

tem mihi, sed dulcem, & optatum per-
A spexisse, quo nullum mihi gratius munus
potes impertiri, nullum majus deferre be-
neficium. Et quereris nunquam tibi ju-
vandi mei dari facultatem? quid ego nunc
prædicem, quantis me officiis juveris, Fran-
cisce jucundissime? quum meis monitis pa-
rulisti, beneficium mihi dedisti: quum meam
famam ab invidorum calumniis vindicasti,
quum humanitatem, & doctrinam in cœlum
laudibus extulisti, beneficio maximo me af-
fecisti. Quid quum mecum tam familiariter,
B tam jucunde jocabaris; quum me tam hu-
maniter tractabas, tam suaviter appellabas,
quum tibi gratam, & acceptam esse meam
consuetudinem tot modis indicabas, non-
ne me juvabas? mihi certè summam volu-
ptatem afferebas. Mitto munera, quibus
me sæpe cumulasti: mitto hospitium, quo
me in domo paternâ tam liberaliter exce-
pisti; mitto alia plurima, quæ referre lon-
gum est, quæ mihi gratissima acciderunt;
nihil denique a te in me proficiscitur,
C quod mihi non jucundum, non dulce vi-
deatur. Sed est indolis tuæ generosæ, quum
multa benefeceris, nihil a te benefactum
arbitrari; itaque injecisti mihi curam pe-
tendi a te beneficii, ut expleam tuum de-
siderium; & certè, si qua re indigebo, a ne-
mine libentius, quàm a te, accipiam bene-
ficium. Vale.

Pis. IV. Id. Jun. Anno
MDCCV.

E I D E M.

D Quum mihi spem excitasset viden-
di tui famulus meus, qui te cum
adolescentulo Corso venturum
esse confirmabat, eâ spe sum de-
jectus, ubi vidi adolescentulum
sine te litteras tuas afferentem; quæ mihi
non perinde, ut solent, jucundæ, sed pro-
pemodum, pace tuâ dixerim, molestæ ex-
titerunt; quia declarabant nobis de optatis-
simo tuo adventu desperandum. Quod mi-
hi, non solùm grave fuit, sed prope lu-
ctuosum; nam antea fingebam animo vo-
luptatem, quam eram ex aspectu jucundis-
E simo, ex insperato alloquio, ex consuetu-
dine tuâ percepturus; conspectis autem
litteris tuis, nec venisse te, nec venturum
esse perspexi. Itaque odissem litteras indi-
ces hujus incommodi, vel, ut dicam,
quod sentio, calamitatis, nisi amarem ma-
num tuam, Francisce suavissime; cui ut ob-
temperarem, Auliæ nostro juvenem tuum
commendavi; quid optaret, exposuit; ille
verò, licèt sit publicis, & privatis negotiis
admodum occupatus, omnia se tuâ causâ F
prolixè facturum recepit; sentit enim me-
cum te esse adolescentium, quos unquam
cognovimus, amabilissimum; ego vero spe
videndi tui destitutus Florentiam cogito.
Nam hodie mihi redditæ sunt litteræ Ni-
colai Antinorei, qui Præses est nostri A-
thenæi, quibus ille me proficisci Florentiam
maturè jubet; sed antequam proficiscar te
de meâ profectione certiorem faciam. Sed
quoniam abitus mei tempus appropinquat,
velim mittas, qui avehat vestem, & li-
bros, quos reliquisti; interea, dum magno G
locorum disjungimur intervallo, mihi mo-
nendus es, ut valetudinem tuam, si me a-
mas, diligenter tuearis; ne te pilæ ludo,
aut majoris follis nimium defatiges; ne, H
quum concalueris, frigidam bibas; ne locis
cœli pestilentis æstatis, aut autumni tempo-
re immoreris; ut recolas, quæ didicisti, &
quæ non didicisti, studio, & scientiâ assequa-
ris, nec in cognitione rerum tibi mediocri-
tas arrideat. Nam etsi mediocritatem Hora-
tius laudat; non quamlibet mediocritatem; I
sed auream laudat; porro aurea mediocri-
tas ea est, quæ in rebus indifferentibus cer-
nitur, cujusmodi sunt divitiæ, atque alia
hujus generis. Laudat etiam Aristoteles
mediocritatem, sed in affectibus, in scien-
tiâ rerum nunquam laudavit; nam quid-
quid in laude ponitur, quo majus est, eo
præclarius habetur, & in eo genere excellen-
tia prædicatur. Itaque nemo faciem, quia
sit mediocriter pulchra, laudibus magno-
pere efferendam censuit; quia decus est
faciei pulchritudo; nec equum, quia sit
mediocriter velox; quia velocitas in equi
dotibus habetur; nec militem quisquam,
quia sit mediocriter fortis, admiratur;
quia propria laus est militis fortitudo. Eos
verò, qui in rebus magnis, atque præcla-
ris ad summum præstantiæ fastigium per-
venerunt, prope in Deorum numero col-
locamus. Neo tamen tibi sum auctor, ut
studio corporis vires conteras, ut pallorem
contrahas, ut laborem nunquam intermit- K
tas; neque enim id patitur imbecillitas hu-
manæ naturæ. Ego volo te urgentem, &
valentem, & alacrem videre, non valetu-
dinarium; quod consequeris, si tam in
corporis, quàm in animi exercitationibus
præscriptum ab Isocrate modum teneas;
qui præcipit, ut laborare desistamus, quum
adhuc possumus laborare; nec censet lassi-
tudinem expectandam. Vale.

Datum Pisis Idib. Juniis Anno
MDCCV.

EIDEM.

A An tandem tibi esse pudori sedulitatem meam reputanti, quùm multa incommoda tuâ causâ capiam? putasne mihi quidquam incommodum, quod tibi commodum esse videatur? vehementer erras, amicorum suavissime, si ita opinaris. Non sunt incommoda labores, quos pro te suscipio, sed voluptates; audisti ne Græcum proverbium: *Equus in planitiem*; quod de iis usurpatur, qui ad aliquod munus vocantur, quod libentissimè exequuntur,
B id in me convenit: Ut equus in planitiem deductus exultat, effertur, ad cursum incitatur; sic ego, ubi operam meam vel tua humanitas desiderat, vel cupiditas tuis commodis inserviendi flagitat, lætitiâ efferor, omnem torporem abjicio, incitor ad laborem subeundum, & sponte festino. Quamquam quid ego me jacto, quid circumspicio, quid tanquam magnum aliquod in te contulerim beneficium, glorior? pudeat me potius nihil tibi dignum amicitiâ no-
C strâ præstitisse. Quid enim adhuc feci, quo te possem mihi demereri? quod munus a me habes, quod meritis in me tuis, quod indole tuâ lætissimâ, & præstantissimâ, quod benevolentiâ, qua me prosequeris, dignum esse videatur? Cupio equidem, cupio mihi dari occasionem tibi ostendendi, quanti te faciam, & te magno aliquo beneficio obligandi; sed hactenus voto meo vel tenuitas mea, vel fortuna repugnavit. Quapropter est humanitatis tuæ,
D mi Francisce carissime, spectare non quid possim, sed quid velim, & beneficia, quæ cupio dare, pro acceptis habere; nam in benefaciendo animus, non ipsum beneficium spectatur. Itaque, qui Jasonem Pheræum, quum vellet occidere, incisâ vomicâ, qua laborabat, sanavit, non hominem sibi devinxit, sed offendit, licèt salutis causâ fuerit. Atque hunc animum studiosum tui, & gratificandi tibi cupidissimum laudas, quum beneficia mea verbis extollis; &
E jure laudas. Nam si posses introspicere sensus meos, & si, quod Socrates cupiebat, fenestram in pectoribus natura nobis aperuisset, videres non promptiùs manus tuas, aut pedes voluntati tuæ obtemperaturos, quàm sit Benedictus tuus obsequuturus; meque plane sic tuum esse, non ut mancipium, sed ut ea, quæ adimi nullâ fortunæ injuriâ possunt; adeo me suavitate morum, & modestiâ, & comitate, & lepore, & ingenii dexteritate, & obsequio, & sermonibus omnis odii, & ineptiarum expertibus devinxisti. Quod autem times, ne valetudini meæ parum consulam, facis tu quidem amicè; sed nequidquam times, ego pugilicè, atque athleticè valeo, tu etiam vale.

Florentiæ XV. Kal. Sext. Anno MDCCV.

EIDEM.

F Pergratum mihi est, amicorum suavissime, quod frequenter ad me scribis, & saltem octavo quoque die me de tuâ valetudine certiorem facis. Ego enim sum a te magno remotus locorum intervallo, neminem video, quem interrogare possim, quid agas, usque ne valueris; vel quia pauci istinc ad nos commeant, vel quia paucissimi ex tuis civibus mihi noti sunt; quid ergo mirum, si tuas litteras desidero indices tuæ valetudinis, testes amoris erga me tui? Tu quidem es admodum adolescens, bonâ corporis habitudine, firmissimis uteris viribus, & ætatem nondum firmatam robore antecellis, ut valde timere non debeam; sed tamen te valere malo scire, quàm credere; præsertim quum amor in te meus timidiorem, quàm par est, me esse cogat. Accedit eodem voluptas non modica, sed summa, quam ex tuis litteris percipio, quibus acceptis nihil mihi videor ampliùs desiderare. Quapropter idem mihi accidit, quod iis, qui, H quum fame laborarint, naturæ desideriis cibo sumpto satisfaciunt; nam quemadmodum illi posteaquam famem exemerunt, bene se habent, & hilaritate complentur; sed si fortè rursus præterierit longo intervallo tempus vires epulis reficiendi, rursus inediâ torquentur, & sibi quodammodo videntur ægrotare; sic ego recens acceptis litteris tuis tranquillior sum ipsâ malaciâ, & magnâ voluptate perfundor; sed, si quando me desiderio tuarum litterarum I diutiùs, quàm soles, distenderis, quod semel tantùm accidit, non tuâ culpâ, sed eorum qui litteris reddendis præsunt, sollicitor miris modis, & angor, & mærore afficior. Quocirca te rogo, ut, sicut cœpisti, des ad me litteras frequenter, & in eo perseveres; nam hoc nihil potes mihi gratius facere, nihil jucundius; quod & hactenus fecisti, & imposterum spero facturum. Illud etiam te rogo, ut studia litterarum, quantum valetudinis tuæ ratio pa- K tietur, colas; hæc enim & ornamento tibi esse possunt, & ad res magnas consequendas adjumento. Tu quidem multis, & excellentibus bonis abundas; tibi fortuna dedit amplas opes, tibi natura dedit

præ-

præstantem corporis formam, mirum in- A genii, & sermonis leporem, dedit valetudinem, & robur, dedit mentem altissimarum rerum capacem, te aptissimum ad animos tibi devinciendos fecit, fecit iræ potentem. Accessit liberalis educatio, cujus beneficio, & bonitate naturæ numquam fastu intumuisti, nunquam elatus es immoderatione verborum; nihil agis, aut loqueris, nisi modestè, nisi temperatè. Hæc autem bona nisi industriâ auxeris, & fortunam, & naturam, & educationem desti- B tuisse videberis. Industria porro quibus in rebus utiliùs, quàm in studio bonarum artium, potest collocari? nihil enim his præstantius, nihil conducibilius vel ad gloriam comparandam, vel ad nominis immortalitatem, vel ad animum excolendum, vel ad honores adipiscendos, vel ad solidam, non inanem, & fucatam nobilitatem consequendam. Quod si Poëta Sulmonensis prodesse plurimum putat ad amoris obsceni perfruendas voluptates in- C genuas disciplinas:

Profuit ingenuas didicisse fideliter artes;

quantò magis ad honestarum rerum adeptionem, cujus causâ repertæ sunt, prodesse dicendum est? Sed finge tibi nihil omnino profuturas; illam certè utilitatem afferent: non otio contabesces, semper aliquid ages, semper aliquid molieris, quod tuæ naturæ præstantiâ dignum esse videbitur: non te in vitia ingurgitabis, quod D in Patriâ illecebris voluptatum plenâ tibi maximè metuendum est: afflues facetiis, afflues copiâ sermonis elegantis, & nullâ in re rudis cognitione rerum, tanquam jucundissimo pabulo, mentem oblectabis. Cave tamen, ne studio mentis excolendæ corporis curam relinquas; nam utriusque rei tibi habenda ratio est; ægrum quippe corpus animi studia ad magna surgentis destituit. Itaque hoc anni tempore serventissimo, me auctore, licet, otieris; non e- E nim insulsè Martialis:

Æstate pueri si valent, satis discunt;

serva te mihi incolumem, & validum, & florentem, & hilarem, ut quum te nobis videre continget, tuæ consuetudinis frui jucunditate possimus. Vale.

Dat. Florentiæ V. Kal. Sext. Anno MDCCV.



EIDEM.

CUm semper alias, Amicorum summe, atque suavissime, litteræ tuæ F mihi incredibilem voluptatem attulerunt, tum, quas ad me proximis diebus dedisti, ingenti me lætitiâ cumularunt. Nam præterquam quod erant amantissimè, dulcissimeque scriptæ, & summam elegantiam præseferebant, exemerunt ex animo omnem mærorem, omnes curas diluerunt, suspiciones, quibus incendebar, amoverunt, & mentis æstum, quo agitabar, penitus compresserunt. Fateor enim me frustra exterritum fuisse; G nam quum qui huic negotio præsunt, mihi tempore, quo debebant, litteras tuas non reddidissent, primùm cœpi suspicari te adversâ valetudine laborare; deinde mihi injectæ sunt variæ, absurdæque suspiciones; & modò negligentiam tuam immerito accusabam, modò contemptum mei, modò in eam cogitationem veniebam, ut, ne alicujus hominis malevoli calumniis a me esses abalienatus, pertimescerem. Itaque Equiti Corso cognato tuo litteras H ad te dedi, quas nollem datas, quia in his videor de tuâ bonitate, benevolentiaque diffidere; sed ignosces amori, ignosces timori meo; & profectò si ignosces amori, ignosces etiam timori; etenim

Res est solliciti plena timoris amor;

nec minùs verè Poëta summus dixit eos, qui amant, sibi fingere somnia:

..... *an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?*

Non ergo mirum, si ego quoque, qui te singulari benevolentiâ complector, vigilans I quasi somniavi, & tam absurda de te, tamque a naturâ tuâ, & ab amore, quo me prosequeris, dissidentia cogitavi. Est enim ita naturâ comparatum, ut, & quæ cupimus, facilè speremus, & quæ metuimus, nobis eventura suspicemur. Præclarè Terentius inducit patrem de filii, quem adoptaverat, salute sollicitum ita loquentem:

Profectò hoc verè dicunt, si absis uspiam, aut
Si ubi cesses, evenire ea satiùs est, K
Quæ in te uxor dicit, & quæ in animo cogitat
Irata, quàm illa, quæ parentes propitii.
Uxor, si cesses, aut amare cogitat,
Aut te te amari, aut potare, aut animo obsequi,
Et tibi bene esse, quum sibi sit male;
Ego, quia non rediit filius, quæ cogito, &
Quibus nunc sollicitor rebus, ne aut ille alserit,
Aut uspiam ociderit, aut perfregerit aliquid?

Non

Non potuit elegantiùs paternum amorem
A describere; quare mihi veniam dabis, si ego, qui te paterno amore complector, parentum vitio laboravi; sed puto, quæ tua est humanitas, te mihi ignoscere deteriora suspicanti. Quia nuper significasti te velle cognoscere cœlestium orbium motum, & magnitudines, & intervalla siderum,

Qualis & hæc docti sit positura Dei;

proximis hisce diebus libellum de sphæra confeci, & ad umbilicum pæne perduxi;
B quem tibi sum, quum Pisas venero explicaturus; antea constitueram extemporè eam doctrinam tibi tradere; sed satius esse duxi commentariolum conficere, & prospicere utilitati tuæ, non commodo meo; nec laborem pro te reformidavi, quia, quem tuâ causâ suscipio, mihi dulcis est omnis labor. Atque utinam tu Pisis esses diutiùs mecum commoraturus, profectò darem operam, ut in dies doctior, & melior evaderes, sed breve tempus datur, & ego sum oc-
C cupatus, & tu Jurisprudentiæ studia debes omnibus aliis anteponere. Vale tibique persuade neminem mihi te esse cariorem, nec te habere quemquam Benedicto tuo amantiorem tui.

Dat. Florentiæ Non. Sext. Anno MDCCV.

EIDEM.

D EST, cor Superis gratias agas, amicorum suavissime, quod eam famem mihi dederunt, quam parvo possis explere. Nam si eâ esurie conficerer, quæ sedatur epulis, extructasque mensas desiderat, nihil esset, quod inopiam, qua filiifamilias plerumque laborare solent, excusares, nihil, quod intervalla locorum, quibus disiungimur, causareris. Nam ego non acciperem excusationem, sed statim domum tuam citius pervolarem, & velles, nolles,
E tibi essem hospitio recipiendus; eâ quippe impudentiâ te rogarem, qua Homerus virum egenum ubi putat oportere; cui tu profectò, qua humanitate præditus es, non posses resistere. Tunc quanta tempestas rei tuæ domesticæ, quanta calamitas impenderet? neque enim eum hospitem excepisses, qui lactucâ, nucibusque satiaretur, qui uno cibo, eoque tenui contentus esset; sed qui integram famem ab ovo usque ad mala perferret. Melantium Catillonem, vel Eryxidis filium Philoxenum, vel potiùs Erisichthonem diceres, tantâ liberalitate bona tua devorarem. Tunc intelligeres, quàm à te diligi me credam, quum te ex tantâ amicorum copiâ elegissem, cujus rem fa-
F miliarem tam familiariter arroderem: tunc non me incredulum appellares, quasi de tuâ in me benevolentiâ dubitem, quam esse maximam exploratissimum habeo. Sed mea fames non est ejusmodi, ut tibi damnum possit afferre; tuas litteras opto; tuis litteris, quasi jucundissimo pabulo reficior, & recreor. Tu quidem me irrides, nec credis me tanto desiderio teneri tuarum litterarum, ut id fami, litteras cum cibo pos-
G sint comparari; at ego tibi seriò confirmo, quoniam consuetudine, & præsentiâ tuâ mihi frui non licet, nihil optatius, nihil tuis litteris esse jucundius; quas quoties accipio, ter, & quater lego, & eâ afficior voluptate, quam gulæ proceres ex apparatissimis epulis percipiunt; tecum enim loqui videor, te habere præsentem, tecum jocari. Quæ autem delectatio cum amici dulcissimi, qualis es tu, alloquiis, & præsentiâ potest comparari? Illud autem multo maximam mi-
H hi parit voluptatem, quod per litteras certior fio te bene valere, & memorem esse mei; quod licèt mihi semper persuadeam, meque a te amari semper intelligam; tamen quum tuas literas lego, certiores amoris erga me tui notas in iis, & vestigia deprehendens impensiùs gaudeo. Quod idcirco attigi, ut desistas mihi, qui sum tuus, minari, & ultionem parare, sed mineris, licet, & me innoxium ulciscaris; tuas minas non pertimesco; nam quidquid a te proficiscetur, licèt asperum, mihi accidet non injucundum. Vale, amicorum suavissime, vale, atque salve.

Dat. Florentiæ III. Id Sext. Anno MDCCV.

EIDEM.

I QUum mihi, amicorum suavissime, non liceat frui jucundissimâ tuâ consuetudine, nihil dulcius est, quàm te per litteras alloqui. Quum enim ad te scribo, mens mea te præsentem statuit, te præsentem videor intueri; cujus aspectu, & alloquio, & facetiis, & hilaritate scis, quàm soleam refici, & exhilarari, quàm soleam omnem ægritudinem abstergere. Quapropter ignosce mihi, si quamvis nulla suppetat scribendi materies, tamen scriptionis officio non possum abstinere; nam præter voluptatem, quam ex epistolis ad te scribendis percipio summam, illud etiam consequor, ut me valere scias; quod tibi pro nostrâ conjunctione, & amore mutuo arbitror esse

se pergratum; & elicio litteras tuas, quæ mihi sunt jucundissimæ; itaque malo inanes rerum meas litteras esse, quàm nullas. Jam intelligis me nihil habere, quod scribam, qui tam longo circuitu verborum excusem me de frequentiâ litterarum, quam non semel declarasti tibi esse gratissimam; & in eo me reprehendisti, quod vererer, ne frequenti scriptione tibi molestiam crearem. Sed quid agam? novi nihil affertur, ardor belli refrixit; quid rerum geratur in Hispaniâ citeriore a te certior fieri postulo; si quæ fortè navis ex occiduis regionibus profecta ad istum portum appulerit. In rebus urbanis nihil est, quod te scire velle credam, de me nihil est, quod significem, nisi mihi te esse carissimum; quod sæpius repetendo aures tuas videor obtudisse; reliquum est, ut utar veteri formulâ: si vales, bene est, ego quidem valeo. Sed id nimis jejunum est, & quod expectationi tuæ non satisfaciat; æqui igitur, bonique facies hanc meam garrulitatem, quæ oritur ex benevolentiâ, qua te prosequor, singulari; & curabis, ut valeas; &, si fortè rus concessisti, dabis operam, ut magnam vim ferarum, sed sine periculo capias; possisque nobis inter potandum narrare virtutes in venando tuas, & prædas. Vale, mi Francisce, vale, & me parentibus tuis, & fratri, & patruo de meliore notâ commenda.

Dat. Flor. XIII. Kal. Oct. Anno MDCCV.

BENEDICTUS AVERANIUS ANTONIO MARIÆ SALVINIO

Eruditissimo, doctissimoque Adolescenti

SAL. PLUR. DIC.



Tametsi magnam cepi ex tuis litteris voluptatem, in quibus incredibilem erga me benevolentiam tuam perspexi cum summâ humanitate conjunctam; magnâ tamen sum affectus molestiâ, quum cogitarem diu mihi carendum esse fructu jucundissimæ consuetudinis tuæ, & te, quem semper videre, & quicum colloqui magnopere concupisco, a me longo satis intervallo & loci, & temporis absuturum viderem. Accedebat huc morsus animi quidam, & dolor ex eo susceptus, quòd, quum aliquot dies, antequam rus proficisceretis, tecum esse potuissem, discesseram, & te gravi quidem, & justâ de causâ, non tamen omnino necessariâ pæne insalutatum reliqueram. Quæ res diuturnam sanè molestiam attulissent, nisi eam incredibilis quædam litterarum tuarum jucunditas levavisset; in quibus non tam mihi gratum est, quòd me mirificè laudas adolescens omnium, quos ego quidem cognoverim, laude dignissimus, quàm quòd eæ ipsæ laudes magno sunt argumento me a te plurimùm diligi. Nisi enim judicio tuo acerrimo, atque rectissimo magnitudo quædam amoris officeret, nihil esset, cur mihi tam multa tribueres; qui & ingenio non multum valeo, & ad hæc studia litterarum seriùs accessi, & nondum ætate tantùm processi, ut eam assequi, quam in me prædicas, eruditionem potuerim. Major est profectò laus ista, quàm ut mihi, meique similibus tribuenda videatur; præclarè mecum agetur, si non rudis, non indoctus, non alienus a Musis habebor; eruditionis verò gloriam mihi non assumo, sed tibi libentissimè concedo, industriæque, & doctrinæ laudem tribuo; qui & abundas ingenio, & a teneris [ut Græci ajunt] unguiculis optimarum artium studiis deditus fuisti, & ætatem longè vincis virtutis indole, judiciique præstantiâ. Quò magis mirum est te tantis ornatum ingenii, doctrinæque laudibus adolescentem vereri, ne tibi brevis intermissio studiorum rusticitatem afferat, & oblivionem litterarum. Tu verò læto, & tranquillo animo fruere ruris otio, villæque deliciis, & aviculis insidias strue,

Pavidumque leporem, aut advenam laqueo gruem
Jucunda capta præmia.
Aut amite levi rara tende retia
Turdis edacibus dolos;

& quoniam

Jam jam decorum mitibus pomis caput
Autumnus arvis extulit,

aut insitiva pyra, aut uvam decerpe, & in lacu musta ferventia, & circumfusam rusticorum turbam contemplare madidam, sordidamque musto, & lætitiâ exultantem, & protervè simul, incompositeque ludentem. Nec tu venationem valde contempseris, nec exercitationes corporis laboriosas illas quidem, sed tamen salubres, nec ludum, & hilaritatem, quam appellas insaniam; nam, quemadmodum probè nosti,

Dulce est desipere in loco;

& hæc

& hæc animi remissio, agitatioque corporis ingenium mirè excitat, alacrioremque animum facit, & paratiorem ad subeundos de integro labores. Quare tibi auctor sum, ut imiteris Porcium illum Latronem nobilem declamatorem, quem, quum animi gratiâ rusticaretur, nullum prætermisisse genus exercitationis, & honesti lusus, & luctâ usum, & cursu, saltuque, & venatu ferunt. Quæres, quid ego, qui tibi hæc præcipio, agam? ego verò me paulisper Epicureum, vel, si mavis, Aristippeum
B feci; aspernor, & fugio laborem, sequor voluptatem, turdos edo pinguissimos, & lepores, atque alia id genus. Sed ne videar omnino Stoicis, & virtuti nuncium remisisse, clarorum virorum res gestas perlego; & T. Livii decem libros, & tres Dionis, & Tusculanarum Quæstionum libros quatuor, totidemque de Finibus, quinque Ciceronis Epistolarum his proximis diebus evolvi. Ubi lectione defatigatus sum, in speluncas, atque antra me abdo, ibique
C rerum naturam animo soluto, liberoque curis contemplor:

Hic mihi conteritur vitæ modus, hæc mea fama est.

Quum hæc scribebam, eram ruri, ubi serius, quàm oportuit, mihi redditæ sunt litteræ tuæ; nam eas accepi XVI. Kalend. Nov. quum scriptæ fuissent VIII. Id. Oct. quare ne me negligentiæ insimules; cras Florentiam revertar, ubi quum te non videro, renovabitur desiderium tui. Vale,
D & me dilige, & quàm maturrimè revertere. Bellinius salutem tibi plurimam dicit:

Ἔλθε φίλων ἥδιστε, καὶ ἱμεροέστατε πάντων,
Ἔλθε, σὲ γαῖα φίλη πατρὶς ἐοῦσα ποθεῖ.
Νυμφαί τ' εὐπλόκαμοι, καὶ κάλλιστος ῥόος Ἄρνου,
Μουσῶν, καὶ Χαρίτων χάρμα μέγιστον ἄνευ,
Οὐ γὰρ ἔνι. Μοῦσαι, Χάριτές τε σ' ἀπόντα ποθοῦσι.
Ἐστὶ Διὸς κούραις ταῖς μεγάλοισι χαρά.

En tibi Epigramma Græcum mitto compositum extempore, ridebis, scio, rideas, licet; ego ideo scripsi, ut rideres.

Dat. XV. Kalend. Novembr.

EIDEM.

E Pulcher equidem, ac beatus mihi videor, quum tuas litteras lego; nam, quum propter incredibilem quemdam amorem a te planè dissentire non possim, tu me tantis ornas laudibus, ut oblivisci propemodum cogar illius Horatiani præcepti:

Metiri se quemque suo modulo, ac pede verum est; F

& me, quum tantos habere progressus vel in litteris, vel in virtute morum prædicas, aliquo esse in numero certè arbitrer. Sed quum cogitationem ad me retuli, & quod est in proverbio, respexi Manticæ quod in tergo est; vereor interdum, ne tu mihi imposueris, & illud ἀκρόαμα, quod Themistocles jucundissimum putat, conscientiâ tenuitatis meæ insuave mihi, & injucundum videtur. Sed ne humanitati tuæ injuriam faciam, teque, quem unicè diligo, re- G
futem, & refellam, nolo mihi magnopere displicere; præsertim quum jure non possim; nam etsi me laudandum non puto, fortunatum tamen certè autumo, cujus industria potuerit tibi, tuique similibus comprobari. Nec est, cur me id joco dicere putes; nam cum aliàs meam fortunam semper laudavi, tum quum ad eam partem litterarum tuarum perveni, in qua meam consuetudinem affirmas tibi prodesse plurimum ad studia litterarum. Est verò id H
mihi magnificum, ac præclarum, te adolescentem tam ingeniosum, tam doctum, & disertum mihi tamquam duci, auctorique studiorum habere gratiam. Itaque jam non negabo me aliquantum in litteris profecisse, quum te videam discipulum meum tam magnos fecisse progressus. Sed de his aliàs; nolo enim amplius jocari tecum, quum præsertim intelligam te hominem severum, ac propemodum nimis rigidum repente nobis extitisse; qui nolis I
indulgere voluptati, neque ea probes, quæ de ruris otio consolandi tui gratiâ scripsi. Qua quidem in re non molestè fero tibi displicere sententiam meam, nam ob id fortasse maturiùs reverteris. Legi tua carmina, quæ mihi magnæ voluptati fuerunt; atque ob id ea atroci stylo effodere nolui. Vale, & quàm potes maturrimè, revertere, si me amas.

EIDEM.

Accepi litteras tuas, quibus lectis intellexi epistolam, quam ego Prid. Non. Nov. ad te scripseram, non esse perlatam, quàm rem sanè pro eo, ac debui, molestè tuli. Quum enim nullum in te colendo officium prætermissum a me vellem videri, verebar, ne nomine negligentiæ suspectus tibi essem, & ob id vehementer angebar. Tamen hæc molestia magnâ ex parte levabatur, quum cogitarem nullam in me residere aut amicitiæ parum cultæ, aut negligentiæ culpam; non enim ego, K

sed

ſed fortuna peccavit; res autem ita evenit.
A Puer quidam a te mihi litteras pertulit;
hic autem ſignificavit, ſi vellem ſcribere,
eſſe, cui epiſtolam darem. Ego quamquam
temporis vix ſatis habebam ad ſcribendum,
tamen ut neminem prætermitterem, qui ad
te eſſet venturus, cui litteras non darem,
occaſionem non omittendam putavi. Sed
ille ſceleſtus verba mihi planè dedit; cur
autem dederit, cauſam tibi, quum Floren-
tiam venies, exponam; ſed habeo illi gra-
tiam; nam ob hanc cauſam tu mihi matu-
B riùs fortaſſe ſcripſiſti. Qua quidem in re di-
ligentiam tuam magnopere ſum admiratus,
quod quum nullas litteras accepiſſes, non
ceſſandum tamen putaſti, meque eo mu-
nere affeciſti, quo nihil poteſt eſſe jucun-
dius. Quocirca litteræ tuæ mihi jucundiſ-
ſimæ fuerunt cum propter alias cauſas, tum
quia in amicitiâ colendâ te maximè dili-
gentem, & induſtrium eſſe declarant; u-
num tamen non potui valde probare, quod
te tam miſeris modis, tamque vehemen-
C ter excrucias. Quid agis, mi Salvine? tu
quum in philoſophiâ tamdiu fueris, & tantâ
cum laude verſatus, multumque in libera-
liſſimis doctrinis operæ, ſtudiique conſum-
pſeris, te tanquam deſidem, & inertem
accuſes? Vide, ne, qui in alios es leniſſi-
mus, in te nimiùm etiam ſeverus eſſe vi-
dearis; induſtriæ tuæ te non debet pœnite-
re. Sed eſto, fueris tu minùs, quàm vel-
les, ſtudioſus; num idcirco tam vehemen-
ter angi debes? num ad philoſophiam,
D quæ quietem animi, tranquillitatemque
deſiderat, perturbato triſtitiâ animo debes
accedere? falleris, & toto, quod ajunt,
Cœlo aberras; defæcato animo, & tran-
quillo opus eſt ad philoſophiam, non an-
xio, & ſollicito; virtutis via, ſicut impe-
tu magno, ita quiete, & ſine perturbatione
capeſſenda eſt. Quid enim minùs conve-
nit, quàm eum, qui malis animi medici-
nam quærit, in eâ ipsâ quærendâ mœrore,
quod eſt maximum malorum, confici? ſed
E hæc aliàs, & coram. Quod autem Acade-
miam probas, facis id me probante; nam
ego Academicis ſemper favi. Exemplum
epiſtolæ, quod ſuperioribus diebus con-
ſcripſeram, caſu apud me ſervatum mitto.
Vale.

Dat. die IV. Kal. Dec.



EIDEM.

AUctoritate meâ te adductum ſcri-
bis ruris otio libenter frui, & F
voluptatem, quam, tamquam
animorum perniciem, reformi-
dabas, jucundiùs amplecti. E-
go verò etſi tibi voluptatis cauſam fuiſſe
gaudeo, tamen non magnopere lætor te
ruri tam jucundè manere; vereor enim,
ne propterea diutiùs, quàm conſtitueras,
ab urbe abſis, & mihi deſiderium tui, quod
creſcit in dies, longo temporis ſpatio fe-
rendum ſit. Itaque conſilium mutavi, &
qui tibi auctor fui jucundè ruſticandi,
nunc te, ut, quàm maturrimè potes, re-
vertaris, exhortor; jam enim hiems appe-
tit, & in urbe jucundiùs eſſe, quàm in a-
gris potes. Quid enim eſt, quod te ruri
delectet? quum jam adventantis hiemis ri-
gor, & pratis amœnitatem, & ſilvis viridi-
tatem dempſerit; nec jucundus ſit aqua-
rum ex alto cadentium ſtrepitus, nec mol-
les, ut poëta loquitur, ſub arbore ſomni;
nec poſſis aut avicularum, aut paſtorum
cantibus oblectari; ſed omnia ſint triſtia, H
& muta, & ad mæſtitiam potiùs, quàm ad
lætitiam, aut hilaritatem accommodata.
Hîc autem in urbe & mitius Cœlum, &
urbaniora ingenia, & amicorum, & civium
cœtus; quibus ex rebus ſcio te hominem
maximè comem, & urbanum magnam ca-
pere voluptatem. Quod ſi te ſtudiorum
tuorum deſiderium tenet, ubi potes com-
modiùs vacare litteris, quàm Florentiæ,
ubi copia librorum eſt, & doctorum ho-
minum, & nullis voluptatum illecebris a I
ſtudiis avocaberis? Quare te etiam, at-
que etiam rogo, ut quàm primùm rever-
taris, & me lætiorem adventu tuo fa-
cias. Quod ſi tibi non licet, ſaltem crebrò
ad me litteras mitte, ut certior per eas fiam
de omnibus rebus, quæ ad te pertinent;
mirificus eſt enim amor erga te meus; i-
deoque abſentia tua me magnopere ſolli-
citum habet; quæ ſollicitudo levabitur, ſi
quàm ſæpiſſime ad me litteras dederis; qui-
bus mihi nihil gratius, nihilque jucundius K
præter aſpectum, & colloquium tuum po-
teſt eſſe. Vale, meque, ut facis, ama. Lo-
rentinium ſalvere tuis verbis juſſi; ſed ille,
quod maximo me dolore afficit, ægrotat,
& tamen meliuſculè habet, & ſpero fore,
ut brevi convaleſcat. Lorentinius ma-
jor quoque gravi morbo eſt implicitus,
cujus curationem puto difficiliorem futu-
ram; uterque tibi ſalutem plurimam di-
cit, & bonam valetudinem, quam non
habet, optat, & precatur a Deo immortali.
Carmina tua mihi valde placuerunt, præ-
ſertim amatorium illud Græcum epigram-

ma; ſed non fuit otium, ut ea, quæ minùs probarem, notare poſſem, quamvis eſſent valde pauca, quæ mutari vellem. Verumtamen nimis imperioſus es, qui me cenſoriâ virgulâ caſtigare ſeverè jubeas verſus tam molles, & teneros, & leporis, & venuſtatis jucundiſſimæ plenos; tamen facis id tuo jure; etenim & quæ moleſtiſſima ſunt, mihi potes imperare. Vale.

Dat. Prid. Non. Nov. Florentiæ.

EIDEM.

Gratulor tibi plurimùm, ſtudiiſque noſtris, amiciſſime Salvine, quòd, ut ſcribis, ex magnâ jactatione portum jam teneas tranquillitatis, & quietis; & quemadmodum gaudio efferuntur ii, qui ſuos amicos longâ, periculoſaque navigatione ſalvos incolumes tandem, & reverſos in Patriam vident; ita magnâ afficior ego voluptate, qui te perturbationum fluctibus, &, ut ita dicam, procellis ereptum, & conſervatum video; atque eo majorem ex tuis bonis capio voluptatem, quo acerbior ex tuis moleſtiis dolor ad me redundavit. Neque enim eſt, cur putes me tuarum calamitatum expertem fuiſſe; in eadem quippe propemodum tecum fui navi, iiſdem pæne tecum ſum fluctibus jactatus; tua illa perturbatio meus erat mæror, meus luctus; dolebam quippe, & vehementer angebar animo, quum te videbam adoleſcentem ingenii, doctrinæque laudibus ornatiſſimum, meique amantiſſimum eò miſeriarum deveniſſe, ut tibi vita injucunda videretur. Deplorabam etiam miſeram ſtudiorum conditionem, quorum fama apud vulgus periclitabatur, propterea quod tu litteris maximè deditus propter ſtudia litterarum [nam ita vulgò ferebant] in eas miſerias incidiſſes. Quæ quoniam Deus in meliùs vertit, primùm ipſi bonorum omnium parenti gratias ago, quàm maximas poſſum, qui pacem menti tuæ reddidit; deinde tibi gratulor, & Muſis, teque ſummopere commendo, quòd omiſſis gravioribus curis te otio dederis, & conceſſæ voluptati; ſic enim & corporis vires reficientur, & ingenium vigorem ſuum priſtinum recuperabit. Vale.

BENEDICTUS
AVERANIUS
HENRICO NEWTON

Sereniſſimæ Britanniarum Reginæ ad Magnum Etruriæ Ducem Legato

Sal. Plur. Dic.



Quidam amici mei edendas curarunt, Henrice Clariſſime, decem diſſertationes, quas vernaculo ſermone conſcriptas proximis annis in conventu doctorū hominum recitavi. Quærenti, mihi, cui potiſſimùm hoc opuſculum dedicarem, tu ſtatim occurriſti; cujus humanitas, & benevolentia, qua me complexus es, ad hujuſmodi munuſculum tibi offerendum me invitaret; dignitas, & amplitudo, & eloquentia, eruditioque ſperare cogeret meos hoſce labores ſub tui nominis umbrâ tutò in lucem prodituros, & non vulgare lumen a tuâ claritate inpoſterum accepturos. Velim igitur, me certiorem facias de tuâ voluntate, reſcribaſque, an tibi cordi futurum ſit obſequium meum; mihi autem nihil accidere gratiùs poteſt, quàm ſi annueris votis meis. Cupio enim, & etiam, atque etiam a te peto, ut obſervantiæ, & amoris erga te mei finas aliquod extare monumentum; quod ſi fieri poſſit,

Caneſcet ſæclis innumerabilibus;

ſin autem imbecillitati meæ tantum ſperare non licet, & quominus immortalitatem nominis conſequar,

Frigidus obſtiterit circum præcordia ſanguis,

perveſtm, ut ſaltem qui nunc homines vivunt, intelligant me tuarum virtutum eſſe maximum admiratorem, nec præſtantiæ tuæ quemquam anteponere. Vale.

Piſis Prid. Id. Aprilis Anno MDCCVII.

Finis Epiſtolarum Familiarium.

BENE-

BENEDICTI AVERANII CARMINA.



TYPOGRAPHUS
Benevolo Lectori.





ELoquentissimis Orationibus, ac Epistolis Familiaribus Benedicti Averanii, quas hactenus edidi, ejusdem Auctoris Carmina, non secus, ac in primâ editione, adjicienda curavi; ne mancam, ac mutilam, sed absolutam, perfectamque formam eloquentiæ tibi exhiberem. Sunt quidem illa præcoquis ingenii fructus; pauca enim maturâ ætate conscripsit; pleraque in adolescentiâ; quædam etiam in ætate puerili, qua ad humanitatem informabatur; sed hæc quoque auctarii loco adjicienda curavi, ut intelligas, quàm celeriter ejus ingenium fuerit maturitatem assequutum. Ac si nitorem, & elegantiam, si latini sermonis integritatem, si non fuco illitam, sed nativo colore, ac splendore nitidam, ac lætam venustatem, & ad exemplar Tibulliani carminis expressam dignitatem, majestatemque admirabili lepore, ac suavitate temperatam accuratè perpenderis, probè nosces, quàm facilè potuerit ceteros omnes poëtas antecellere, si omissis gravioribus studiis, quibus implicabatur, sedulam operam huic arti navare voluisset. Vale.





BENEDICTI AVERANII CARMINA.

In Serenissimum Principem

FERDINANDUM.



A Ualis erat, quum Regna puer Latonia Phœbus
Viseret, aut fontes, Aonis ora, tuos;
Quem circum Nymphæ, circumque Heliconides omnes
Duxerunt agiles per juga læta choros,
Blandaque divino cecinerunt carmina plectro,
Carmina quæ rapidos derinuere Noros.
Talis adest Princeps; hilares mihi ludire Musæ;
B En venit, & renero pulchriùs ore micat.
Nunc vos arguro voces inflectere canru;
Nunc decet Aoniæ tangere fila lyræ.
Vestris ille choris, & dulci carmine gauder;
Gaudeat, & faeili combibat aure modos,
Ur quondam ingentum proavorum exempla sequutus
Orner Apollineas, & tueatur opes.
Illum Pieridumque chorus colat omnis, & omnis
Vatum Phœbæis turbs verenda sacris.
C Vera cano, venerande Puer; tibi Castalis unda
Serviet, & Pindi non leve Numen eris.
Otia tu placidis facies tranquilla Camœnis,
Vatibus ingenium, materiamque dabis.
Te, quieumque bibent Cyrrhæ feliciùs amnes,
Non humili cuplent concinuisse lyrâ.
Tu modò Pieridum votis assuesce vocari,
Obsequium & placido lumine cerne meũ; D
Quæ tenuea elegos lusit ribi parvula, tecum
Crescer, & haud parvum Musa movebit opus.

In ejusdem Natalem.

JAm lux Eois lætissima nascitur undis,
Quæ te olim Ausoniæ spemque, decusque tulit.
Narali formosa tuo Florentia gaudet,
Et pro te supplex annua vota facit. E
Me quoque sacra juvat genio celebrare potenti
Libantem annoso poeula plena mero.
Pegasides Nymphæ pia numina varis adeste,
Si vos dilecti Principis urir amor.
Vos, dum tura damus, nivea cum veste venire,
Er niridas molli cingire flore comas;
Nec ram ferte sacris, quas fert Panchaja merces,
Nec ram Mopsopiis dulcia liba favis, F
Quàm de Castalio jucundius amne petirum
Nectar, & Aoniis dona beata jugis;
Er docto resides impellite pollice chordas,
Er genium lætis concelebrare choris.
Hinc Ferdinandum sonet utraque nobilis Arni
Ripa, sonent Floræ mœnia lata suæ.
Huic faciles Divos, & candida fata precari,
Euboicosque annos, Nestoreosque decet.
Hanc tamen egregiè par est optare beatam,
Ominibus faustis & celebrare diem.
Hæc est illa dies, qua non affulsir Etruscis
Lætior, aut votis ulla petenda magis,

Qua

Qua caput inferuit felix Etruria Cœlo,
A Et Tyrrhena ftetit Principe fulta Domus,
Grata domus Phœbo,cui sæper maxima vates
Cura fuit, doctas & coluiffe Deas,
Et claras augere opibos regalibus artes,
Et prifcum tenebris eripuiffe decus.
Quare, Pietides, dulcem teftemur amorem,
Teftemur celebri gaudia noftra die.
Vos meminiffe decet, quæ carmina Phœbus Apollo
Prætagâ fertur concinuiffe lyrâ.
Natus eras, Augufte Puer, Tyrrhena fonabat
B Undique gratantum vocibus Aula piis;
Lætitiaque animos ad fidera,fpeque fuperbos
Tollebat pulfo regia Flora metu;
Quum populos inter lætantes lætus Apollo
Fatidico tales protulit ore fonos.
Salve, Magne Puer, quamvis infignis avorom
Gloria fe titulis tollat ad aftra fuis,
Majorum eximiis vinces virtutibus acta,
Et magis ipfe tuâ laude canendus eris;
Nam fic Imperii moderabere frena potêtis,
Ut redeat Tufcis gloria prifca tuis.
C Tecum fancta fides, tecum clementia, tecum
Aurea pax gentes, & Themis alma reget;
Tyrrhenofque Ceres, & dulcis amabit Iacchus,
Et bona perpetuas copia fundet opes;
At monftrũ infelix livorque, & turpis egeftas
Invifum condet fub Phlegethonte caput.
Nec tibi vis animi deerit, nec vivida bello,
Quæ facilè hoftiles dextera frangat opes.
Utque geres laudande, illos mirabere, Principes,
D Heroum digno qui decus ore canunt.
Hinc & Apollineas artes, Mufafque fovebis;
Hinc vetus ingeniis reftituetur honos.
Hæc cecinit Phœbus, nec fancta oracula Phœbi
Irrita præcipites diripuere Noti.
Nam manifefta fides, en Principis enteit annos,
Quæ tenero virtus pectore adulta viget:
Jam colit egregias ftudiis ardentibus artes,
Jam fequitur Phœbi,Pieridumque choros.
E Moribus his validam, Superi, donate juventam,
Et fenium vivax, perpetuumque decus;
Natalifque dies, quo nunc Etruria gaudet,
Felici redeat candidus ufque pede.

IN EUMDEM.

Laudatur venationis ftudium.

DUm tu, Magnanimi Proles augufta Parentis,
F Ferdinande, moves arma inimica feris;
Nec tantùm gaudes imbelles figere damas,
Cervorumque fequi lata per arva greges,
Sed cupis horrendos invadere comminus apros,
Et placet e forti gloria parta ferâ;
Vibrantem tenerâ victricia fpicula dextrâ
Vidit Nympharum læta Diana choris; G
Et mirata decus formæ veftigia preffit,
Laudavitque agilea ad fua dona manus.
Hinc ait: Etrufci falve fpes altera Regni,
Progenies Magno digna Parente, Puer.
Quàm lætor, dum te video pulcherrime retũ
Florentem ftudiis, confpicuumque meis!
Nam coluiffe meas quis poffit dignius artes?
Quis tantũ Nymphis, & mihi ferre decus?
Par tibi fortunæ eft tenero maturius ævo
Ingenium, egregiis mens generofa bonis,
Et pudor ingenuus, probitafque, & nobilis ardor, H
Quo mea, quo Phœbi munera lætus amas.
Nec puer Afcanius tantum indole claruit altâ,
Mifit in hoftiles quum fera tela globos.
Segnior Hippolyto virtufque, & dextera forti,
Nec vigor in niveo corpore tantus erat.
Tu feu tela vibras agili contorta lacerto,
Impiger & pugnæ jam fimolacra cies,
Sive premis curfuque feras, telifque fugaces, I
Inque meas artes incubuiffe juvat,
Oftendis claro te natum e fanguine Regum,
Altaque virtutis das documenta tuæ;
Seu celerem fublimis equum compefcis habenis,
Sive jubes volocri carpere prata fuga;
Seu docilem gaudes in gyrum flectere curfum,
Natus Amyclæâ Matre videris Eques.
Jam quum Phœbeas animum convertis ad artes, K
Et facer Aonidum pectus adurit amor,
Flagrantem ftudio miratur Delius ipfe;
Et ftupet ingenium Calliopea tuum.
Sed quamvis felix te femper gloria tollat,
Condecoretque fequax gratia, quidquid agis,
Nil te, Magne Puer, tantum decet ars mea, quantum,
Quam Reges, magni quam coluere Dei.
Quum juvat umbrofas indagine claudere valles, L
Turbatafque fequi per joga fumma feras,
Altiùs infurgis, tractantis & afpera tela
Divinum egregio fulget in ore decus.
Tunc rofeos vultus, & lumina blãda Napeæ,
Tunc & Apollineas obftupuere comas.
Ipfe manus, celerefque pedes laudavit Apollo,
Et folùm telis tele minora fuis.
Perge, Puer, tales nec tu contemne labores,
Ferdinande, meos neve relinque choros.
Hæc tibi magnarum virtutum elementa futura, M
Hæc tibi manfuræ femina laudis erunt.
Scilicet his olim ftudiis exercita virtus
Crevit, & Heroum vexit ad aftra decus,
Hac primam in filvis exercuit arte juventam,
Qui puer Aftyagi jam metuendus erat;
Il-

Ille, pharetratam qui Persida victor, & Indum,
A Et tenuit sceptris ultima Bactra suis.
Ipse etiam Æacides Grajûm fortissimus Heros,
Quo duce barbaricas Græcia fregit opes,
Dardana Peliacis meditatus bella sub antris
Erudiit fortes hac puer arte manus;
Et qua concussit Neptunia Pergama dextrâ,
Gaudebat trepidas hac agitare feras.
Parva loquor; Phœbo placuerunt talia, Phœbum
B Venantem saltus detinuere mei;
Utque facis, capreasque puer, cervosque solebat
Figere, & hæc illi præda triumphus erat?
Hinc est aucta Deo virtus, hinc vertit in hostes
Arma, quibus pavidas fixerat ante feras;
Et quum vesano tellus concussa tumultu
Ipsa daret Natis impia tela suis,
Non timuit vastâ tendentes mole Gigantes
Pelion Ossæis imposuisse jugis;
C Et stetit Enceladum contra, latonia tela
Ausus Phlegræis opposuisse minis,
Altaque fulminei defendit regna Parentis
Impiger, atque ipso vix genitore minor.
Huic similis formâ, Puer, es, pulcherrime, talis
Ille oculis, roseo fulsit & ore puer;
Et quas nunc solers artes colis, ille colebat,
Et qua nunc præstas indole clarus erat,
Et virtute parem finget te serior ætas
(Si modò fas hominem composuisse Deo)
D Utque minas fratrum non horruit altus Apollo;
Titanum & diro sanguine tinxit humum;
Sic tibi non animus, non dextera segnis in hostem,
Armarit si quos in tua regna furor.
Etrusci colles, Cœlo gratissima tellus,
Quam placidus vitreis irrigat Arnus aquis,
Quæ vobis Magni lætissima munere Cosmi
Aurea pax floret, floreat illa diu,
Et vos flava Ceres, & vos pulcherrimus Evan
E Muneribus certent usque beare suis,
Ingeniisque, opibusque, & sanctis moribus ornet,
Augeat atque omni Juppiter altus ope;
Et procul absit amor cædis; Tyrrhenaqua semper
Nesciat hostiles terra beata minas.
Sed quoniam constans nihil est Mortalibus usquam,
Versat & instabiles fors, variatque vices,
Et furiis Mars sævus, & implacabilis ardet,
F Æternam & pacem gentibus esse vetat;
Si quid fata parent, si quid fortuna minetur,
Rumpat & armipotens otia vestra Deus;
Felices tanto vos Principe, quanta triumphis
Crescet materies, lauriger Arne, tuis?

Thessala non tantum sese jactavit Achille,
Nec Theseo tantum Cecropia ora suo; G
Hoc quantum sese tollet sublimis alumno
Magnorum Tellus mater Etrusca Virûm.
Scilicet hic, veterum qui maxima facta virorum,
Semideûmque decus vincere possit, erit.
Nec minùs egregias artes, quibus aurea floret
Pax, & tranquillum pacis amabit opus,
Addere virtuti stimulos, & præmia laudi,
Suppliciique metu continuisse malos,
Mitibus imperiis gentes frenare superbas,
Utque suis Regni consuluisse bonis, H
Et facere ingeniis, & amicis otia Musis,
Clara nec in tenebris facta jacere pati.
Hæ Ferdinando tranquilli pectoris artes,
Hoc studium placidæ nobile mentis erit.
Gaude Magnanimûm Genitrix Florentia Regum,
Tusca videt placido lumine Regna Deus;
Nam quæ tranquillo felix Etruria Cosmo
Laudibus, atque opibus floret adaucta novis;
Non minùs & Nati virtutibus inclyta crescet, I
Non minùs alta suum tollet ad astra caput.
Magne Puer, quum firma Virum te fecerit ætas,
Tunc populis condes aurea sæclâ tuis:
Tu lux Ausoniæ, tu spes fidissima gentis,
Exemplum & magnis Regibus unus eris.
Felix illa dies, quum tu plaudente Senatu
Aurea cum Magno sceptra Parente geres;
Et Genitor tantæ partem deponere molis,
Gaudebitque humeris imposuisse tuis, K
Te lætum aspiciet tunc Æthere lætus ab alto,
Monstrabitque artes Juppiter ipse suas,
Queis populos frenare queas, & condere leges,
Publicus unde tibi concilietur amor.
Hæc tibi contingent olim, nunc mollior ætas
Aptior est nostris, Pieridumque choris;
Hos cole, ut & vigeat mens doctas culta per artes,
Et firmet gratus fortia membra labor.

Amoris contemptus.

Quid mihi, sæve Puer, vulnus crudele minaris? L
Quid petis immiti ferreus igne sinum?
Imbelles depone faces, depone sagittas,
Et tua victus, Amor, corda superba doma.
Tu licèt Idaliis armes nova tela venenis,
Et graviora mihi nectere vincla pares,
Et tecum fratres, & tota Amathusia regna,
Et Venus ardentes ventilet ipsa faces;
Me nunquam vinces, numquam, Puer improbe, coges
Fortia materno subdere colla jugo.
Nempe tuis mea mens non est obnoxia telis,
Quæ Cypriæ Numen ridet inulta Deæ.

A Nec mihi sunt duro circumdata pectora ferro,
Nec mihi Sithonio corda sepulta gelu;
Me mea Calliope, cursusque Minerva pudicis
Non sinit invitum succubuisse tibi.
Illa mihi flammis animum felicibus urit,
Hæc regit, & Cyprias aurea vincit opes.
Quid tibi, quid mecum est? non sum tua præda, Cupido,
Nec possum Castris utilis esse tuis.
B Me Phœbo vigiles juvat usque impendere noctes,
Et Veneri castas præposuisse Deas.
Otia te, lectusque juvat genialis, & umbra,
Lususque, & nimio mensa proterva mero:
Tu levis in molli recubas violaque, rosaque,
Inque puellarum, desidiose, genis.
Hic regnant arcusque tui, celeresque sagittæ,
Hic tibi jactandas dat Cytherea faces.
C Nec tamen hinc omnes uris violentus, & omnes
Cogis vincla pati, servitioque premis.
Scilicet hæc Cyprii est immensa potentia Regni,
Hæc est illa arcus vis metuenda tui;
Si quem forte juvat lasciva licentia, si quis
Idalium properat sponte subire Jugum;
Aut multo madidus gaudet conviva Lyæo,
Protinus ille tuo saucius igne gemit;
At quicumque tuos ignes, tua spicula temnit,
D Et fugit insidiis gaudia plena tuis,
Insanas non ille faces, non vulnera sentit,
Nec dominæ duras excubat ante fores;
Despicit ambrosios vultus, & lactea colla,
Oraque Pæstanis invidiosa Rosis;
Nequidquam crines, nequidquam lucida fulgent
Lumina tranquillis æmula sideribus;
Et blandi risus, & quos Venus afflat honores,
Et Charites frustra dulcia bella movent.
E Scilicet haud humiles quæ volvunt sobria curas
Pectora, non facies ulla movere potest.
Quid Cephalum memorem, qui te contempsit amantem,
Candida purpureo, quæ vehis ore diem?
Non Laërtiaden cepit formosa Calypso,
Nec Circe blandis insidiosa modis.
Pulchra erat Ægidæ Conjux Minoja, casti
Non tñen Hippolyti pectora flexit amans.
Ah quoties lacrymis, precibusque, & supplice formâ
F Vincere tentavit Cressa puella Virum:
Illa truces fletu poterat placare leænas,
Et poterat vultu sollicitare Jovem;
Non potuit Juvenis mentem lenire, fugaces
Ut Phædræ vellet posthabuisse feras.

Respuit illecebras, & dona Cupidinis Heros, G
Et stetit indomito in pectore dura silex;
Sæpe Amor injectis præcordia figere telis
Contendit, rapidas supposuitque faces;
Infelix fractas vidit sua tela sagittas,
Protinus extinctas ingemuitque faces.
Gratia magna tibi domitrix Dictynna ferarum,
Nempe tuo ferus est numine victus Amor.
Tu, Dea, surgentes vetuisti crescere flammas, H
Et lasciva pium lædere tela sinum.
Te Duce Thesides silvas tendebat in altas,
Fortia & horrendis bella movebat apris:
Te duce gaudebat cervos agitare fugaces,
Et captas altâ claudere valle feras.
Ars tua lascivas componit, Delia, curas,
Et contempta Venus vincitur arte tuâ.
Ipse ego ne possem sentire Cupidinis ignes,
Venator colerem sacra, tuosque choros;
Sed me Calliope, me Rex Heliconis Apollo
Detinet, & studiis culta Minerva meis. I
Pace tuâ, Dictynna, magis Tritonia Virgo
Me movet, & blandis Calliopea modis.
Candida Calliope placido me lumine vidit
Nascentem, blando continuitque sinu.
Et me Pallas amat, curis & dulcibus implet
Pectora, nativas sollicitatque faces,
Nec sinit immitis dominæ me sæva timere
Imperia, aut vinclis inseruisse manus.
Et me tollit humo sublimem, & femina rerum,
Naturæque vias quærere Diva jubet. K
Te sequor, o veneranda, tuo me numine plenum,
Socratico nectar ducere fonte juvat.
Ite procul curæ, penetralia visere Mundi,
Æthereosque orbes me rapit acer amor.
Aspiciam, quæ vis immensum volvat Olympum,
Quæ Siren dulci temperet Astra sono;
Cur micet horrendo feralis crine Cometes,
Quo trifidam accendat Juppiter igne facem. L
Hinc ego Castaliamque undam, Phœbæaque Tempe
Invisam, & silvas, Pinde canore, tuas.
Et me Pindaricos fas quippe accedere fontes,
Et fera Mantois bella tonare modis;
Ut magno pugnas, & Reges ore canentem
Me meus attonitis audiat Arnus aquis,
Miratusque suum civem grave dicere carmen
Imponat nostris laurea serta comis.
Sic ducam Idaliâ victor de plebe triumphum,
Impositoque premam te pede, turpis Amor.

DE

DE DIVO CAJETANO TEATINO

Tempestatem sedante.

A DUm sævis convulsa Notis maria aspera surgunt,
Et violenta ratem verberat unda tuam,
Dive, jubes atros compescere Nerea fluctus,
Et liquidum puro Sole nitere diem.
Ilicet unda minax ponto placata recumbit,
Diffugiunt nubes, & posuere Noti;
Et certat facili tranquilla per æquora fluctu
Te studiosa cohors ducere Nereidum;
Neptunusque Pater stratâ jam blandior undâ
Imperio subdit cærula regna tuo.
B Felix, o nimium felix, cui Pontus, & Æther,
Et tumidi paret tristior ira Noti.
Tu pelagi jam Numen eris, tibi gloria sævis
Vorticibus pressas eripuisse rates,
Et servasse pios violento e gurgite nautas,
Et salvos patriis restituisse focis.
Nec jam Ledæos felicia sidera fratres
Jactatus tumidis nauta vocabit aquis;
Sed te exorabit, sævoque erepta Profundo
Turba dabit sanctis mascula tura focis,
C Certatimque tuas extollet, Maxime, laudes,
Suspendetque sacris humida lina tholis;
Et tibi Erythræo vectas e litore gemmas
Et tibi Hydaspæas læta dicabit opes.
Hæc tibi erunt laudes, & munera magna domanti
Ventorum insanas, Oceanique minas;
At fluctus curarum, atrique cupidinis æstus
Si tandem infelix te tribuente cadent,
Gloria major erit mentis componere fluctus,
D Quàm dare ventoso jura verenda salo.
Non ego fluctisonum fundam trabe nauta Profundum,
Nec timeo vestras, Eure proterve, minas,
Non scopulos, syrtesque, & monstra natantia ponto,
Fulminaque, & ventis quæ maria alta tument.
Sed tamē in cupido tempestas horrida surgit
Pectore, quæ mentem concutit atra meam.
Hanc animi nubem, & sævos, Pater optime, fluctus
E Horreo, & infelix deprecor exitium.
Nam velut in medio deprensam gurgite puppim
Hinc Boreas, illinc turbidus Auster agit;
Quæ tandem sævo usque usque oppugnata Profundo.
Mergitur, & vastis obruta fertur aquis.
Sic animum vexant, sic turbida pectora curæ,
Diversique agitant hinc amor, inde metus;

Et nisi tam rapidos tandem aura benignior æstus F
Tranquillet, misero nulla relicta salus.
Tu requiem curis, finemque impone labori,
Nam potes, o ceptis aura secunda meis.
Tu menti lucem, tu gaudia redde serenæ,
Per vada jactatam tu rege vasta ratem;
Ut meritas dicam sacro tibi carmine laudes,
Et manibus puris debita dona feram.

Animus humanus Astris comparatur.

QUisquis perpetuos ignes miraris Olympi, G
Claraque formosi lumina Solis amas;
Attonitum si te manifesto numine Mundi
Æternis urunt sidera læta choris;
Tolle animos, mentemque tuam, ceu Numen, adora,
Quæ pars est Cœli pectore clausa tuo.
Scilicet humanos agitat qui spiritus artus,
Vis est e puris Ætheris hausta globis.
Graja nec Japeri mentitur fabula Natum,
Qui tulit accensam Solis ab ore facem,
Nostraque Phœbeis animavit pectora flammis, H
Jussit & humano in corde habitare Deum.
Hinc hominum mens est æternis æmula flammis,
Et patrii multum sideris instar habet.
Aurea perpetuo volvuntur sidera motu;
Ambit mens orbes irrequieta suos.
Astra suo currunt, & complent lumine Mundum;
Naturæ molem mens operosa videt. I
Arcanis numeris, arcano sidera cantu
Æternæ Siren conscia legis agit;
Mens humana suos numeros, legesque sequuta
Se movet, & tacito membra vigore ciet.
Sidera Divini sunt lucida Solis imago?
Artificis magni mens simulacra gerit.
Idem sideribus, qui puris mentibus ardor,
Vis eadem implacidæ nescia mortis inest.
Atque utinam infandis mens non se mergeret umbris, K
Esset siderea clarior illa face.
Nunc languet tenebris heu circumfusa profundis,
Illius & nubes obruit atra jubar;
Nec dulcis meminit Patriæ, nec originis altæ,
Quæque subire polo debuit, hæret humo.

Ε'ΙΣ Ο'ΥΙΝ'ΚΕΝΤΙΟΝ Α'ΟΥ'ΛΛΑΝ

Νῦν σέο, φίλε, πόθῳ δεδμημένος ἦτορ ἀπαυδῶ
Κέιμενος ἔντε κακοῖς, ἔντε γόοισι τάλας.
Μηδὲν ἐμοὶ, μηδὲν χωρὶς σέθεν ἡδὺ λέλειπται, L
Α'λλὰ κατηφάη καρτερὰ, καὶ στοναχάι:
Οὐδέ με Πιερίδες κῦραι Διὸς ὐδέ μ' Α'πόλλων,
Οὐ τέρπει Μυσῶν ἡ χαρίεσσα λύρη,

Οἱ Χάριτες, Νυμφέαι τ', ἔτ' αὐτὸς Ι'ακχος ἀοίδιων,
A Πάντων τ' ἀνθρώπων δὲ μέγα χάρμα πέλει:
Φαίνεται Η'ελίοιτε, κ̀ ἀςρῶν φέγγος ἀηδὲς,
Κὐκέτι λαμπρὸν ἰδεῖν, κ̀ βαρὺ, κ̀ χαλεπόν:
Οὐ σε βλέπω γὰρ ἐμῆς ψυχῆς πολὺ φίλτερον ἄλλο
Φέγγος, καὶ φιλίας ὄμμα φαεινότατον.
Ω'ς δ' ἐξ ὀφθαλμῶν ὅτε φῶς ἄσπαςον ἀπῆλθε,
Πάντα σκότους πληρῆ, καὶ κενα πάντα χαρᾶς.
Οὐδὲν ἔτ' ἐςὶ καλὸν, κατέχει νὺξ πάντα, καὶ εἶδος,
Καὶ χροιὰν πάντων ςυγνὸν ἔκρυψε κνέφας,
Μηδὲν ἐμοὶ φαιδρὸν, γλυκὺ μηδὲν ἄποντος Ε'ταίρυ,
Α'λλὰ λύπη ςυγερῷ μ' ἀμφεκάλυψε νέφει.

ΚΟ'ΡΗΣ Ε'ΠΑΙΝΟΣ.

Ω'Σ ῥόδον εἰαρινοῖσι μεταπρέπει ἄνθεσιν, ἄλλων
Τοῦ κάλλει προφέρεις, ἱμερόεσσα Κόρη:
B Σοὶ γὰρ δῶρα Χάρις δόσεν ἀγλαὰ μυρία, Κύπρις
Ω'πασέ τοι κάλλος χρύσεα θεσπέσιον,
Αὐτῆς δῶρον ἔχεις τὸ πρόσωπον ἐφίμερον, αὐτῆς
Χεῖρας ἔχεις λεπῖὰς, λδυκοτέρας χιόνος,
Α'μβροσίας τε κόμας, καλά τ' ὄμματα, ϗ φλογόεντα,
Ι'ερὸν ὥςε φόως Η'ελίοιο πέλει,
Χείλεά τ' ἱμερόεντα νέοις ἐφάμιλλα ῥόδοισι,
Καὶ τὰ παρειάων ἄνθεα, ϗ τὸ φάος,
Α'μβροτα ταῦτα καλῆς, θαυμαςά τε Κύπριδος, ἄλλων
Α'θανάτων δ' ὐδεὶς δῶρα δύναιτο λέγειν.
C Ζεὺς ὑψιβρεμέτης μεγαλήτορα θυμὸν ἔδωκεν,
Σώφρονα νῶν Παλλὰς, καὶ πολύμητιν ἔχειν,
Σεμνὸν τ' εἰσιδέειν Η'ρη, χαρίεν τε πρόσωπον,
Καὶ κεφαλῇ θέιαν σῇ κατέχευε χάριν,
Α'νθος ἐπιςτείρει Αἰδὼς χαρίεσσα παρείαις
Αἰεὶ γιγνόμενον, καὶ τ' ἔρωτα τρέφει.
Πειθὼ δ' ἐκ χειλέων ὄπα λειριόεσσαν ἵησι
Νέκταρ ἀπὸ ςηθῶς ἡδὺ χέουσα λόγων,
Καλὸν ἀειδούσης ἐπιήρανός ἐςιν Α'πόλλων,
Ε'ν ᾗ φίλαις Ε'ρατὼ χερσὶν ἔθηκε λύρην,
D Τάς τε φρένας βάλλει, καὶ ἀτείρη ςήθεα δαμνᾷ
Η'μενος ἐν καλοῖς ὄμμασιν αὐτὸς Ε'ρως.
Τί χρὴ μακρολογεῖν; πάντες θεοὶ ὐρανίωνες
Κάλλεσιν εἰδομένην θῆκαν ἐπυρανίοις,
Ε'ξοχα καὶ φρόνιμον, ϗ κόσμιον ἦθος ἔχυσαν,
Η'διςόν τ' ἄλγος, καὶ γλυκὺ πῆμα Νέοις.
Ω'σπερ γὰρ ποτε Πανδώρην θεοὶ αἰὲν ἐόντες
Τοῖς δώροις αὐτῶν ὐλομένην ἔθεσαν,
Οὕτω καί σε θεοὶ δώροις μεγάλοισι ποίησαν
Ε'μμεναι ὐκ ἀγαθὴν ἀνδράσιν, ἀλλὰ κακήν.
Πλήν συ κακ' ὐκ ἀφίεις ἐκ κρυεροῖο πίθοιο,
Α'λλ' ἐξ ὀφθαλμῶν, ἔκτε καλοῦ ςόματος:
E Εἴς σε βλέπων γὰρ ἀνὴρ, ϗ ἀκούων ἀδὺ λαλεύσης
Α'γριον ἐξαίφνης ἕλκος ἔρωτος ἔχει.
Δὴ τότε δυςήνῳ πῦρ τ' ἄσπετον ἔμπεσε θυμῷ,
Καὶ πόθος ἀργαλέος τόνδ' ἐδάμασσε φρένας,
Αἰεὶ ᾗ ςοναχαῖς, ϗ δάκρυσι τέρπεται αἰεί,
Α'λγεα, γυιοκόρους καὶ μελεδῶνας ἔχει,
Καὶ μανίαις ἄγεται, καὶ νειόθι τείρεται αἰνῶς
Θυμὸν, κ' ὔποτέ μιν μαλθακὸς ὕπνος ἕλοι,
Καὶ ταραχὴ κραδίην, καὶ ὁ τρόμος ἔλλαβε γυῖα,
Καὶ μέλαν ὀφθαλμὺς ἀμφεκάλυψε νέφος,
Τοσοῦτον κακόν ἐστὶ βροτοῖς ἀγαθήπερ ἐοῦσα,
Οἷσιν ἀμηχανίην ὄμματα καλὰ φέρει.

Εἵνεκα τῶνδε, κόρη, σ' οὐ μέμφομαι, ὐδὲ μεγαίρω,
Τίς γὰρ ϗ θείοις κάλλεσιν ἐχθρὸς ἔφυ; F
Α'θανάτων μορφὰς ὐκ ἀσφαλές ἐςιν ὁρᾶσθαι,
Μυρίατ' ὐράνιον πήματα κάλλος ἔχει.
Παλλάδα Τειρεσίας γυμνὴν ποτε μάντις ἀμύμων
Ε'βλεψ', ὀφθαλμῶν τόνδ' ἀλάωσε θεά.
Α'ρτεμι θηροφόνος, σ' ὁρόων ἐν νάμασι λδυκοῖς
Ε'ς κακὸν Ακτάιων πίπλεν ἀπειρέσιον.
Τὴν μελέαν Σεμέλην Δία τερπικέραυνον ὁρῶσαν,
Καὶ φλογὰ θεσπεσίην τῦ φοβέροιο πυρὸς
Εἶλε σκότος, μεγάλῃ κ̀ ἔφλεξε κέραυνος ἐραςῦ,
Καὶ θάνε Ζηνὶ φίλη καίπερ ἐῦσα κόρη.
Οὐκ οὖν θαυμαςὸν σέθεν εἰσορόωντας ὁμοίον
Αθανάτοις κάλλος, ϗ κακὸν οἴ θυς ἔχειν.

Eadem Elegia latinè reddita.

UT quæ vere novo Paphiis rosa nascitur hortis G
Pulchrior, & Dominæ tincta cruore fuæ;
Et fpecie vernis, & grato præftat odore
Floribus, & latè confpicienda nitet,
Hac Nymphæ cupiunt flavos redimire capillos,
Hanc gerit ornatis & Venus ipfa comis.
Sic formofa nites æquales inter, & omnes
Sic rofeis vincis, culta puella, genis;
Splendida nam Charites tibi munera mille dederunt,
Et formam Cypris juffit habere fuam; H
Illa tibi niveafque manus, & lactea colla,
Intactâ finxit candidiora nive,
Purpureas imitata rofas & labra, genafque,
In quibus & formæ flos, & amoris ineft;
Flaventefque comas, formofaque lumina fecit,
Æmula luminibus fideris effe fui.
Hæc Cytherea tibi dedit aurea dona; quis autem
Enumeret, faciles quæ tribuere Dei?
Magnanimam mentem finxit tibi Juppiter Auctor, I
Ingeniumque fagax docta Minerva dedit;
Affudit Juno capitique, humerifque decorē,
Ut non pulchra magis, quàm veneranda fores;
At quæ formofo ftat blanda modeftia vultu,
Te decet, & flammas femper amoris alit;
Infidet & rofeo Dea Suada loquentis in ore,
Eloquiumque alto e pectore dulce trahit.
Ipfe tibi vocem Phœbus dedit, ipfa canenti
Tradidit argutam Calliopea lyram; K
Et rigidas victor mentes domat, afpera bella
Dum movet, inque genis excubat acer Amor.
Singula quid memorem? formam tibi Numina Divûm
Cœlicolûm formis cuncta dedere parem;
Et fecere piam, fecerunt pectoris alti
Præftantem egregiis, ingeniique bonis.
Hinc omnes uris, cunctorum hinc caufa malorum es,
Quæ parit, & nobis nutrit acerbus Amor.
Nam

Nam velut humano generi Pandora superbis
A Muneribus Divûm perniciosa fuit;
Sic tibi, quæ faciles tribuerũt munera Divi,
Ah miseris luctum, perniciemque ferunt.
Illa sed emisit damnoso e vase malorum
Agmina, tu pulchris candida luminibus.
Nam quicumque tuos adversùs spectat ocellos,
Ah crudele miser vulnus amoris habet,
Illius & mollis populatur flamma medullas,
Et desiderio pectora victa gravi,
Et semper lacrymas, semper suspiria ducit,
B Et semper curis anxius usque gemit,
Et furit infelix, intabescitque, nec umquam
Illum blanda quies, aut sopor altus habet,
Caligant oculi, fessos tremor occupat artus,
Et concussa gravi turbine corda micant.
Tantum, pulchra, malum, Virgo, es Mortalibus ægris,
Exitio quorum forma reperta tua est.
Nec tamen incuso fulgentia lumina demẽs,
Nec faciem damno, cara puella, tuam;
Nam quis Cœlicolûm formas odisse protervus
C Audeat, aut magnos increpuisse Deos?
Non tamen ora licet Cœlestũ impune tueri,
Et visi damno sæpe fuere Dei.
Ipse oculis caruit, vidit qui Pallada vates,
Candida dum puro in gurgite membra lavat;
Spectantem, Actæon, te corpora nuda Dianæ
Sævior immitis perdidit ira Deæ;
At miseram Semelen, votis culpanda superbis
D Dum videt ora Jovis, fulmineamque facẽ,
Mors rapuit, magnique exussit fulmen Amantis,
Et cecidit quamvis grata puella Jovi.
Quæ si vera ferunt vates, augusta nec umquam
Cernere magnorum profuit ora Deûm;
Non miror, formam qui te Cœlestis habentẽ
Aspiciunt, subito tristia damna pati.

Ad Amicum.

E DUm Tyrrhena Jugo te detinet ora salubri,
Et patrii genius te capit usque soli,
Urbs Regina plagæ pulcherrima gaudet Etruscæ,
Cui te cive frui jam propiore licet.
Tyrrhenæ gaudent urbes, populique, Patresque,
Cumque suis pubes rustica Numinibus,
Cum Satyris Fauni, Dryades cum Najade Nymphæ,
Et tener evantes ducis, Jacchè, choros.
Ipsi lætitiâ colles gestire videntur,
Antraque jam nomen fessa referre tuum,
Lætiùs & summis decurrere mõtibus amnes,
Silvaque frondosis alta virere comis.

Solus ego infelix non publica gaudia sensi,
Soli cura mihi triste cor intus edit, F
Lætitias mæsto ex animo nam depulit omnes
Libertas misero dulcis adempta mihi,
Aurea libertas, qua nil pretiosius usquam,
Qua sine lux oculis fulget amara meis;
Mensque ægra assiduo curarum fluctuat æstu,
Atque animum nubes atra doloris habet;
Nec procul exitium mihi abest, sed protinus altos
Attonito fluctus naufragus ore bibam;
Nam Cœlo splendet nullum mihi sidus amicum,
Et furit insolitis æquoris ira minis.

IN LAUDEM DIVÆ

MAGDALENÆ PACTIÆ

Hymnus.

CAlliope, nostris felix allabere ceptis,
Et tu, Phœbe, novas in carmina suffice vires; G
Magnũ opus aggredior; nunc o felicibus ora
Solve modis, mentemque auris audacibus imple,
Nunc animum trepidantem alto se credere Cœlo,
Hærentemque solo sublimem attolle: volatu
Æthereo duc o volucrem per devia mentem,
Et mecum molire viam, qua nubila vincam,
Arduaque immensi trans̃ penetralia Mundi.
Aut [quoniam non Pierides, non altus Apollo H
Audet opus tentare] meis, pulcherrima, votis,
Diva, fave, Civem quam nobilis Arnus adorat,
Ignarumque viæ, succumbentemque labori,
Ductrix magna, rege, & præsenti Numine firma
Attonitum vatem; tibi enim, tibi, maxima Virgo,
Ordior audaci modulari carmina plectro.
At dum suavis Amor rapido me concitat Oestro, I
Et resonare juvat laudum decora alta tuarũ,
Mens oppressa labat sub pondere, nescia quo se
Vertat, & in tanto caligat lumine rerum.
Nam quam te memorem? quo facta ingentia dicam
Ore? quibus numeris immensam evolvere nitar
Virtutum seriem? quæ digna exordia sumã?
Quid priùs admirer? genus alto a sanguine ductum, K
Egregias laudes, & nomina clara parentum,
Fortunamque domus, & pulchræ frontis honores?
An dotes animi, splendoremque indolis altæ,
An

Οὐ Χάριτες, Νυμφάετ', ὐτ' αὐτὸς Ἴακχος ἀοίδων,
A Πάντων τ' ἀνθρώπων ὃς μέγα χάρμα πέλει:
Φάινεται Ἠέλιος τε, κ' ἀστρῶν φέγγος ἀηδές,
Κὐκέτι λαμπρὸν ἰδεῖν, κ' βαρὺ, κ' χαλεπόν:
Οὐ σε βλέπω γὰρ ἐμῆς ψυχῆς πολὺ φίλτερον ἄλλο
Φέγγος, καὶ φιλίας ὄμμα φαεινότατον.
Ὡς δ' ἐξ ὀφθαλμῶν ὗτε φῶς ἄσπαστον ἀπῆλθε,
Πάντα σκότους πληρῆ, καὶ κενὰ πάντα χαρᾶς.
Οὐδὲν ἔτ' ἐστὶ καλὸν, κατέχει νὺξ πάντα, καὶ εἶδος,
Καὶ χροιὰν πάντων στυγνὸν ἔκρυψε κνέφας,
Μηδὲν ἐμοὶ φαιδρὸν, γλυκὺ μηδὲν ἄπαντος Ἑταίρου,
Ἀλλὰ λύπη στυγερῷ μ' ἀμφεκάλυψε νέφει.

ΚΟΡΗΣ ΕΠΑΙΝΟΣ.

ΩΣ ῥόδον εἰαρινοῖσι μεταπρέπει ἄνθεσιν, ἄλλων
Τοῦ κάλλει προφέρεις, ἱμερόεσσα Κόρη:
B Σοὶ γὰρ δῶρα Χάρις δόσεν ἄγλαα μυρία, Κύπρις
Ὤπασέ τοι κάλλος χρύσεα θεσπέσιον,
Αὐτῆς δῶρον ἔχεις τὸ πρόσωπον ἐφίμερον, αὐτῆς
Χεῖρας ἔχεις λεπτὰς, λευκοτέρας χιόνος,
Ἀμβροσίας τε κόμας, καλά τ' ὄμματα, καὶ φλογόεντα,
Ἱερὸν ὥστε φόως Ἠελίοιο πέλει,
Χείλεά τ' ἱμερόεντα νέοις ἐφάμιλλα ῥόδοισι,
Καὶ τὰ παρειάων ἄνθεα, καὶ τὸ φάος,
Ἄμβροτα ταῦτα καλῆς, θαυμαστά τε Κύπριδος, ἄλλων
Ἀθανάτων δ' οὐδεὶς δῶρα δύναιτο λέγειν.
C Ζεὺς ὑψιβρεμέτης μεγαλήτορα θυμὸν ἔδωκεν,
Σώφρονα νοῦν Παλλὰς, καὶ πολύμητιν ἔχειν,
Σεμνόν τ' εἰσιδέειν Ἥρη, χαρίεν τε πρόσωπον,
Καὶ κεφαλῇ θείαν σῇ κατέχευε χάριν,
Ἄνθος ἐπισπείρει Αἰδὼς χαρίεσσα παρειαῖς
Αἰεὶ γιγνόμενον, καὶ τὸν ἔρωτα τρέφει.
Πειθὼ δ' ἐκ χειλέων ὄπα λειριόεσσαν ἵησι
Νέκταρ ἀπὸ στηθῶν ἡδὺ χέουσα λόγων,
Καλὸν ἀειδούσης ἐπιήρανός ἐστιν Ἀπόλλων,
Ἐν δὲ φίλαις Ἐρατὼ χερσὶν ἔθηκε λύρην,
D Τάς τε φρένας βάλλει, καὶ ἀτείρη στήθεα δαμνᾷ
Ἥμενος ἐν καλοῖς ὄμμασιν αὐτὸς Ἔρως.
Τί χρὴ μακρολογεῖν; πάντες θεοὶ οὐρανίωνες
Κάλλεσιν εἰδομένην θῆκαν ἐπουρανίοις,
Ἔξοχα καὶ φρόνιμον, καὶ κόσμιον ἦθος ἔχουσαν,
Ἥδιστόν τ' ἄλγος, καὶ γλυκὺ πῆμα Νέοις.
Ὥσπερ γὰρ ποτε Πανδώρην θεοὶ αἰὲν ἐόντες
Τοῖς δώροις αὐτῶν οὐλομένην ἔθεσαν,
Οὕτω καί σε θεοὶ δώροις μεγάλοισι ποίησαν
Ἔμμεναι οὐκ ἀγαθὴν ἀνδράσιν, ἀλλὰ κακήν.
Πλήν σου κακ' οὐκ ἀφίεις ἐκ κρυεροῖο πίθοιο,
Ἀλλ' ἐξ ὀφθαλμῶν, ἔκ τε καλοῦ στόματος:
E Εἴς σε βλέπων γὰρ ἀνὴρ, καὶ ἀκούων ἡδὺ λαλούσης
Ἄγριον ἐξαίφνης ἕλκος ἔρωτος ἔχει.
Δὴ τότε δυστήνῳ πῦρ τ' ἄσπετον ἔμπεσε θυμῷ,
Καὶ πόθος ἀργαλέος τόνδ' ἐδάμασσε φρένας,
Αἰεὶ δὲ στοναχαῖς, καὶ δάκρυσι τέρπεται αἰεί,
Ἄλγεα, γυιοκόρους καὶ μελεδῶνας ἔχει,
Καὶ μανίαις ἄγεται, καὶ νεῦθι τείρεται αἰνῶς
Θυμὸν, κ' οὔποτέ μιν μαλθακὸς ὕπνος ἕλοι,
Καὶ ταραχὴ κραδίην, καὶ ὁ τρόμος ἔλλαβε γυῖα,
Καὶ μέλαν ὀφθαλμοὺς ἀμφεκάλυψε νέφος,
Τοσοῦτον κακὸν ἐστὶ βροτοῖς ἀγαθήπερ ἐοῦσα,
Οἷσιν ἀμηχανίην ὄμματα καλὰ φέρει.

Εἵνεκα τῶνδε, κόρη, σ' οὐ μέμφομαι, οὐδὲ μεγαίρω,
Τίς γὰρ καὶ θείοις κάλλεσιν ἐχθρὸς ἔφυ; F
Ἀθανάτων μορφὰς οὐκ ἀσφαλές ἐστιν ὁρᾶσθαι,
Μυρία τ' οὐράνιον πήματα κάλλος ἔχει.
Παλλάδα Τειρεσίας γυμνήν ποτε μάντις ἀμύμων
Ἔβλεψ', ὀφθαλμῶν τόνδ' ἀλάωσε θεά.
Ἄρτεμι θηροφόνος, σ' ὁρόων ἐν νάματι λευκῷ
Ἐς κακὸν Ἀκταίων πίπτεν ἀπειρέσιον.
Τὴν μελέαν Σεμέλην Δία τερπικέραυνον ὁρῶσαν,
Καὶ φλογὰ θεσπεσίην τοῦ φοβέροιο πυρὸς
Εἷλε σκότος, μεγάλου κ' ἔφλεξε κέραυνος ἐραστοῦ,
Καὶ θάνε Ζηνὶ φίλη καίπερ ἐοῦσα κόρη.
Οὐκ οὖν θαυμαστὸν σέθεν εἰσορόωντας ὁμοῖον
Ἀθανάτοις κάλλος, καὶ κακὸν οὐ θύες ἔχειν.

Eadem Elegia latinè reddita.

UT quæ vere novo Paphiis rosa nascitur hortis G
Pulchrior, & Dominæ tincta cruore suæ;
Et specie vernis, & grato præstat odore
Floribus, & latè conspicienda nitet,
Hac Nymphæ cupiunt flavos redimire capillos,
Hanc gerit ornatis & Venus ipsa comis.
Sic formosa nites æquales inter, & omnes
Sic roseis vincis, culta puella, genis;
Splendida nam Charites tibi munera mille dederunt,
Et formam Cypris jussit habere suam; H
Illa tibi niveasque manus, & lactea colla,
Intactâ finxit candidiora nive,
Purpureas imitata rosas & labra, genasque,
In quibus & formæ flos, & amoris inest;
Flaventesque comas, formosaque lumina fecit,
Æmula luminibus sideris esse sui.
Hæc Cytherea tibi dedit aurea dona; quis autem
Enumeret, faciles quæ tribuere Dei?
Magnanimam mentem finxit tibi Juppiter Auctor, I
Ingeniumque sagax docta Minerva dedit;
Affudit Juno capitique, humerisque decorẽ,
Ut non pulchra magis, quàm veneranda fores;
At quæ formoso stat blanda modestia vultu,
Te decet, & flammas semper amoris alit;
Insidet & roseo Dea Suada loquentis in ore,
Eloquiumque alto e pectore dulce trahit.
Ipse tibi vocem Phœbus dedit, ipsa canenti
Tradidit argutam Calliopea lyram; K
Et rigidas victor mentes domat, aspera bella
Dum movet, inque genis excubat acer Amor.
Singula quid memorem? formam tibi Numina Divûm
Cœlicolûm formis cuncta dedere parem;
Et fecere piam, fecerunt pectoris alti
Præstantem egregiis, ingeniique bonis.
Hinc omnes uris, cunctorum hinc causa malorum es,
Quæ parit, & nobis nutrit acerbus Amor.

Nam

Nam velut humano generi Pandora superbis
A Muneribus Divûm perniciosa fuit;
Sic tibi, quæ faciles tribuerūt munera Divi,
Ah miseris luctum, perniciemque ferunt.
Illa sed emisit damnoso e vase malorum
Agmina, tu pulchris candida luminibus.
Nam quicumque tuos adversus spectat ocellos,
Ah crudele miser vulnus amoris habet,
Illius & mollis populatur flamma medullas,
Et desiderio pectora victa gravi,
Et semper lacrymas, semper suspiria ducit,
B Et semper curis anxius usque gemit,
Et furit infelix, intabescitque, nec umquam
Illum blanda quies, aut sopor altus habet,
Caligant oculi, fessos tremor occupat artus,
Et concussa gravi turbine corda micant.
Tantum, pulchra, malum, Virgo, es Mortalibus ægris,
Exitio quorum forma reperta tua est.
Nec tamen incuso fulgentia lumina demēs,
Nec faciem damno, cara puella, tuam;
Nam quis Cœlicolûm formas odisse protervus
C Audeat, aut magnos increpuisse Deos?
Non tamen ora licet Cœlestū impune tueri,
Et visi damno sæpe fuere Dei.
Ipse oculis caruit, vidit qui Pallada vates,
Candida dum puro in gurgite membra lavat;
Spectantem, Actæon, te corpora nuda Dianæ
Sævior immitis perdidit ira Deæ;
At miseram Semelen, votis culpanda superbis
D Dum videt ora Jovis, fulmineamque facē,
Mors rapuit, magnique exussit fulmen Amantis,
Et cecidit quamvis grata puella Jovi.
Quæ si vera ferunt vates, augusta nec umquam
Cernere magnorum profuit ora Deûm;
Non miror, formam qui te Cœlestis habentē
Aspiciunt, subito tristia damna pati.

Ad Amicum.

E DUm Tyrrhena Jugo te detinet ora salubri,
Et patrii genius te capit usque soli,
Urbs Regina plagæ pulcherrima gaudet Etruscæ,
Cui te cive frui jam propiore licet.
Tyrrhenæ gaudent urbes, populique, Patresque,
Cumque suis pubes rustica Numinibus,
Cum Satyris Fauni, Dryades cum Najade Nymphæ,
Et tener evantes ducis, Jacche, choros.
Ipsi lætitiâ colles gestire videntur,
Antraque jam nomen fessa referre tuum,
Lætiùs & summis decurrere mōtibus amnes,
Silvaque frondosis alta virere comis.
Solus ego infelix non publica gaudia sensi,
Soli cura mihi tristis cor intus edit, F
Lætitias mœsto ex animo nam depulit omnes
Libertas misero dulcis adempta mihi,
Aurea libertas, qua nil pretiosius usquam,
Qua sine lux oculis fulget amara meis;
Mensque ægra assiduo curarum fluctuat æstu,
Atque animum nubes atra doloris habet;
Nec procul exitium mihi abest, sed protinus altos
Attonito fluctus naufragus ore bibam;
Nam Cœlo splendet nullum mihi fidus amicum,
Et furit insolitis æquoris ira minis.

IN LAUDEM DIVÆ
MAGDALENÆ PACTIÆ
Hymnus.

CAlliope, nostris felix allabere ceptis,
Et tu, Phœbe, novas in carmina suffice vires; G
Magnū opus aggredior; nunc o felicibus ora
Solve modis, mentemque auris audacibus imple,
Nunc animum trepidantem alto se credere Cœlo,
Hærentemque solo sublimem attolle: volatu
Æthereo duc o volucrem per devia mentem,
Et mecum molire viam, qua nubila vincam,
Arduaque immensi tranē penetralia Mundi.
Aut [quoniam non Pierides, non altus Apollo H
Audet opus tentare] meis, pulcherrima, votis,
Diva, fave, Civem quam nobilis Arnus adorat,
Ignarumque viæ, succumbentemque labori,
Ductrix magna, rege, & præsenti Numine firma
Attonitum vatem; tibi enim, tibi, maxima Virgo,
Ordior audaci modulari carmina plectro.
At dum suavis Amor rapido me concitat Oestro, I
Et resonare juvat laudum decora alta tuarū,
Mens oppressa labat sub pondere, nescia quo se
Vertat, & in tanto caligat lumine rerum.
Nam quam te memorem? quo facta ingentia dicam
Ore? quibus numeris immensam evolvere nitar
Virtutum seriem? quæ digna exordia sumā?
Quid priùs admirer? genus alto a sanguine ductum, K
Egregias laudes, & nomina clara parentum,
Fortunamque domus, & pulchræ frontis honores?
An dotes animi, splendoremque indolis altæ,
An

An decus ingenii, mentisque capacis acumen?
A Hinc trahor, & revocat virtus, quantumque minores
Luna faces vincit puris argentea flammis,
Tantum alias vincit laudes pulcherrima, tantum,
Pactia, te veteres tollit super Heroinas.
Te pietas teneris lactentem fovit in ulnis,
Et pudor, & probitas, & Nominis alma propago
Gratia, Relligioque animum vinctura pudicum,
B Virginis & cunas circumvolitastis Amores,
Et decor, & magnæ laturis immulsit Alumnæ
Nectar, & æternam Ambrosiam Sapientia nutrix,
Et teneros artus, gressusque modestia finxit.
Mox ubi prima ætas puerili floruit ævo,
Non te deliciæ molles, non blanda voluptas
Cepit, & illecebris fortissima pectora movit;
Non studium formæ, non comere cura capillos,
Non ludus cordi, non fregit inertia mentem,
C Non luxus mollis, nec opum vesana cupido;
Unus amor turpes animi sedare tumultus,
Pectoris indomiti sævas arcere procellas,
Degenerasque metus, cordisque immania monstra
Comprimere, & cæcos frenare Cupidinis ignes,
Et terris mentem eripere, atque attollere Cœlo;
Nec non in luctu vigiles producere noctes;
Et veniam orare, & precibus placare Tonantem.
D Hic ego Mæoniom quamvis æquare canendo,
Ascræumque Senem possem, citharamque, modosque
Ipse mihi vatum princeps donaret Apollo,
Obruerer laudum numero, & sub pondere tanto
Deficerem; tenui quid nunc ingratus avenâ
Facta canam Superis ipsis miranda, Deoque?
Quid sacras memorem curas, animumque pudicum?
E Quid mētis robur, quid pectora nescia vinci
Dulcibus illecebris, quid casti incendia cordis?
Mitia Divini quid Amoris spicula, qoid te
Crudelis pietas, quæ sævam in vulnera dextram
Armas, & teneros flagris immanibus artos
Dilacerare jubes, & fundere sanguinis imbres?
Ah nimium crudelis Amor, sic lactea membra,
F Sic teneros lanias artus? en verbere duro
Languet formosæ flos vividus ille juventæ.
Qualiter assiduis Pæstana rosaria nimbis
Purpureum decus amittunt, aut lilia pallent,
Turbidus immiti quæ grandine verberat Æther.

Nec satis hoc? etiam superis instantia mensis
Abstinet ora cibis, epulasque axola Virgo G
Deterit exiguas vires, atiam altus Olympi
Rector pœnarū sæva instrumenta ministrat;
Et sertum horrendum, dumisque immane cruentis
Virgineo imponit capitl, sociamque doloris
Esse jubet, quem hausit quondam, quom funere acerbo
Hūanū eriperet genus atri e faucibus Orci.
Quid querar? hæc Cœli sunt vulnera grata, medelam
Tela ferunt, quæ vibrat Amor Divinos, & insons H
Pectus amaritie, quam Numen amabile miscet,
Gaudet, & exultat; sed quis furialia monstra,
Tartareamque aciem, totumque Acheronta moveri
Virginis in cladem, stygiosque immane colubros
Intentare piæ ferat agmina sæva sororum?
Tu tamen has contra furias, contra omnia tela I
Inconcussa manes, horrendumque impigra bellum,
Et rabiem perfers surgētis in Æthera Ditis;
Nec te ullæ facies, non torto verbere terret
Tisiphone, & diro bacchata furore Megæra,
Hydræque, Scyllæque, horrendoque ore Chimeræ.
Ac velut Æthereas se tollit Olympus in arces;
Ventorum si quando minæ intonuere, fremitque K
Nubibus, & nigrâ densum caligine Cœlum;
Ille manet, sævas Caurorum & despicit iras,
Fulmineasque faces, tempestatemque furentem,
Et puro fruitur Sole, & lucentibus astris;
Sic, præstans animi Virgo, Phlegethonta refusum
In tua damna domas tātis interrita monstris.
Salve, bellatrix, salve, o clarissima victrix,
Et palmis lætare tuis; hinc scilicet altæ
Mentis opes crevere tibi, hinc patuere beati L
Tēpla serena poli, & menti sese obtulit ultro
Æternum, immensum, & non enarrabile Numen.
Dum langues flammis, & dulci saucia telo,
Hic tibi se pandit vis alti immensa Tonantis,
Immensum lumen, immensique ardor Amoris,
Qui nectit cum Prole Patrem, Natoque, Patrique
Idemque, atque alius, Numenque, & spiritus ingens;
Fecundo Pater obtutu æternamque, paremque M
Progenerat Prolem, Proles immensa, Paterque,
Dum pariter redamant, ignisque reciprocus ardet,

Æquæ-

Æquævum spirant, & compar flamen utri-
A que.
Scilicet hic Sol, æternâ qui luce beatas
Irradiat mentes, & flammis urit Amoris;
Hic fons, qui Superos æterno Nectare pascit,
Unde voluptatis Divinæ vena redundat.
Sed quò, Musa, ruis? fatis est tentasse verendas
Virginis Augustæ laudes, quid sidera supra
Tendis? in immensum quid figis lumina lucem?
B Mentibus & Superûm vix intellecta beatis
Audaci tentas arcana evolvere cantu?
Desine, non semper felix audacia vincit.
At tu sidereo, Virgo gratissima Regi,
Aspice dilectos felici lumine cives,
Auxilioque tuere tuos, atque Æthere ab alto
Hostiles iras, & tela inimica retunde;
Et si serta tibi, si mascula tura dicamus,
Concipimusque preces, & centum ponimus aras,
Ne sine vesanas rapere irrita vota procellas.

DIVUS ANTONINUS

Tempestatem futuram nautæ prædicit, eumque licèt non obtemperantem a naufragio liberat.

C AH nimiùm ventis confisus nauta secundis
Navigat Jonium, te prohibente, salum.
Ecce autem immensis tumidum mare fluctibus horret,
Et subito nubes cogitur atra Noto;
Aspera sævit hiems, præcepsque ulciscitur Auster
Imperium spretum, consiliumque tuum.
Orat opem infelix altis pæne obrutus undis;
Nec rapiunt celeres irrita vota Noti;
Quippe jubes misero crudeles parcere fluctus,
Et freta compositis alta jacere minis;
Et qui non hominem potuisti flectere dictis,
Dive, moves jussis æquora sæva tuis.

NASCITURI IMPERATORIS

DIVINATIO.

D MArs cupit invicto puerum de Cæsare nasci,
Qui subigat forti regna inimica manu;
Sed cupit Augustam Venus ambitiosa puellam,
Quæ facie Regum corda superba domet.
Ut voti compos sit, certat uterque, sed Orbe
Qui toto regnat, Mars, puto, victor erit.

IN DIVUM PHILIPPUM

BENITIUM.

QUæ tu, Dive, petis rigidi saxa aspera montis, E
Dant fontem jussis obsequiosa tuis.
Duritiam Alpinæ possunt tibi ponere cautes,
Mollis & e duris effluere unda jugis.
Et miramur adhuc, mentes quòd voce potenti
Flectis, & eloquio corda, Philippe, domas;
Quòd gemitum victi, lacrymasque dedere nocentes,
Et miseri culpis indoluere suis.
Quàm potes humano de pectore ducere fletus!
Qui fontem e rigidâ ducere caute potes.

BEATÆ JULIANÆ

FALCONERIÆ

Morientis risus.

RIdentem venisse ferunt in luminis oras, F
Qui tenuit sceptro subdita Bac... ra suo,
Rectiùs o quanto, lucem dum, Virgo, relinquis,
Rides funeream spernere nata facem!
Illi lætitiam vitæ mortalis origo,
Lux æterna tibi gaudia certa parit.

Gratiarum Actio.

MÆrentem patrio me funere, maxime Princeps, G
Respicis, & facilem fers miseratus opem.
Per te Lethæis videor mihi surgere ab undis,
Et mersum tenebris exeruisse caput.
Sic tua lux recreat, damnat quem cæca tenebris
Fortuna, & miserum non finis esse diu.
Æqua tibi dignas persolvat Numina grates,
Et faveant votis sidera prona meis;
Ut quoniam relevas miserorum funera, Princeps,
Candida Nestoreos dent tibi fata dies.

In Effigiem Redii.

ARs potuit Redii solers effingere vultus H
Muta, sed eloquium dulce referre nequit.
Quod si nosse cupis, doctos evolve libellos,
Edidit ingenii quæ monumenta sui;
Hinc animo mores, candorem & concipe magni
Pectoris, hæc species nam decet una Virum.

Gra-

Gratiarum Actio.

A Oniis utinam cupido mihi traderet artes,
Et chelyn, & vocem lætus Apollo suam;
Ut grates agerem vobis, ut carmine digno
Ornarē medieam, quam tribuistis, opem.
Vestra, quibus mutæ mihi dantur Apollinis artes,
Essent Phœbæis dona canenda modis.

In Effigiem Joannis Sarmatarum Regis.

B Sarmatici Regis qui martis conspicis ora,
Inclyta magnanimi facta revolve Ducis.
Pannoniæ campis quam victo Oriente locavit,
Illa est fulminei major imago Viri.

De uxore ducendâ.

C Si cupido priscis detur mihi moribus uxor,
Juppiter, invideam nil ego, magne, tibi.
Sin mala jungatur, malim jam Tantalus esse,
Accubat Alecto cujus acerba toris.

EPIGRAMMATA

Inscripta Tabulis, quæ in celeberrimo Beatæ MARIÆ Virginis Templo appensa illustria, & gloriosa facta Divi Philippi Benitii repræsentabant.

D Te spectatorem virtus vocat alta Philippi,
Cinctaque victrici gloria frōde comas,
Mitte alias curas, vacuusque huic pectora præbe,
Non animo species dignior ulla tuo est.

Non te fallaci deludit imagine somnus,
Magna Parens, veri somnia pondus habēt.
Quam cernis flammam, vincet mens ignea Nati,
Cui majus quondam lumen, & ardor erit.

E Ingressus vitæ vix limina prima Philippus
Jam docet e cunis, quæ facienda puer.
Quantus erit, firmata Viro quū venerit ætas,
Infans mirando qui cluet eloquio?

Divam cerne, vehit Leo quam cœlestis, & Agnus,
Et te sidereo jungo, Philippe, Jugo.
Conveniet cum utroque tibi; nam pectore forti,
Ut Leo, magnanimus, mitis, ut Agnus, eris.

Ut furiis places agitatam immanibus Urbem, F
Et quæ dissidiis aspera corda tument,
Mens tua, Dive, facit, quæ quum sibi fœdere certo
Concordet, discors jam finit esse nihil.

Delon Hyperborei quondam misere Triones,
Qui Lycii colerent Numina magna Dei;
Nunc ad te mittunt, tua, Dive, oracula poscunt; G
Majus Apollineo Numine Numen habes.

Tot proceres inter Sapientum lumina fulget
Ingenio princeps, eloquioque potens;
Et quorum in numero magnum foret esse, Philippi est
Maxima laus omni vincere laude viros.

Magne Philippe, jaces, & cassum luce cadaver H
Lumina supplicibus reddis adempta tuis,
Convulsos reparas artus, & mortua membra,
Sic vincis medio tristia fata rogo.

Restituis vitæ fatis mirantibus, Heros,
Quem puerum immiti funere Parca tulit;
Naturam egregio sic vincis munere, vitam
Nam reddis longam, quam dedit illa brevem.

Fuderat exhaustis animæ jam pabula venis
Femina crudeli pæne sepulta malo. I
Magne Philippe, tuo quæ reddita munere vitæ
Te victorem atri funeris esse docet.

Inclyta Apellæi non reddere facta colores,
Non potuit dignè Musa referre decus.
Spectator factis hæc exprime, nempe Philippum
Reddere sic meliùs, sic celebrare potes.



IN

IN EQUITEM
VINCENTIUM AULLAM
PATRICIUM PISANUM

Quum Juris utriusque Laureâ donaretur.

A JUstitiæ domus alta, domus non pervia fraudi,
Ardua polluto non adeunda pede;
Stat Dea, fulmineo quæ territat ense profanos,
Et faciles aditus præstat amica piis,
Sontibus horrendum ne templum tentet inire,
Tangere neu turpi sacra verenda manu,
Degeneres atro volvit qui pectore curas,
Cui mens ex humili surgere nescit humo:
B Cui scelus, & fraudes, & noxia crimina cordi,
Et furit in sævo pectore cædis amor;
Et scelerata fames auri, turpisque voluptas
Exagitat flammis quem, Cytherea, tuis;
Qui premit insontes, virtutemque impius odit,
Et miseris facilem ferre recusat opem.
Mens pura Ætherei, mens non oblita Parentis
Cui viget, obscuram spernit & ales humum;
C Et quem cana fides, & quem Sapientia vulgo
Eximit, & morum candor ad astra vehit;
Nec facibus victrix Erycina potentibus urit,
Nec rapit attonitum splendor avarus opum;
Non vulgi levis aura movet, nec iniqua jubentis
Transversum populi turbidus ardor agit;
Illi Augustæ Deæ sedes patet, ille Sacerdos
Eligitur magni Numinis, ille comes;
Illi sacrarum cedit custodia legum,
D Et vindex æqui est, & decus ille fori;
Et populis aptus tranquillâ pace regendis,
Et bonus est Patriæ condere jura suæ.
Hinc tibi, Vincenti juvenum lectissime, lauri
Ipsa Themis gaudet nectere fronde comam,
Justitiæque altum Penetrale recludere, & altam
Mentem, & secretæ mystica sacra Deæ.
Felix, nobilitas quem lumine clara superbo,
Lumine sed virtus nobiliore beat;
E Celsius & famâ, titulisque extollit avitis
Vis animi, & stellis inserit alta suis!
Tu studium Themidis primis complexus ab annis
Ausus es ignotas impiger ire vias?
Et legum abstrusas penitus lustrare latebras,
Et laudum abrupto in vertice ferre gradum.
Nec piguit tenerâ duros ætate labores
Ferre, neque ad curas incubuisse graves; F
Et studio longas insomni ducere noctes,
Et ludo æstivos eripuisse dies.
Nec te deliciis lascivi Mater Amoris
Flexit, & illecebris blanda juventa suis.
Aspera nequidquam meditatus bella Cupido
Intulit ardentes in tua damna faces.
Non sic Hippolytum pharetratæ curâ Dianæ
Jussit Acidalii spernere tela Dei;
Aut sic Palladiis Laertius artibus Heros
Circæâ sprevit mixta venena manu;
Respuit & vestros, proles Acheloja, cantus, G
Cœliferoque Deam fugit Atlante satam;
Edocuit Cyprias ut te contemnere flammas
Et Themis, & Clario juncta Minerva Deo.
Quid memorem, ut denso præceps nihil agmine pubes
In commune trahat candida corda nefas?
Illa voluptatum stimulis agitata protervis
Heu nihil jam vetitum, nil sibi turpe putat;
Sponte cupidineis dat brachia victa catenis,
Gestit & Idalium cæca subire jugum. H
Frustra jam leges effrenem, & jura coërcent,
Legem illi tantùm ponit iniquus amor.
Una Venus tenerâ victrix cum prole triumphat,
Florentes annos edomat una Venus.
Jam squallent deserta situ parnassia Tempe,
Mærent Phœbeis antra canora modis.
Nec quisquam Aoniis haurit de fontibus undam,
Nec quisquam e Pindo laurea serta petit. I
Teque fugit vacuâ regnantem, Pallas, in Aulâ,
Et doctas pubes ridet inepta Deas;
Et tenebras vitæ claro præponit honori,
Quem paris invictâ, Phœbe superbe, lyrâ.
Hæc exempla movent juveniles improba mentes,
Hæc etiam flectunt pectora dura senum;
Non vicere tuum, Vincenti candide, robur,
Aut in nequitiam publicus error agit.
Scilicet in niveo morum tibi pectore candor K
Stabat, & insigni cum gravitate pudor,
Et tenera custos invicta modestia formæ,
Et virtutis amor, flagitiique metus.
Nam tibi Cæsareas penitus cognoscere leges
Cura quidem, & Latii jura vetusta fori;
Quoque modo gentes validis frenentur habenis,
Ne justum excutiat plebs violenta jugum;
Cura sed illa prior, molli dare jura juventæ,
Moribus & legem constituisse fuit;
Atque animum frenare tuum, motusque rebelles L
Mentis, & impetio subdere mirus amor.
Hinc tibi non fastus opibus fortuna superbis
Attulit, aut clara nobilitate domus.
Præcipitem flammis non ita furentibus egit,
Fortia non fregit pectora luxus iners.

Non ſtudium formæ, non cultus mollior
A æquo
Femineis compſit membra decora modis.
Læta nec in ſeram convivia ducere noctem
Mos fuit, aut multo permaduiſſe mero.
Ingenium ſed come fuit, ſed dulcis amicis
Candida ſimplicitas, intemerata fides:
Alta quies animi, vitæ pulcherrimus ordo,
Et placidus morum, perpetuuſque tenor.
Et fuga deſidiæ, patientia firma laboris,
In ceptis conſtans mens operoſa tuis.
Et fandi ſolers, & tempora noſſe tacendi
B Ingenium, dulces, ingenuique ſales.
Obſequium, poſſis quo blandius uſus in omnes
Caucaſeâ duros flectere caute ſinus,
In conſanguineos pietas, reverentia patris,
Diſſidio in fratres non violatus amor.
Aſt aliæ magnis laudes Heroibus æquant;
Ardua relligio te ſuper aſtra vehit;
Admovet illa Deum Mortalibus, illa beatis
Una poteſt mentes inſeruiſſe choris;
C Qua duce felici complexus pectore Numen
Delibas magnis gaudia nota Deis;
Atque humiles curas pennâ fugiente relinquis,
Exuis, & ſi quid mens tua fæcis habet.
Hinc ea cognato fruitur pulcherrima Cœlo,
Purior & Cœlo, ſideribuſque nitet.
O Themidis proles, quæ lucida regna petiſti
Ætheris, ut fugeres impia corda virûm,
Et mortale genus, terraſque exoſa furentes
Vix unquam placido lumine noſtra vides,
D In Juvenis mentem delabere, Diva, pudicam;
Hæc erit & Cœlo gratior Aula tuo;
Hîc nihil abjectum, nil non cœleſte videbis,
Quodque oculos nequeat, Diva, tenere tuos.
Hîc tibi (ne Superûm fulgentia templa requiras,
Aonidum blando quæ regit ore cohors]
Non deerunt Muſæ comites, non carminis auctor,
E Qui Juvenis mentem Phœbus, ut Aſtra, movet;
Pieridum fontes, rarum felicia Tempe,
Cultrix Phœbæi turba canora jugi;
Et vos perpetuo victuri carmine manes,
Attica quos tellus, quoſque Latina colit,
Vos mihi nunc teſtes, quanto ſuccenſus amore
Diligat Aonidum, ſuſpiciatque choros.
Ille per aëriaſque vias, Cœloque minantem
Inceſſit rupem, Phocidos ora, tuam.
F Inde tulit claram Cyrrhæâ fronde coronam,
Quæ Themidis lauro quàm bene juncta viret!
Et vix conſpicuus primævo flore juventæ
Luſit Apollineâ carmina digna lyrâ.
Hunc puerum tecum miratus, Phœbe, canentem
Facundâ Majæ filius auxit ope;
Et mulcere dedit vel ferrea pectora linguâ G
Auſoniâ, & grajo dulcius ore loqui.
Sic Etruſca tibi, Romanaque gloria fandi,
Ratus & Argivi contigit oris honos;
Et triplici poſſis incedere laude ſuperbus,
Ennius ut triplici corde ſuperbus erat.
Sed tibi, Vincenti, magnum Cyllenius Ales,
Attribuit majus Pallas amica decus.
Pallas amica dedit cognoſcere ſemina rerum
Quattuor, & miris corpora nexa modis.
Aureus unde ſibi Titan alimenta miniſtret,
Sidera perpetuum ſex jubar unde trahant.
Stet medio tellus immota volubilis axis, H
An vaga in immoto ſe magis axe rotet.
Cur tonet, horribileſque tuant e nubibus ignes,
Solis & adverſis luceat arcus equis.
Quæ regio ſubjecta rotis Hyperionis, & quæ
Squalleat indomito ſemper aduſta gelu,
Oſtendit poſitus Aſtrorum, arcanaque Mūdi,
Ingenio Cœlum ſuppoſuitque tuo.
Oſtendit Siculi miranda inventa Magiſtri,
Et quidquid formis Græcia docta docet. I
Hæc te Caſtaliâ docuerunt Pallas in umbrâ,
Et Majâ genitus, Pieridesque Deæ.
Artibus inſtructum, doniſque Aſtræa Dearum
Prodire in ſolem, nunc aciemque jubet.
Imperat & magni Demoſthenis arma movere,
Civicaque in medio bella ciere foro.
Quantus eris! quum tu legum tutela, saluſque,
Quumque fori ſplendor, luxque fere re rogæ; K
Portus & innocuæ turbæ, ſcopuluſque nocentum,
Juſtitiæ templum, juris & ara ſacri.
Tunc tibi fulmineæ torrens facundia linguæ
Proderit, & doctas excoluiſſe Deas.
Ut potiare tui lato Sapientia Regno,
Utque regas alios lingua diſerta dabit.

IN FUNERE CLAUDIÆ FELICIS AUGUSTÆ,

Quum ei Florentiæ in Templo Divi Laurentii magnificè juſta ſolverentur.

AUGUSTÆ VIRTUTES

Duodecim Principum Feminarum exemplo illuſtratæ.

UT, quum labentem ducit pulcherrimus annum, L
Per duodena poli Cynthius aſtra meat;
Per totidem laudes renuiſti, Claudia, viræ,
Quem dederat curſum Parca ſevera tibi.
Hine

Hinc & bis senas, Felix, Heroidas inter
A Poneris, & late conspicienda micas;
Sed velut obscurat, per quæ Sol sidera fertur,
Claudia, cunctarum sic premis una decus.

BEATA AGNES Austriaca Morte Augustæ spem Prolis virilis interceptam dolet.

B QUæ Tagus, & Ganges opulento flumine Regna,
Quæ gelidis ingens alluit Ister aquis,
Optabant, Augusta, marem tibi, Claudia, partum,
Sed pia vota leves diripuere Noti;
Cæsaream fulcire Domom nam Prole virili
Mors vetuit, rebus consuluitque suis;
Nempe illum æternâ victurū laude videbat,
Editus a tantâ qui Genitrice foret.

DIVA HELENA M. Constantini Mater Claudiæ Augustæ Victrici vitiorum.

NOn ego fatidicam monstravi gentibus Argo,
C Quæ maris undisonū prima cucurrit iter;
Sed lignum, Stygiis quod nos exemit ab undis,
Qua miseranda hominum fulta ruina trabe est;
Quo signo freti Reges felicibus armis
Pugnavere, feros & domuere Duces,
Ergo o tu signo, Felix, mea cura Tyrannum
Tartareum fato candidore domas.

AUGUSTÆ Mansuetudo, & Modestia Matildis Imperatricis exemplo celebrata.

FElicis mentem Augustæ formasse videtur,
Quæ Genitrix magno major Othone fuit;
Sic Heroinæ tranquillos Claudia mores,
D Mitis & ingenii est sic imitata decus;
Hinc illi rebus mens non elata secundis,
Et pudor, & sacri pectoris alta quies;
Et fuit in summo fortunæ culmine, rebus
In modicis rarò qui solet esse, modus.

MARIA Maximiliani II. Imperatoris Uxor Augustæ amorem in Conjugem laudat.

E SAncte Puer, flammis qui corda jugalibus uris,
Nunc extingue tuas, heu miserāde, faces.
En Augusta jacet, cui filia cedat Acasti,
Cedat & Evadne morte sepulta viri.
Pectore quæ toto sic est amplexa maritum,
Viveret ut vitâ conjugis ipsa sui; F
Cæsare nec doluit moritura superstite Felix,
Conjuge nec salvo visa perire sibi est.

ISABELLA Ferdinandi Regis Hispaniarum Uxor Augustæ indolem admiratur.

QUæ vici, & gentes frenavi Isabella superbas, G
Atque ingens dextrâ, consilioque fui,
Gaudebam ingeniumque sagax, animumque virilem,
Et similem nostro fata dedisse tibi;
Teque novis rebar victuram Heroidas actis,
Quum mors eximiū carpsit acerba decus.
Invidisse tuis credam virtutibus astra?
Luce tuâ, Felix, an properasse frui?

MARIA Austriaca Pannoniæ Regina Claudiam Augustam suspicit.

INdomitos rexi Dacos, belloque frementē
Pannoniam, & forti Belgica Regna manu, H
Naturæque modū, sexumque egressa Virago
Magnanimis gessi bella timenda viris.
Nec tamen has laudes, generosi has pectoris artes
Contulerim meritis, Claudia magna, tuis;
Namque armis vici Reges ego, Cæsaris alti
Sed virtute animum tu meliore capis.

S. ELISABETHA Pannoniæ Regis filia Claudiæ Augustæ Fortitudinis exemplum.

MAgnanimæ virtus invicta refulsit Elisæ,
Dum fortuna gravi turbine sæva furit. I
Tuquoque perditā non vero nomine, Felix,
Experta es duræ, sæviciamque Deæ.
Ut tamē adversis non obruta fluctibus illa est,
Te rapidi non vis abstulit ulla freti;
Et nunc implacidi jam, Felix, æquoris iras
Despicis, & portū, quem tenet illa, tenes.

B. COLETA Rodulphi Austriaci Imperatoris filia Claudiam Augustam Imperio natam probat.

QUis neget Augusto te, Claudia, Conjuge dignam, K
Imperio natam quisve fuisse neget?
Quæ tribuit Natura decus mirabile formæ,
In mētes hominum Regna superba dedit.
Imperium fortuna dedit, quæ læta potentes
Subjecit populos, amplaque Regna tibi.
Latius Imperium sed tradidit æmula virtus,
Te quoniam Regnum jussit habere tui.

B. CUNIGUNDA Belæ Pannoniæ Regis filia Augustæ pulchritudinem commendat.

A Par tibi sidereę virtus pulcherrima formę,
Et mens, & facies plena decoris erat.
Gratior ut pulchro virtus in corpore fulsit,
Sic virtute fuit gratior oris honos;
Hic hominum mentes cepit, magis illa Deorum,
Claudia sic hominum cura, Deûmque fuit.
Sed citò, Mortales, vestri moriuntur amores,
Æternùm vivunt deliciæ Superûm.

B. MILADA Boleslai Bohemiæ Ducis filia Augustæ Religioni plaudit.

B Claudia candentes humeris circumdat amictus,
Dum sibi fatalem cernit adesse diem,
Olim mirandâ quos religione sacravit
Heros Gusmanæ gloria prima Domus.
Scilicet ut Latios quæ turba petebat honores,
Fulgebat niveis ambitiosa togis;
Dum petis æternos Patriæ cœlestis honores,
In niveâ, Felix, candida veste nites.

B. RIXA Pannoniæ Regis filia vocis, virtutumque concentum in Augustâ admiratur.

C Vincere qui cantus morituros posset olores,
Pars non magnæ tuæ, Claudia, laudis erat;
Nam tibi virtutum concentus idoneus alto
Heroum mentes inseruisse polo.
Illo perpetuos celebrasti semper honores
Indigetum, mores hoc imitata pios.
Utque olim dignè Superos tantùm extulit ille,
Hunc Divûm solo nunc decet ore cani.

MARIA Caroli Burgundiæ Ducis filia venandi studium in Augustâ collaudat.

D Si prisca in Cœlum Latoida sustulit ætas,
Parque dedit fratri numen habere suo;
Claudia, quo cultu, quo te mactasset honore
Vibrantem in sævas certiùs arma feras.
Non potis illa tuum nomen celebrare fuisset,
Reddere nec meritis præmia digna tuis;
Nam quę principibus magnas Heroidas olim
Æquavit superis, ars tibi ludus erat.

CÆSARES AUSTRIACI Augustæ exequias honorant.

Augusti Proceres, quorum Domus Austria factis E
Ardua laurigerum tollit ad astra caput,
Accessisse novum te, Claudis, ludus Olympo,
Optato & gaudent numinis ore frui.
Utque tuam Cœlo mentem plaudente receptam,
Sic illi cineres, altaque busta colunt.
Felix, Cæsaribus quæ tot gentilibus ingens
Quum decus attuleris, non minus ipsa refers.

IN FUNERE

SERENISS. LEOPOLDI

CARDINALIS MEDICEI,

Quum ei in eodem Templo Exequiarum justa solverentur.

LEOPOLDI Cardinalis Medicei in interitu Fortitudo.

Atra dies aderat, nec mors tibi lurida, Princeps, F
Tristitiam, sævos attulerat ve metus;
Sed tamquam somnus, non letum instaret, & ægræ
Solamen mentis fata propinqua forent,
Impavidus tristem vidisti funeris horam,
Teque hilarem, & placidum pressit amara quies.
Unde tibi mors læta adeo, mitisque videtur?
An mores, Princeps, induit illa tuos?

LEOPOLDI Cardinalis Medicei Pietas.

Quę pietas Cœlo semper tutissima regnat, G
Læsaque pollutam sæpe reliquit humum,
Æthereo, Princeps, in te descendit Olympo,
Sideribus mentem præposuitque tuam;
Inde pio lætas respexit lumine gentes,
Fovit, & humanum te Duce frets genus.
Magna operæ merces, terras habitare dedisti,
Tu Divæ, Cœlum præstitit illa tibi.

LEOPOLDI Cardinalis Medicei Sapientia.

Fortunam, cæcis quæ fluctibus omnia miscet,
Et pedibus fatum supposuisse tuis,

A Naturamque sequi, & Cœlo te fingere dignum,
Hæc tua laus, Priceps, hic labor unus erat.
O verè Princeps, neque enim tibi Purpura tantum,
Aulaque tam clarū nomen Etrusca dedit;
Sed regnum virtus, diademaque detulit ingens,
Quo Diis par, nedum Regibus esse potes,

LEOPOLDI Cardinalis Medicei Justitia clemens.

B NOn gavisa magis Dictæi Regis amico
Est Themis imperio, quàm, Leopolde, tuo,
Nec placidas umquā texit clementiùs urbes,
Quàm populis aquū, te Præside, jura dabat;
Non illos pœnæ vetuit delinquere terror,
Sed vetuit cari Principis altus amor;
Sic placidè regnas, & te custode severæ
Justitiæ, Princeps, nil opus ense fuit.

LEOPOLDI Cardinalis Medicei antiquitatis studium.

C CAnitiem sacram ponat veneranda vetustas,
Et lacrymas tumulo det, Leopolde, tuo;
Quandoquidem nulli plus, quàm tibi, debet, iniquis
Eruta quo tenebris vindice Diva fuit.
Relliquias prisci nam temporis undique, Princeps,
Colligis, & Veterum nomen, & ora colis;
Ingeniumque virûm, quorum monumenta petire
Non finis, antiquis moribus ipse refers.

LEOPOLDI Cardinalis Medicei amor litterarum.

D AOnias opibus Divas regalibus auges,
Nec minùs ingenio, judicioque juvas;
Et tibi dulce vias, & quærere semina rerum,
Et quidquid cæco nox tegit atra sinu.
Nec mirum est utramque tibi, doctissime, curam
Commendant mores, conciliantque tui.
Cum doctis meritò placuit Sapientia Musis;
Hæ, Leopolde, canunt; quæ facia illa docet.

Philosophia in libertatem vindicata LEOPOLDI Cardin. Medicei beneficio.

ARs vitæ, lux & veri parebat iniquis
Legibus, & duro pressa erat usque jugo;
Nunc Cœlo, Princeps, te vindice libera fertur, E
Et duce Naturā debita Regna tenet.
Libertate potens, qua nunc Sapientia gaudet,
Humanum fruitur te tribuente genus;
Servitio nam quæ vitiorum pectora solvit,
Libera vindiciis fit, Leopolde, tuis.

Spectacula LEOPOLDI Cardinalis Medicei curâ magnificentissimè edita.

GRæcia Pisææ certamina laudet arenæ,
Teque pari, dives, laude, Corinthe, ferat; F
Sed, Leopolde, tuos miretur Etruria ludos,
Et priscis meritò præferat illa novos;
Gloria nam circo, Tusciisque immensa theatris
Accessit, Princeps, munere parta tuo.
Sic & quum ludos, & quum tu seria tractas,
Ex Patriæ semper maxima fama tuæ.

IN FUNERE SERENISSIMÆ VICTORIÆ ROBOREÆ,

Cujus Cenotaphium magnificè extructum quatuor Virtutum Statuæ ornabant, & quatuor Emblemata, quibus adscripta erant Epigrammata, quæ hic subjiciuntur.

SAPIENTIA.

QUæ fugit una rogi nigram Sapientia flammam, G
Cur bustis, Princeps, assidet ægra tuis?
Cur gemit, & sacrā tractat feralia dextrā,
Nec dignum tanto Numine munus obit?
Jam sibi mortalis, jam mortua nēpe videtur,
Attulerit sævas quum tibi Parca manus.

EMBLEMA

Sceptrum cum oculo in vertice,

CUM LEMMATE

Sapientiæ fœdus, & Regni.

SCeptro oculum insculpsit, quo Regem Ægyptus Osirim H
Exprimeret sacris ingeniosa notis.
Nempe oculus, divina, tuam, Sapientia, lucē
Designat, regnum sceptra verenda notāt.
Ergo potestati Sapientia jungitur aptè;
Quæ tua, Regnatrix, gloria summa fuit.

FOR-

FORTITUDO.

A EN generosa comas virtus, Regina, totondit,
Inferiasque tibi relligiosa tulit.
Quin etiam, quamvis adversis nescia vinci,
Ingenti lacrymas clade subacta daret;
Sed reputans, animi tuleris quo robore letū,
Cogitur exemplo fortior esse tuo.

EMBLEMA

Trophæum a Quercu decisâ suspensum

CUM LEMMATE

Decisa decentior.

SIlva Jovis latè ramos detonsa comantes
B Pulchrior est, clarus quam sacer ornat
bonos.
Clade suâ felix, & secto corpore major
Magnorum exuvias sustinet alta ducum.
Rebus in adversis clarescit nobile robur,
Et leti in medio turbine Fortis ovat.

PIETAS.

SUm Pietas terris expulsa nocētibus olim,
C Sed, Regina, tuo sæpe recepta sinu;
Quæ te sidereâ sublimem in sede locavi,
Ut per te sedem præbuit Aula mihi.
Nunc monumenta colo; heu postquam tibi
lumen ademptum,
Pæne mihi Cœlo gratior urna tua est.

EMBLEMA

Gemma in Conchâ

CUM LEMMATE

E Cœlo color.

D UT Cœli soboles e Cœlo gemma colorem
Ducit, Erythræi quā parit unda maris;
Sic tibi mos animo, variæque ex Æthere do-
tes,
Isque color mētis, quem Deus ipse dabat.
Sed tamen eximiè, qui te, Regina, deceret,
Gemmeus in niveo pectore candor erat.

JUSTITIA.

E COmposuit lites junxit Victoria cives,
Defendit leges, edomuitque nefas;
Nunc Cœlo potitur, Cœlum quid flemus a-
deptam?
Hac Themidis proles cessit in astra viā,
Illa sed humanum genus indignata reliquit;
Hæc sua tranquillo lumine Regna videt.

EMBLEMA

Sol in Æquatore.

CUM LEMMATE

Melior quando omnibus idem.

QUū Sol dispensat radios æqualiter Orbi,
Floribus, aut pomis læta superbit hu- F
mus.
Quum Rex justitiâ gentes regit, omnia flo-
rent,
Et tamquam verno lumine Regna nitent.
Hinc Tusci, rapuit quum te, Victoria, fatū,
Visi Cimmeriâ sunt sibi nocte premi.

IN FUNERE

LEOPOLDI IMPERATORIS AUGUSTI,

Quum ei Florentiæ in Templo Divi LAURENTII magnificè justa solverentur.

REx Thracum obsessam dum speret bar- G
barus urbem
Threjicio captam succubuisse jugo:
Dū pia se flammis hausturū templa profanis,
Templa Sacerdotum sparsa cruore putat,
Tracturumque nurus, formosæque agmina
pubis,
Jamque suā prædam Regna Latina vocat;
Accipit Odrysias adverso marte phalanges,
Robur & Imperii procubuisse viros;
Et pavet, & captus, Cæsar, sibi pæne videtur,
Et dat præcipiti regia terga fugæ.
Quanta tua est virtus? qui olim injecere ca-
tenas
Tot Ducibus Reges, en tua vincla timent.

NOmen in extremas horrendum exten-
derat oras H
Thracia gens terris impositura jugum,
Hanc Scytha fretus equis, hanc fretus aci-
nace Medus,
Hanc & odoratâ fruge superbus Arabs,
Hanc Reges, Europa, tui, populique treme-
bant,
Et Libyæ fortes, Æthiopumque Duces.
Quocumque infensus converterat arma
Tyrannus,
Terror ibi, & cædes, excidiumque fuit.
Auspiciis, Leopolde, tuis nūc victa quiescit,
Et timet hostiles barbara terra minas.
Sic qui victor erat, te vincitur auspice, vincūt
Sic victi, & cunctis, Cæsar, es una salus.

DA-

A Dacia, quæ populis, quæ feta furentibus armis
Romuleos bello terruit una duces;
Tandem Trajani cessit captiva triumpho,
Subdidit & fero colla subacta jugo.
Hanc premis imperio, victor Leopolde, potenti,
Et domitam cogis jam tua signa sequi;
Quàm bene Trajanum Leopoldo laurea jungit;
Optimus hic nempe est, optimus ille fuit.

B Eugenii ductu Libyæque, Asiæque phalanges,
Et pereunt vires, Bistonis ora, tuæ;
Barbaricam stragem tumido vehit amne Tibiscus,
Inque tuas, Ister, decolor exit aquas.
Phœnicum extinxit memorandum Scipio bellum
Fudit ubi Pœnos, Hannibalemque trucē;
Eugenius pacem parit altâ strage Scytharum,
Victor & in Cœlum te, Leoplde, vehit.

DE BEATO TORELLO

In solitudinem se recipiente.

C Felices Arni fontes, tuque ardua rupes,
Nubiferâ Tuscam quæ tegis arce plagā.
Vos colit en Divū justissima cura Torellus,
Quem Deus in vestris collocat ipse locis.
Nec tam vos tollūt admota cacumina Cœlo,
Nec tam vos liquidi fluminis ornat honos;
Accola quàm tantus, quem vobis invidet Æther,
Quem cupiunt colles, Patria magna, tui.
Vos requies illi, statioque intacta procellis,
Tartarus ex atro quas Acheronte ciet.
Vos inter Superûm cœtus Heroa videtis
D Versantem caro Numinis ore frui;
Auditis voces, auditis amabile carmen,
Et quos Cœlicolûm dat chelys icta sonos.
Cernitis & puro fulgentem lumine pubem
Aligeram, lætos & per inane choros.
Vobis verticibus cedant Pangæa coruscis,
Divitis & tellus fonte superba Tagi:
Cedat, Pactolum rutilum quæ fundit, & Hermum,
Quæque tuos ortus, decolor Inde, videt,
Regnaque, deliciis quæ plena fuisse beatis
E Narrantur, Ganges gemmifer unde fluit.
Laus potior vestra est, quorum potuere recessus
Egregium vitiis eripuisse Virum.
Ille jugis fontem, vestrisque invenit in undis
Æternam in vitam nam salientis aquæ.

IN EFFIGIEM CAROLI LOTHARINGIÆ DUCIS

DICATAM

SERENISSIMÆ VICTORIÆ ROBOREÆ.

Qui tibi clara Ducis medio, Victoria, bello F
Ora dicat, felix omen id esse cupit.

IN EFFIGIEM JOANNIS SARMATARUM REGIS

Dicatam Serenissimo

PRINCIPI FERDINANDO

Invicti Regis tibi, Princeps, ora dicantur; G
Quem referes factis, reddit imago Ducē.

IN EFFIGIEM

D. GUIDONIS GRANDII

GEOMETRÆ CELEBERRIMI.

Ne sperne effigiem, quæ magnum ingentis Olympi H
Mensorem, quamvis parva sit illa, refert.
Ne tamen hac metire Virum, qui quantus haberi
Debeat, hic monstrat major imago liber.

IN FONTEM.

Hanc si Narcissus lympham sitibundus adisset, I
Ad Stygias ævi plenior isset aquas.

Ad ornatum Horti, in quo Fontes, Aquæ salientes, Piscinæ, Lacus.

Hic fuit antiquis potus, sed vita nitebat K
Candidior, quāto purior unda mero est.

Quæ lympha ex alto petit ima quietis amore,
Quanto altâ melior sit, docet, arce quies.

Quę salit in sublime, lacu mox ūda quiescit;
Pensandus meritâ nempe quiete labor.

Mobi-

A Mobilis unda fluit, fluit & data vita; sed undæ
Unda subit; vitam nil reparare potest.

Unda tui speciem reddit pellucida vultus,
Effigiem vitæ, sed magis illa refert.
Quum videas hanc instabilem, fluxamque, quid, hospes,
Æternis urges pectora consiliis.

B Nec revocare gradum præceps valet unda, nec unquam,
Quæ semel occiderit, lux remeare potest.

Ex undis, nec vana fides, effinxit; in undas
Cuncta jubet solvi Conditor ipse Deus
Vis igitur, stabili quàm constēt omnia nexu,
Discere, naturam cerne fluentis aquæ

C Pura nitet, placido quæ gurgite labitur, unda,
Sed limum, tumido quæ fluit amne, vehit.
Vita fugax lymphæ similis; tranquilla serenũ
Fert ævum, tristes irrequieta dies.

Ut levis unda fluit, velox ita labitur ætas.
Vivere ni properas, effluet illa tibi.

D Fons manet, unda fugit, nostroque simillimus ævo
Fons, non quà manet, est, quà levis unda fugit.

Flumine turbato nil fœdius, amne quieto
Pulchrius. Apparet, quàm sit amanda quies.

E Stare putes fontem, qui labitur; omnibus Auctor
Naturam voluit fontis inesse Deus;
Nam rerum ignari dum ceu mansura tenemus,
Cuncta fluunt ritu prætereuntis aquæ.

F Invitat somnos dum garrula lympha salubres,
Spemque, metumque ægri somnia vana puta.

Narcisso exitium vitreis fons attulit undis,
Dum stupet, & formam deperit ipse suam.
At tibi si fontem, quasi rerum, ævique fluentis
Effigiem spectes, unda salubris erit.

Tranquillà scopulus qui circumfunditur undà G
Arduus, hic vera est fortis imago viri;
Qui nequit ut vinci fortunæ fluctibus atris,
Molliri nescit prosperiore vado.

Dum rigat uda latex, præterfluit ora; voluptas
Sic dum percipitur, non reditura fugit,
Extinguit tamen unda sitim; sed blanda voluptas
Hoc magis accendit, quo potiare magis.

Mollibus alluitur scopulus, non mergitur undis, H
Duritiea mediis nec superatur aquis.
Hinc licet, exemplum capias; jucunda voluptas
Perfundat mentem, non violenta domet.

Nil prodest, ramis quòd læta comantibus arbor,
Quòd gelidi fontes, perspicuique lacus,
Et Zephyri levis aura gravem domat æris æstum,
Ni ponas æstum pectoris ipse tui.

Hic avium ludunt certamina dulcia, ludit I
Frondibus aura procax, ludit & unda fugax.
Hos inter ludos fortunæ linquere ludum,
Et mentem curis explicuisse juvet.

Ne decus hic urbis cupias, hic latior alti
Ætheris aspectus, liberiorque patet.
Cernere quum possis arcem immortalis Olympi,
Quid te hominum moles structa labore juvat?

Laurus ab intactis frondescit lætiùs undis;
Nimirum Virgo virgine gaudet aquâ. K

Quæ Daphne fugit, nunc arcet Apollinis ignes;
Phœbe adeo flammis est inimica tuis.

In Theriacam.

DEfiit Alcidæ dextrâ mactata nocere,
Andromachi ingenio tristis Echidna juvat

Viva

In Eandem.

A Viva tulit mortem, fert vipera mortua vitam,
Omnia vertuntur, quæ nocuere, juvant.



In Mappam Geographicam.

Terrarum quid Regna stupes? tibi latius, hospes,
Regnum est, Rex animi si potes esse tui.



B Immensum includi videas quum finibus Orbem,
Et desideriis ponere disce modum.



De Eucharistiæ Sacramento.

Lautior Assyriis tibi mensa paratur, in unâ,
Cœlicolûm apponit Rex dape, quidquid habet.



C Quum Deus ipse epulum tibi sit, conviva Tonantis,
O quantũ immensi Numinis instar habes!



Humanas curas, humanaque gaudia ride;
Jam Deus æternâ vesceris ambrosiâ.



Θνητὸς ἐών, ἄνθρωπε, θεῶν ἀπολαύε τραπέζης,
Ἀθάνατον θήσει δῖα τράπεζα θεόν.



D Mortales Cereris non solo munere vivunt,
Illos alta magis verba Tonantis alunt.
Nunc sub fruge Dei latet admirabile Verbum;
Hoc homines uno vivere Pane queunt.



IN DISCESSU FRATRIS.

Elegia.

E Parthenopen Frater mihi nectare dulcior ibit,
Mantoi Tempe Vatis amica tubæ.
Musa [mihi quando non fas] comitare migrantem,
Sed propera; naves aura secunda vocat:
Litrea sopiti ridet pellacia Ponti,
Non Hyades terrent, Plejadesque ratem.
Non tempestatem pluvio meditatur Orion F
Igne, nec Olenium protulit ore jubar.
Est festinandum, quando favet æquor eunti;
Instabiles risus, mobile marmor habet:
Quisquis, ubi lætæ favet indulgentia sortis,
Non properat, versas heu gemet ille vices.
Vade, licèt claudo properes, Elegeja, gressu,
Vade, suis pennis te vehet ales Amor.
Quid mandem tibi, quæris? iter ne desere fratris,
Dulcibus alloquiis tædia falle viæ.
Tranquillamque Thetyn, ventosque precare ferentes G
Germano, & Pylios, & sine fæce dies.
Si quando flebit, patriis quòd vulsus ab ulnis,
Delicias liquit, candida Flora, tuas,
Hac importunum solabere voce dolorem,
Sed fac, vox dulci lætiùs ore sonet.
Quid fles? haud crimen patriâ te pellit ab urbe,
Non est causa tuæ collacrymanda viæ.
Non ad Hyperboreas hiemes, ursamque nivalem,
Caucaseumque jugum te via dura feret; H
Flevit ubi in cædem fecundũ vivere pastus,
Primus ab Ætherea qui tulit arce facem:
Non petis Æthiopas, quos urit inhospita Solis
Flamma, nec ad Libyes litora tendis iter;
Vis Austri molitur ubi tumulumque, necemque
Hospitibus, crebrâ & dipsade turget humus:
Non Ithaci tentas errorem, iramque, minasque I
Et maris, & terræ, Cœlituumque feres:
Non te ceu Veneris Natũ terraque, saloque,
Errantem Conjux sæva Tonantis agit:
Non te vesani furor impius urget Orestis
Ad sacra Barbaricæ sanguinolenta Deæ.
Parthenope tibi meta viæ est innoxia Siren,
Quæ Charis Hesperii, deliciũque soli est.
Ridentes vises agros pulcherrima Tempe,
Tempe quæ Mundi mitior aura fovet,
Sebetusque rigat liquidus lapsus Mæandris;
Qui casto purum provocat amne vitrum. K
Undantem populis, tectisque frequentibus urbem
Conspicuam, & gazis Regna superba petis.
Nec tamen æternùm Florâ cariturus abisti;
Luminibus reducis pulchrior Arnus erit.
Sic mage grata parens Nato est. Natusque parenti,
Quum repetit patrii limina cara laris;
Plurima quem vidit peregrinis messis in oris
Suspirantem urbis dulcia tecta suæ.
Queis fruimur semper, non tanta est gratia rerum; L
Ni sitias, fontis vix tibi ridet honos:
Si flaret semper genitabilis aura Favoni,
Non desiderium gingeret illa sui:
Si nunquã invideant tranquillũ nubila Cœlũ,
Non humus innubem posceret uda Jovẽ:

Blandiùs arridet placidi clementia Ponti,
A Ventorum ſævæ quum poſuere minæ:
Tantale, ſi poſſes ramum captare fugacem,
Nonne foret Divûm dulcior eſca dape?
Si Danai ſoboles refugis ſua compleat undis
Dolia, lætitiam quam ferat illa quies?
Quum miſer ad patrias Arces remeavit Ulyſſes,
Vix cepiſſe reor gaudia tanta ſinu.
Tu quoque quum reduces referes ad patria greſſus
Tecta, voluptatis copia major erit.
B Quod ſi fortè mei, Patriæque oblivia potet
Illecebris captus, Parthenopea, tuis;
Increpita blandè, cerâ dic obſtruat aures,
Qua Laertiade blanda pericla fugit.
Commodi tunc Floræ memorabis, & Orbis ocellum,
Et Charitum dîces, Cœlituumque domum.
Me quoque commenda, cauſamque tuere Parentis,
Si patrocinio noſter egebit amor.
Quod ſupereſt, ſacram ſi quando acceſſeris Urnam,
C Qua cubat Aonii Rex Maro, luxque Chori,
Inclina frontem, manibus da lilia plenis,
Et pluviam roris prodiga funde Syri;
Hinc mea dicta refer: Latiæ ſpes altera linguæ,
Sol vatum, domini fama, ſitiſque Tibris,
Cujus honos Orbem Phœnice perennior implet,
Miratur cujus Calliopea tubam,
D Nominis urit amor me ferventiſſimus; odi
Volgus, & Aoniis te duce carpo vias.
Quando erit, ut docto Muſarum concitus œſtro
Non humili poſſim carmen hiare tubâ,
Nympharumque cohors noſtrum ſitibunda canorem
Audiat, & bibulis pendeat Arnus aquis.
Tu ſine, Cyrrhæos operoſo pollice flores
Carpam; nam Cyrrhæ laurea ſceptra geris;
Caſtalii permitte mihi tu nectaris hauſtus,
E Tu mea laurigeris tempora necte comis;
Te duce non vepres, quos patres Pimpla roſarum
Educat, horreſco, nec juga juncta Polo.
Vos, almi cineres, ſcintillam augete caloris
Caſtalii, noſtro in pectore ſi qua latet.
Sic vobis ſit terra levis; neque diſſipet Auſtri
Turbo, quos clari nominis aura levat.

IN D. IGNATIUM LOJOLAM.

F Nauta licet ſtellas, & Apollinis ora notaret,
Devius a veri lumine Solis erat.
Tu dîam miſero lucem, Lojola, recludis,
Et mentis cymbam qua regat arte, doces.
Ille ſali domitor ſpumantem Nerea findit,
Indomiti fluctus pectoris ipſe domas: G
Ille ratem flectit, quò ductrix admonet Arctos,
Tu mentem, quò te Numinis aura movet.
Vectorem, Lojola, tuum vehis, eripis undis
Dum Stygiis animum, naufragiumque vetas.
Tu nautæ ſtatio fidiſſima, ſidus amicum,
Tranquilli ſolus munera Solis habes.
At miſer emenſus pelagum te fortè relicto
Naufragus infernis immorietur aquis.
Nauta quid ad portum converſis vela ſalutis
Ecce tuæ portum fida carina vehit.

IN EUNDEM.

QUàm tibi ſordet humus, Lojola, relinquis liberas, H
Quas fortuna tibi prona miniſtrat, opes;
Linquis & Eois fulgentia limina gemmis,
Nec dubitas humili poſthabuiſſe caſæ.
Gloria te fruſtra, fruſtra te blanda laborant
Gaudia deliciis detinuiſſe ſuis:
Nec te clara domus, nec dulcibus ebria curis
Spes decorum Patriæ, nec movet urbis amor.
Ah quotis meritas virtus tibi bellica palmas I
Obtulit, & partum Marte favente decus;
At te nec palmæ capiunt, nec gloria Martis,
Nam domiti ſolùm præmia Ditis amas.
Uſque adeo temnis mortalia, & arduos alto
Pectore ſpes hominum deſpicis exiguas.
Quàm bene ſpernis, humus quæ dat clariſſima! quum te
Deſpicias, quo nil clarius Orbis habet.

IN AVARUM.

TE, miſerande, putas Perſarum evincere gazas, K
Attalicaſque tuis cedere credis opes.
Falleris; haud Codro, miſeroque beatior Iro es.
Te cruciat ſtygiis abdita lamna modis.
Dum tua mens auro, tellore quod abdidit, hæret,
Funeris ante diem contumulata jacet.
Te rota fortonæ metuentem Ixiona torquet,
Tantalus in medio flumine quæris aquam:
Ut vorat æternus Tityi præcordia vultur,
Triſte fames auri cor tibi turpis edit. L
Ceu Danai ſoboles unda refluente laborat,
Te cruciant fluxæ, dum minuuntur, opes;
Quum ſtabili nequeas conſiſtere culmine rerum,
Urget Siſyphius noxia corda labor.
Nempe tuo ſedeat quum Rex in pectore Plutus,
Quis Regno Ditis te neget eſſe parem?

Deſan-

Defunctorum expiatio.

A NOn tibi Achæmeniis cumulanda altaria donis,
Non urenda sacris tura Sabæa focis,
Ut manes venerere pios, animasque sepulcris,
Quas rapuit tristi funere Parca, voces;
Sed facili sunt vota Deo fundeda, precesque,
Manibus ut parcat mitior ille piis;
Et vocet ad Superos, patrioque adscribat Olympo
Faucibus ereptos, mors tenebrosa, tuis.
Sic potes immotas fatorum vertere leges,
Crudeles Erebi sic aperire fores;
Et queis mortalem eripuit lex ferrea lucem,
Æternam votis restituisse tuis.

De CHRISTO Cruci affixo.

B O Dolor, immani confossum cuspide pectus,
Et lacera aspicio Numinis ora mei.
Cui tantum licuit, quis bellum inferre Tonanti,
Aut potuit dirâ plectere morte Deum?
Crudeles furiæ, scelerumque insana cupido,
Vestrum opus hoc, vestrâ vulnera facta manu.
Auctorem vitæ vos funere mergitis atro,
Dum properat rebus consuluisse meis.
O quàm letifera est vestri violentia teli,
Quæ vitæ Patrem perdere sæva potest!

De eodem.

C CErne Dei vultus, transfixaque pectora dumis,
Quodque altum in sacro pectore vulnus hiat;
Et lacrymas effunde, imo & suspiria corde,
Crudeles obitus & miserare Dei.
Sic tibi, divino quæcũque in pectore cernis
Vulnera, Divini vulnus Amoris erunt.

AD MINACCIUM,

Qui Orationem Germanicâ Linguâ habuit

In laudem Divi LEOPOLDI.

D QUòd non Romuleæ, non Tuscæ lactea linguæ
Flumina, Teutonici fundis at oris opes.
Inclyta Germanæ Leopoldus gloria gentis
Laudari Patriæ maluit ore suæ.
Et quoniã Divo Patriã est præstantior æther,
Ille tibi Æthereum tradidit eloquium.

* * *
* *

AD P. LIBANORUM.

QUæ Libanus dat clara tuæ cognomina genti, E
Consona promeritis sunt, Libanore, tuis.
Digna cedro scribis, vivis dignissima cedro,
Laudibus æternis vernet otrumque decus.
Virtutem indigetum, linguæ quam divitis ornat
Copia, vivendi norma, tenorqoe refert.
Lilia virginei celebras intacti pudoris,
Moribus arrident candidora tuis;
Eloquii quæ flore sacri castissima vernant
Lilia, non lacrymæ, docta sed unda ferit;
Unda ferit, liquidi quam torrens aureus oris F
Evolvit Pyliis dulcior unda favis;
Hæc immortali ridebunt lilia vere,
Æternus quæ Sol nutrit, & aura Dei.
Ergo tuæ semper vernabit gratia Pithus,
Lilia cui redimunt non peritura comas.
Sed plus me tangit niveorum glotia morum,
Quàm fandi Charites, ingenijque lepor.
Quem non in laudes trahat admiratio mentis
Ille tui candor pectoris, ille decor?
Quæ fingit scelerũ purum Sapientia pectus,
Quæ face te pietas candidiore coquit, G
Quæque sitit Divûm nectar, perituraque calcat
Gaudia mens, victrix quæ Phlegethontis ovat?
Pura fides, Diti non eluctabile vallat
Te mentis robur, justitiæque tenor.
Magna modis tenuat parvis mea Mosa, brevique
Dum stringit gyro, multa canenda silet.
Quid sacras memorem curas, animumque modestum, H
Nulla superbifici quem levat aura sinus?
Quid pia vota canã, niveis spes aureas pennis
Quæ vehit, immensi quæ probat Aula Patris?
Te quoties vigilem nox intempesta tuetur,
Et stupet ardentes ingeminare preces.
Dum sequeris Numen, dum sidera pectore lustras,
Jessæaque canis murmura magna lyræ;
Sic somnũ Divûm munus cõmune rependis I
Cœlitibus, plumas sic pius odit Amor.
Scilicet æterno qui figit lumina Soli,
Invigilat Soli, nocte silente, suo;
Exemplo dum mota tuo grassatur ad astra,
Præside te gestit relligiosa domus.
Tu flammas animis Divini sobdis Amoris,
Qui decorum carpunt te præeunte viam:
Tu Phlegethõtæo motas Aqoilone procellas
Non perturbatâ vincere mente doces:
Irarum cæcos æstus, flatusque tumoris
Vis inconcussi pectoris æqua domat.
Fatidicâ veluti qui primus classe subegit
Indignabundæ spumea Regna Thetys,
Argolicos ignota Duces per Cærula duxit,
Divitis ut raperent nobile Vellus Ovis,

Chaoniam sectatus avem victrice rebelles
A Perdomuit Borean, Oceanumque trabe.
Non illum rapuere avidæ dira antra Charybdis,
Sorbuit aut rabidis altera pestis aquis,
Non concurrentes Symplegades eliserunt,
Nec dulci Siren traxit acerba dolo;
Securam ducis, Cœlestis Navita, puppim,
Et tumidi vitas cæca pericla sali.
Nec tu per fluctus vitæ, per mille procellas
Aurea Phryxeæ vellera poscis ovis.

AD AMICUM RUSTICANTEM

Epistola.

UT pede felici nostris conatibus adsit,
B Et faciles afflet pronus Apollo modos;
Non mihi Castalio latices e fonte bibendi,
Laurus & Aoniis usque petenda jugis;
Quum jucunda tuum præscribit epistola nomen,
Carmina Cyrrhæo largiùs amne fluunt:
Ocyùs ut properent ad te, carissime, docti
Sponte suâ coëunt ad loca jussa pedes:
Claudicet alterno quamvis Elegeia gressu,
Phœbæi pennis ire videtur Equi:
C Clauda licèt magnum non abnuit Apenninum,
Duraque tam molli scandere saxa pede.
Ad te nempe venit, pretium tu grande laboris,
Tædia longinqui callis, amice, levas.
Scilicet ut magnæ major Carthaginia ultor
Edomat indomitas Hannibal igne vias;
Candida Thesæo qui fœdere pectora jungit,
Victor Amor durum lampade mollit iter.
Perge leves agitare pedes, Elegía, placentis,
Crede mihi, merces ampla laboris erit,
D Te fessam excipiet jucundo Rillius ore,
Portus erit longæ dextra, sinusque viæ.
Sive agiles Dryadum mirabitur ille choreas,
Et calami lusus, Pan Tegeæe, tui?
Seu liquidæ propter sacrum caput abditus undæ
Alituum dulces combibet aure modos;
Seu volucres visco, seu callidus illice fallet,
Et laqueis, telo sive tonante petet;
Seu tendet silvas audax venator in altas,
Sævaque fulmineis bella movebit apris;
E Seu vario florum gemmantia prata colore
Spectabit, densis & nemora alta comis.
Denique quidquid ager, si non oblitus amicum est,
Gestiet adventu terque, quaterque tuo,
Verùm ubi te cupidis exceperit obvius ulnis,
Si quid agam, quæret, talia dicta dabis.
Vivit amicitiæ non immemor ille, nec unquam
Effluit oblito pectore dulcis amor.
Te colit absentem, tu nobilis hospes, amicæ
Arbiter atque animæ mētis in arce sedes,
Testis ego patriæ pandam penetralia mentis,
Mentis, quæ genuit me, tenuitque diu. F
Illic impressam vidi morumque tuorum
Effigiem, vultus effigiemque tui.
Est locus, humani quà verticis altior orbis
Insurgit vestris æmulus, astra, globis.
Nam si mens rapidum moderatrix volvit Olympum,
Hîc dominatricis Regia mentis inest.
Vestibulum ante ipsum primâ rationis in arce
Multiplicis formæ vulgus inane volat:
Hîc simulacrorum series, exercitus ingens G
Imperiis paret, mens operosa, tuis.
Quidquid alit tellus, genitales æquoris undæ
Quidquid monstriferis progenuere vadis,
Quidquid Junonis Regnum spirabile servat,
Igneus & quidquid format, agitque vigor,
Exprimit hîc animi vis dædala; qualiter orbi
Oppositum vitreo corpus imago refert.
Naturæ vastam capit angustissima molem
Sedes; parva licèt, grandior axe patet.
Cuncta amplectentem complectitur Æthera, humumque, H
Aëriasque domos, undisonumque salum.
Rerum densa cohors, quum mens vigil imperat, audit
Imperium proprio jussa manere loco.
Ast ubi membra sopor letheis irrigat ondis,
Et regnatricis grande quiescit opus.
Sæpe ciet varios concita caterva tumultus,
Turbatur monstris irraqoieta quies.
Aëra testudo velocior alite findit,
Tardaque telluri fulminis hæret avis, I
Definit in piscem speciosæ forma Diones,
Jungitur & sonipes Gryphibus, agna lupo:
Ex undis ignes nascuntur, & ignibus undæ,
Gramina fert Cœlum, sidera gignit humus.
Has umbras inter rerum sublimis amicæ
Imperitat menti mentis imago tuæ:
Prodit ubi hæc animi penetralibus; incedēti
Dat simulacrorum plebs venerata locum,
Decedit Regnatrici, nam submovet agmen
Mobile telorum fasce satelles amor. K
Ergo licèt variâ perturbet imagine rerum,
Et mentem curis turbidus æstus agat;
Si cari species objecta refulgeat oris,
Curarum nubes, tristitiamque fugat.
Sic ubi terribili Cœlum vapor abstulit ombrâ,
Qui simulat miris horrida spectra modis;
Quum centumgeminos nubes imitata gigantes
Hinc, illinc facies torva minatur equi;
Inde Chimærarum, Centaurorumque catervæ, L
Orsque Geryonom, tergeminique canis;
Si mites afflat Boreas tranquillior auras,
Threjicias animas, agmen inane fugit;
Nusquam nimbosis conduntur sidera monstris,
Et Phœbus lucis tela serena vibrat.

Arbi-

Arbiter hinc mentis regnas, hinc semper in ore es,
A Hinc absens animo nocte, dieque redis.
Non aliter, quamquam nubes tegat invida Solem,
Non visi Clytien sideris ora movent;
Seu Titan oritur, medio seu fervet Olympo,
Seu Tartessiacis ille propinquat aquis.
Hæc, quæ te poscunt, Elegeia, teste probari
Sunt, & quæ nostro rectiùs ore sones.
Si quæret, quas docta mihi dent otia curas,
B Tunc hæc dicta memor, ceu loquar ipse, dabis.
Me juvat ingenio Mundi percurrere molem,
Icario quamvis ardua more petam:
Me rapit attonitum rerum pulcherrimus ordo,
Aurea me nitidis uritis, astra, globis.
Cur ferus accendat bellorum incendia Mavors,
Quærimus, & placido cur micet igne Venus.
C Cur immortali torpentes frigore flammas
Æquoreo nunquam proluat Ursa vado.
Agmina nimborũ præceps effundat Orion,
Pleiades, atque Hyades, Oleniũque jubar.
Non exauditos cieant revoluta sonores,
An tacitos ducant sidera muta choros.
Cur septemgeminos Mundi septemplicis ignes
Obversos Cœli vis rapientis agat.
Horrear infausti cur flamma cruenta Cometæ,
D Quæ vis fulmineas flammet, agatque faces.
Cur lapidum effundat violentus Juppiter imbres,
Grandine cur nubes verna flagellet humũ.
Unde sacros fontes magnæ dẽt ubera matris,
Et fluat alterno Thetyos unda salo.
Nec vitæ normam, documentaque discere morum,
Non animo dulcis, dignaque cura meo est.
Ut beet intactam culpæ Sapientia mentem;
Fortunam virtus ut domet una feram.
E Quænam meta boni, num dulci præstet honestum,
Quis sit amicitiæ, quis pietatis amor.
Quæ mea mẽs haurit tranquillę gaudia venæ,
Admirata suum quum videt ipsa decus!
Quum summi pulchram se cernit imagine Patris
Perpetuùm æternâ mente vigere satam;
Regnatricem animæ se verricis arce sedentẽ
Cogitat, ut Regno jura det æqua suo;
F Possit & irati flammas compescere cordis,
Et quas accendit fœda cupido faces.
Inde vetustatis memores evolvere fastos,
Helladis, & Latii nos monumenta juvat.
Nec non mantoi meditamur carmina vatis,
Barbiton & Calabri, Pindaricamque Lyrã,
Candida quæ culti modulatur Musa Tibulli,
Quæque tenebroso Persius ore canit.

At quamquam Aonidum pulchro mens ardet amore, G
Non favet ingenio Musa vocata meo.
Aret vena mihi, quæ largiùs amne fluebat,
Phœbeæ nutrix ingeniosa facis.
Non afflat Clio facundas ampliùs auras,
Defluxere meis laurea serta comis.
Infelix omen, dum fila sonora lacesso,
Excidit attonito lapsa repente Chelys.
Dũ stupeo, fractæque lego testudinis artus,
Adstitit ecce oculis Pieris una meis;
Illa Chelyn lævâ pendentem parte gerebat
Flaventes myrto vincta, rosisque comas. H
Errabat collo dare crinis idoneus auræ
Lusum, inerat roseis gratia mira labris.
Quamvis ira decus placidis turbaverat oris;
Vel rigor in dolci fronte decorus erat.
Aurea lux tremulis flammas vibrabat ocellis,
Candida purpureus pinxerat ora color.
Ad summos cyclas usque pedes demissa fluebat,
Cujus non facies, non color unus erat,
Nunc gemmam Heliadum referens, nunc illa smaragdum I
Æmula nunc flammis, clare pyrope, tuis,
Cærula beryllì nunc lumine fulgorat Indi,
Nunc varias pulchras, Margari pulchra, vices,
Quàm variis lucet radiata coloribus Iris,
Quàm multo Chloris flore colorat humũ;
Quale, vibrat Titan adversum ubi candidus ignem,
Ostentat colli blanda columba decus;
Talis erat Cyclas, Charitum pulcherrimus ordo, K
Et jocus, & risus, & comes ibat amor.
At postquam intravit nostros irata penates
Diva, jocus, risus, jussus abivit amor.
Hæc ubi me torvo spectavit lumine, tales
Indignabundo protulit ore sonos.
Proditor Aonidum, Parnassi transfuga, pone
Ocyùs immeritam in unera nostra lyram.
Phœbæis ingrate choris, spem pone coronæ,
Non tegit indignas Delphica silva comas.
Nequidquam tentas facundum haurire flumen, L
Nequidquam Phœbum, Pieridasque vocas.
Non tibi Castalides, tibi non arridet Apollo,
Surda quid increpitas Numina? culpa tua est.
Quum sacra Musarum, quum Phœbum ritè colebas,
Implebat pectus non levis aura tuum.
Ipsa propinavi Cyrrhæi pocula fontis,
Fontis Lethæas non metuentis aquas:
Crinibus ipsa tuis frondem Peneida legi: M
Ipsa tibi Pœbi lucida plectra dedi.
Quum te Castalio tulit impetus alite ferri,
Frenavi manibus Pegason ipsa meis.
At nunc immemorem cepere oblivia nostri,
Sic Lethes tibi, non Aonis unda placet,
Quum tua sollicitis pandas præcordia curis,
Miraris, si non afflat Apollo sinum.

Ille

Ille fugit mentem, quæ fœdo turbida fluctu
A Phœbæam excludit semisepulta facem.
Ut Sol non hilarat fecundâ lampade terras,
Humida si Cœlum contegit ala Noti;
Numen idem Phœbus sacro non concitat igne
Pectus, ubi mentem nubila cura premit.
Adde, quod hæc mæsti quum tergere nubila cordis
Musarum Choreis posset amica Pales,
Otia non sequeris, tranquillaque gaudia ruris,
B Nec te Nympharum pulcher adurit amor.
Immemor heu laudis, meritorum oblite meorum,
Sic fugis Aonio Numina grata Deo?
Nescis heu, quantum villarum pura voluptas
Alliciat doctos, commovestque choros.
Hîc ubi tranquillo devolvitur unda susurro,
Et parat instratum floribus herba torum,
Quàm juvat ignavi nescire silentia plectri,
Quàm juvat Orphæis ducere saxa modis?
Interea volucrũ respondant carmine valles,
C Consona silvarum dum quatit aura comas.
Tityrus & saturos inter lætissimus agnos
Indocto flammam concinit ore suam.
Ingeminant Dryades plausum, sitibundaque Najas
Carminis auditi promit ab amne caput.
Circumdat volucrem Salicis Hamadryas orbem,
Mænadas Ogygii Numinis ardor agit.
Hæc inter quantus Musarum spiritus implet
D Pectus, & afflatu concitat usque suo.
Scilicet ingeniis fugiẽdum ignobile vulgus,
Et quas urbs curas ambitiosa parit.
An non quum traheret Vates Rhodopejus Hæmum,
Frenaret lapsus, Neste, vel Hebre, tuos,
Fœda profanati fugit commercia vulgi?
Inde sacrâ terras movit, & astra chely.
Ipse lyræ princeps silvas dignatus Apollo
Ambrosio lætos ore beavit agros.
Tunc risit tellus florum fecunda, tuumque,
E Phœbe, jubar stellis devenerata fuis.
Invidere solo Phœbæum sidera plectrum,
Concentus rapidi conticuere poli.
Quid Maro sol vatũ, Latiæ lux altera linguæ,
Quam legit sedem, ut grande moveret opus?
Parthenopes Tempe quà jucundissima ridẽt,
Arma Phrygum cecinit, Dardaniumque Ducem.
Perpetuis mens nempe astris cognata beatos
Concentus recolit tunc hilarata poli,
F Quum tacuit strepitus curarum, animique tumultus,
Deliciisque beat pectus amica quies.
Tu tamen hæc vitas tranquilli gaudia ruris,
Quis te Pieridum credat amare choros?
Quid querar hæc? Musis inimica volumina Baldi
Diceris ah demens præposuisse meis.
Tu divina potes penetralia liquere Cyrrhæ,
Tu potes insani jurgia ferre fori? G
Mollius ingenium quid duras flectis ad artes,
Otia quid curis temnis amica meis?
Ah cave, triste rotat telum indignatus Apollo,
Dextra licèt Charites, & pia plectra gerat.
Hæc sævo febris tua pectora rorruit æstu
Ira, Machaoniæ quem domuere manus.
Lædere si pergis, qui nunc te fulgure terret,
Vibrabit læsus fulmina justa Deus.
Dixerat; iratam dictis lenire parabam;
Aversata meas respuit illa preces.
Ad Cœli rediit, cantu quem temperat, orbẽ;
Ast ego conticui, deposuique lyram.

Superioribus Carminibus sequentem Elegiam adjungere placuit, quæ Pisis edita fuit in Funere Auctoris.

IN EXEQUIIS
BENEDICTI
AVERANII

Quum Viro Clarissimo mærentes Amici parentarent

ELEGIA.

Quid furis? ah nostro numquam satiabere fletu, H
Mors fera, mors magnis invidiosa viris?
Anne etiã miseris virtutem excindere terris,
Et premere offusâ sæcula nocte paras?
Proh dolor! Eloquii Patrẽ mors abstulit atra;
Phœbi delicias abstulit atra dies;
Quem genuit, fovitque sinu sapiẽtia, sanctos
Et finxit mores, abstulit atra dies.
Si re cædis amor furiis immanibus actam
Urit, & humani sanguinis ardor agit;
Mars ubi bella ciet, stragesque, & prœlia miscet, I
Atque avidus prædæ miles in arma ruit;
Ensem illic, falcemque rota, mortemque minantes
Morte truces animæ facta nefanda luant:
Illic exundent incesto sanguine campi,
Et fluat infectis decolor unda vadis.
Ut rapiant mala fata malos, ignosco furenti;
Sed scelus est, rapiant si mala fata bonos.
Quid meruit morum candor? quid puriter acta
Vita, quid integritas, ingenuusque pudor?
Priscaque simplicitas blandiri nescia, & æqui
Cultrix, & fuco non temerata fides?
At-

A Atque animus contemptor opum, contemptor honorum,
Et constans vitæ, perpetuusque tenor?
Fortunamque premens invicto robore virtus,
Altaque mens nullis usque subacta malis?
Non illum illecebris permulsit blanda voluptas,
Non Venus atque ipsis Diis metuendus Amor.
Non Cyprii cœtus nostri contagia sæcli,
Otiaque, & molles detinuere joci;
Sed coluit sacras Musarum, & Palladis artes,
B Trivit & Aonii culmina celsa Jugi.
Scilicet est crimen doctas coluisse sorores;
Est crimen doctis incubuisse choris.
Per studia, & curas mors immatura propinquat,
Et gaudet summos obruere illa viros.
Quot grandes animæ dudum periere? quot ævi
Lumina perpetuâ nocte sepulta jacent?
Vestrum erat, o Musæ, properanti obsistere morti,
C Duraque divino flectere fata sono:
Vos decuit vitam longum producere in ævũ
Vati, qui vestros auxit honore choros.
Et tu, Phœbe Pater, vacuam depone pharetram;
Frange arcum; imbelli projice tela manu;
Si nequeunt hæc arma tuos defendere vates,
Projice tela manu; jam nihil ista valent.
Abjice & herbarum succos, lymphasque salubres,
Et medicos cantus; si nihil ista juvant.
D Sed quoniam rigidi est immensa potentia Fati,
Flectitur & nullâ Parca superba prece;
Dum miseri lacrymas, & publica justa merenti
Solvimus, huc, Pindi Numina, adeste sceris.
Ponite sed festos cultus, atque aurea plectra,
Nec cingant comptas laurea serta comas;
Et ferrugineâ tristes cum veste venite,
Funeream dextrâ concutiente facem;
E Et jactent auræ sparsos per colla capillos,
Pallentesque riget lacryma multa genas:
Squallida ferali sint tempora vincta cupresso,
Et cieant querulos lurida plectra sonos:
Lugubres cantus lugubria carmina cœlum
Audiat, attonitis audiat Arnus aquis.
Vester honos, vestri periit Benedictus amores;
Ingeminet questus rauca sine arte chelys.
Dicite; Castaliis puer ut reptavit in antris,
Et puer Aonio nectar ab amne bibit.
Ut Phœbus dedit ipse lyram, qua condere posset
Carmen, quale facit, quum Deus ipse cãit.

Ut lateri assideant hinc Tullius, inde Tibullus, F
Dum stupet, & numeros audit uterque suos.
Ut numquam a gremio, numquam divulsus ab ulnis
Palladis edidicit cuncta docente Deâ.
Hinc tenuit quidquid Grajâ, Latiaque Camœnæ,
Quidquid & Etruscâ concinuere lyrâ.
Naturæque vias, magni & primordia Mundi;
Quid mare, quid tellus ima, quid astra ferant; G
Unde imbres, æstusque, & pigræ frigora brumæ;
Unde fluant amnes, unde procella ruat,
Et Pharii Vatis miranda inventa; rursusâ
Quæque Syracusius protulit arte Senex,
Hinc maris, & terræ tractus dimensus Olympum
Transiliit, stellis inseruitque caput.
Quos obeant cursus, quàm certis legibus errent,
Et quæ vis magno torqueat astra polo, H
Quæ causa accendat ferales igne cometas
Vidit, & an Cœlo lurida flamma micet.
Quin & Socratici sapiens e fontibus hausit
Artem, quæ mores temperat, atque regit;
Ut solâ virtute animi secura paretur
Pax, & tranquilli pectoris alta quies.
Et quidquid nobis Veterum sapientia pandit,
Novit, & expressit moribus ipse suis;
Cunctaque pervasit complexus mente profundâ,
Abdita divino quæ canit ore Plato; I
Quique arcana Dei referant oracula Patres,
Et sacras nostræ relligionis opes.
Dicite; Permessi ut reboent ululatibus ãtra,
Extinctum & cultæ Phocidos arva fleant;
Ut Pindo densis nox incubet atra tenebris,
Nox vestrum, Aonides, obruitura decus.
Dicite; ut arescant laurus, & Castalis unda,
Dicite; sed prohibet dicere plura dolor.
Interea sacris dum proni advolvimur aris,
Urimus & sanctis tura Sabæa focis;
Si qua manent animo veteris vestigia culpæ, K
Defuncti Manes ablue, Sancte Pater.
Sed nulla insontem labes infecit, & olli
Ad Superos virtus alta reclusit iter.
Hic animũ absorbet pleno torrente voluptas,
Et Deus æterno nectare pascit Amor:
Hic quæcumque olim obscurâ sub nube videbat,
Comminus immenso in lumine cuncta videt.
Dum videt immensum felix jubar, ardet amore;
Dum videt, atque ardet, pæne fit ipse Deus.

Finis Carminum.

I N-



INDEX

Locupletissimus omnium rerum, quæ in Orationibus, Epistolis, & Carminibus continentur,

In quo numerus est paginæ; litteræ verò sunt, quæ in margine cujusque paginæ sunt apposita.



A

Ami-

Arta-

B

Buda

C

in Ce-

D

Der-

Det-

E

Exem-

F

G

I

Ju-

L

Le-

Loque-

M

Mar-

N

Pecu-

Pin-

Poly-

Pro-

Q

R

Scien-

Sta-

T

Tra-



V

Vita

X

Z

Finis Indicis in Tomum Tertium.



I N-



INDEX
ORATIONUM, ET EPISTOLARUM.





APPRO-

APPROBATIONES

Dominus Abbas Antonius Maria Salvini complaceat attentè perlegere, uti solet, præsentes *Orationes*, *Epistolas*, *&* *Carmina*, *q. D. Benedicti Averanii* ad effectum recognoscendi, an in illis reperiatur aliquod S. S. Fidei orthodoxæ adversum, & bonis moribus absonum, & referat.

Dat. hac die 3. Augusti 1713.

Nicolaus de Castellanis Vic. Gener. Florent.

Illustrissime, ac Reverendissime Domine.

Benedicti Averanii Orationes, *Epistolas*, *&* *Carmina*, eâ, qua decet, attentione perlegi; nihilque in iis, quod Religioni nostræ, aut bonis moribus adversetur, reperi; verùm eloquentissimum, gravissimumque Oratorem, optimum amicum, cultissimum Poëtam, & ubique doctum & sapientem Virum recognovi. Cujus quotidianâ vitæ consuetudine, summâ mei felicitate, utilitateque, dum viveret, usus sum, & nunc maximâ cum voluptate quasi vivum, spirantemque in scriptis suis intueri mihi videor. Ita testor.

Hac die X. Septembris M. DCC. XIII.

Illustrissimæ Dominationis Vestræ

Obsequentiss.[mus] Famulus
Antonius Maria Salvinius.

Attentâ supradictâ Relatione Imprimatur.

Nicolaus de Castellanis Vicar. Gener. Florent.

Adm.

A Dm. Rev. Pat. Magister Julius Antonius Maria Roboredo Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, Theologus Publicus in Universitate Florentinâ videat præsentem Librum, cujus titulus est: *Benedicti Averanii Florentini in Pisano Lyceo Litterarum Humaniorum Professoris Orationes, Epistolæ Familiares, & Carmina, &c.* & referat pro Sancto Officio.

Dat. ex Ædibus Sanctæ Inquisit. Florent. die 12. Septembr. 1713.

Fr. Bernardinus Frachia de Valentia Ord. Min. Conv.
S. Franc. Vicar. General. S. Offic. Florent.

Reverendissime Pater.

SUmmâ animi mei voluptate perlegi *Orationes*, *Epistolas*, *ac Carmina* Clarissimi Viri *Benedicti Averanii*, & quem alterum Tullium reperi, veterumque Poëtarum æmulatorem a Christianæ Fidei præceptis, & Sanctorum Patrum Doctrinâ non aberrasse judicavi. Opus eximii studii ac laboris, dignum est quod in lucem prodeat.

Dat. Florent. in Conv. Divæ Annunc. die 5. Octobr. Ann. 1713.

Patern. Vestræ Reverendissimæ

Obsequentissimus Famulus

Fr. Julius Antonius Maria Roboredo Ord. Serv. B. M. V.
in Univers. Flor. Sacr. Scr. & Controv. Lector &c.

Attentâ suprascriptâ Relatione Imprimatur.

Fr. Bernardinus Frachia de Valentia Ord. Min. Conv.
S. Franc. Vicar. Gener. S. Offic. Florent.

Philippus Bonarota Senat. & Audit.
Regiæ Celsitudinis.



INDEX
LOCUPLETISSIMUS OMNIUM,
Quæ in hoc Opere continentur.

A

Acha-

nec

 Aga-

Agri-

Al-

Alci-

Amo-

Ana-

An-

Ani-

in

An-

Auto-

Apol-

Aquâ

Ara

Aras

ideo

Ar-

pet-

rem

g 2 Athe-

Athe-

Atlan-

An-

Au-

B

Bel-

By-

By-

Ca-

Ca-

Car-

Ca-

tuis

Cer-

Ci-

Ci-

m 2

Ci-

Ci-

Diss.

Car-

Cæ-

n

sunt

Co-

Con-

Con-

o

Con-

ap-

Cras-

Cun-

Cu-

ideo

Dam-

De-

Di-

Dij,

an-

Do-

Dre-

E

Epi-

Equi

v

Equum

Er-

Eu-

Exem-

Exer-

Exer-

Ro-

F

Ia-

Fa-

Fa-

Fe-

Fi-

Fi-

cum

Flo-

Fi-

G

Gal-

 Ge-

aa to

aa 2

Græ-

ti Per-

Gra-

H

He-

Her-

Her-

non

Hie-

quæ

ec

Ho-

Hor-

Ho-

Hyo-

I

Ie-

Cor-

Im-

In-

Io-

Iso-

Iusti-

L

La-

Len-

Li-

Li-

Li-

Li-

ii 2 Li-

Len-

Li-

Li-

Li-

Li-

Lun-

Lu-

Lu-

Lu-

Lu-

M

Ma-

Ma-

Ma-

Ll Mar-

po-

Ll Mar-

Ma-

Mar-

Ma-

Ma-

 Me-

Me-

mm fi-

Me-

Mir-

Mon-

Mo-

Mor-

Mor-

Diss.

Mu-

Myr-

N

Na-

pp 2 Ne-

No-

Nu-

O

Ocu-

Oly-

Ora-

Ora-

ss Osi-

Ova

P

Pa-

Pa-

Pan-

tt 2 Pa-

Pe-

Pe-

Pe-

Pet-

Phi-

Phili-

Pe-

Pla-

Poe-

Po-

Po-

Pri-

Pro-

Pro-

Pue-

Pu-

Py-

Q

R

nien-

Re-

Ro-

Ro-

Rui-

S

Sa-

in Sa-

Sal-

& Re-

Sa-

Sca-

Scien-

Sca-

Se-

fff 2 Se-

Se-

Ser-

Ser-

Si-

So-

So-

Spe-

Spu-

Sta-

Sti-

Stu-

Su-

Thu-

Ta-

Tar-

Tem-

Tem-

Ter-

Ter-

Ther-

Thu-

Ti-

Tri-

Tur-

Ty-

V

Va-

uuu Va-

Ven-

Ver-

Ve-

eius

Vin-

Vi-

Vi-

Vi-

Um-

Vo-

Vo-

Vul-

X

Xer-

Z

cor-

FINIS.

